This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PAVLI HACHENBERGI
SUMMI VIRI

GERMANIA MEDIA

PVBLICIS DISSERTATIONIBVS
in
ACAD. HEIDELBERGENSI
Propoſita,

In qua res mediorum ſeculorum, quæ à Trajano ad Maximilianum I. fluxêre, ex priſcis Autoribus recenſentur, mores, ritus, leges ſacræ, profanæque ceremoniæ illuſtrantur, dubia obſcuraque Scriptorum Germanicorum loca explicantur.

EDITIO TERTIA,
GUILIELMUS TURCKIUS
recenſuit, ac
Diſſertationem de Geographia Germaniæ medii ævi adjecit.



55. d.

HALÆ MAGDEBURGICÆ An. MDCCIX.
Proſtat in Officina Libraria Rengeriana.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

JOHANNI MAVRITIO

LIBERO BARONI DE

BLASPIEL

POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS MINISTRO
STATUS INTIMO AC SUMMO BELLICARUM
RATIONUM PRAEFECTO, ET
RELIQUA

Hachenbergium a se editum, suaque omnia

Sacra facit

GVILIELMVS TVRCKIVS.

ILLVSTRISSIME DOMINE

TAnto me magis ſperare fas eſt, opus, quod in devotæ mentis TIBI pignus conſecro, ſerena fronte exceptum iri, quo propenſiore in elegantiores literas animo, eruditaque monumenta ſoles ferri. Equidem de meo ingenio cum ampla ſpondere haud audeam, verecundor de Geographia Germaniæ medii ævi, cujus ego hic ſpecimen aut rudimentum forte primus, eruditorum judicia ſubire patior, orationem inſtituere. Sed Hachenbergi-

bergium, Virum maximis, poſtquam ex ſchola diſceſſit, in aula dignitatibus perfunctum, præſtantiſſimi foetus parentem, mea opera luci reſtitutum, ad TE mitto. Par eſt, tantum nomen, quod non inanes ſtrepitus, aut plebeia verba, ſed rerum pondus, & gravitatem ſæpe conſiliorum loquitur, Heroum mentes adire, iisque in jus hoſpitii ac familiaritatem ſe inſinuare. Dignaberis ergo ILLVSTRISSIME DOMINE, inter inſtructiſſimæ Bibliothecæ TVÆ theſauros atque cimelia, quæ Clivis mihi perluſtrare oculis, non ſine ſuaviſſimo voluptatis

ſenſu licuiſſe, lætus recordor, Hachenbergium meum recipere, ac de mea obſervantia ita exiſtimare, ut maxime velim. Ego interim ardentiſſimis Deum votis veneror, ut TE ILLVSTRISSIME DOMINE, Reipublicæ, cujus partes ſtrenue moderaris, Literis, quibus Patronum exhibes indulgentiſſimum, ac TIBI, FILIOQVE unico, qui in ſpem paternarum virtutum & gloriæ adoleſcit, omni felicitatum cumulo, diutiſſime præſtet ſoſpitem. Dabam Halæ Magdeburgicæ, anno Redempti orbis MDCCIX. ipſis Calendis Octobris.

Lectori Benevolo

S. D. P.

GUILIELMUS TURCKIUS.

Atis diu inolita cæcas mentes perſuaſio tenuit, ac ſi invectis heri aut nudius tertius in Germaniam Juſtiniani decretis, omnem patrum noſtrorum Legislationem, ritus moresque, quibus barbara gens olim, invidioſa laude, ipſis præfulſit morationibus, æterna plane nocte & perpetuo damnaſſemus exilio. Quo evenit, ut qui aliud jus, aliamque iuris prudentiam, quam quæ Romæ nata, in Græcia per celebres illos architectos fabricata expolitaque eſſet, curarent, ſtrenue crederentur cum pueris ineptire. Sed poſtquam celſiores animæ, erectioraque ingenia contemtos a vulgo rerum geſtarum theſauros ſcrutari, atque oculos per amœna hiſtoriarum latifundia circumferre cœperunt, acutum cernere, atque eam viam calcare docti ſumus, qua felicius hodie ad arcem ſanctiſſimæ diſciplinæ contenditur. Nemo ignorat immortale Juliæ decus Hermannum Conringium, perennat poſt fata illuſtre Kulpiſii nomen, quorum ſtudiis debetur, ut qui impetrare a ſe non poſſunt, ut obliviſcantur portentoſa ſomnia, quibus literis fucum fecere, valde ſtupidos eſſe oporteat. Prædicandi ſunt inter Gallos Carolus Cangius & Stephanus Baluzius, qui ſubſidia purgandis his ſacris maxima attulere.

Vixit haud ita pridem Johannes Schilterus, opere ipſo exhibens Germanorum inſtituta cum Romanis legibus collata, eorumque uſum validiſſimis rationibus commonſtrans, ringentibus licet æmulis, præpoſteraque cenſura indignantibus: iſthac via jus quo utimur ſæpe fuiſſe ſubverſum. Inſiſtunt ejus veſtigiis, & fundamentis quæ ætatem ferent, regulas ſuperſtruunt viri in ornanda legum doctrina principatum tenentes, poliuntque curatiſſimis laboribus, quos pro meritis a me laudari infra vires meas & ſupra illorum modeſtiam poſitum eſt. Incitabimus ergo quotquot animum meliori fruge nutrire cupiunt, ad antiquitatum Germanicarum inveſtigationem, priuſquam vaſto legum pelago incertum committant animum; cum enim plerique mores, quibus hodienum Germania noſtra utitur, incumbant principiis aliquot ſeculis a memoria noſtrorum hominum remotis, non incredibili ſolum voluptate perfundimur, eundo per iſtas delicias, ſed contra oportet vel illis ignoratis domeſtica plane non intelligere, quod turpe olim viſum fuit juriconſulto Romano; vel peregrinos ſenſus interpretationesque intrudere avitis legibus, quod eſt quadrata miſcere rotundis & humano capiti cervicem equinam jungere, aut ut clarius loquar, ipſam animam juris paterni enecare. Unde enim alias, ut pauciſſima de multis adferam, Morgengabam, bona Cenſitica, Churmodica, Mortuarum mihi exſculpes, quam ex priſcarum, gentis noſtræ antiquitatum promis condis? nam qui in his & hujus farinæ aliis alio incedunt tramite, ut mitiſſime dicam, in re quam penitus ſe introſpexiſſe credunt, magna tenebrarum caligine circumfuſos cæſpitare neceſſe eſt. Quemadmodum igitur cordatiores juſtinianei juris interpretes ſuam in rem præcepere, non ipſos ſolum Græcos Latinosque ſcriptores legendos, ſed ventriculum quoque compendio rituum & morum, quod antiquitatum appellare conſueverunt, præparandum; ita jurisprudentiæ

tiæ Germanæ cultores, antiquitatibus patriis, præſertim ex medio ævo in formam artis redactis, commodiſſime initiabuntur. Etſi enim ego minime omnium detractum velim doctiſſimis Gloſſariorum mediæ Latinitatis ſcriptoribus, aliisque ſummæ caveæ viris, qui ad formulas, aut ipſa quædam Veterum Germanorum placita commentati ſunt, quin potius exoſculandam ipſorum diligentiam exiſtimem, videtur tamen literarum ordine ſtudiis illorum qui primum ad ſacra Minervæ accedunt minus conſultum iri, cum enim memoriæ optimum ſit inſtrumentum, rerum ad claſſes ſuas revocatio, non poteſt fieri, ut quæ ex naturali nexu diſtracta, ſecundum elementorum literariorum ſequelam diſpoſita ſunt, ſatis ab his capiantur, aut firmiter hæreant. Accedit quod hujus generis libris & cicer & piſa & allium & lana omniaque alia ab inſtituto noſtro remotisſima contineantur, non niſi cum tædio ſeparanda, aut cum magna ſtudiorum confuſione diſcenda. Reliqui etiam commentatores ſubactos multa lectione judices magis, quam veſticipes juriſprudentiæ candidatos flagitant. Unus ex tota doctorum cohorte, poſtquam benignum ſydus occidenti noſtro literas iterum afflavit, qui ad leges regulamque juventuti proficuam, hîc calamum ſcriptionemque applicuerit, eſt PAVLVS HACHENBERGIVS, Vir cujus divinum acerrimæ mentis lumen, illuſtreſque ingenii dotes, ex alma ſtudiorum matre Heidelberga, non per omnem Germaniam, ſed univerſum Eruditionis orbem, ita radiarunt, ut metuendum mihi ſit, ne culpa ingenii hic laudes ejus deteram. Prudentiſſimus ſua ætate Princeps Carolus Ludovicus, Elector Palatinus æſtimavit has virtutes; Filius Carolus poſt patrem Elector, tanta ſaluberrimorum præceptorum dulcedine, quæ Hachenbergius juveni inſtillaverat, captus eſt, tanto viri optimi amore flagravit, ut unum hunc qui in gubernanda republica, rebus omnibus moderaretur, præferret cæteris. Sed

fatorum acerbitas ſpes humanas noluit eſſe ratas, Viro optimo, moerore bonorum ſummo, anno ſupra ſexcenteſimum & milleſimum octuageſimo, animam pie efflante. Haud tamen iſta vitæ ſanctimonia, probatiſſimique mores inuidentiam malevolorum hominum potuerunt effugere, quorum inclinati in odia pravi affectus, melioris famæ præmium multis modis obtuſcare conati ſunt. Sed vitæ apologiam ſcribere nihil attinet, ſatis eſt cauſam literarum, meritaque in ſalutares doctrinas in tuto verſari; GERMANIA enim MEDIA, de qua dicimus, incomparabilem hactenus theſaurum rituum morumque complectitur, quibus majores noſtri bello ac pace, domi forisque, in omni vita actiones ſuas circumpoſuerunt. Neque enim effudit temere, aut proſiluit inconſulte ad tantum opus, ſed mente Herculeo ſtudiorum robore bene & diu firmata, juſtoque & circumſpecto ad hanc efficaciam apparatu uſus eſt Hachenbergius. Videbis optimas leges, militiæ rationem, literas, religionem, nummos, veſtitum, funera, & quæ non præclara patrum noſtrorum a Trajani ævo ad Maximilianum I. ſtupenda diligentia, ex omni præſtantiſſimorum monimentorum penu explicata, expoſitaque; Libere ſpatiaberis per lætos aditus, quos ſatis diu ærumnoſis imperiis, omnis munditiæ jactura occluſerat, licebitque hinc aliquid ex juſto admirari, hinc verum probumque, & fortunas fataque negotiorum quæ tractamus recognoſcere, propinquabimusque ad illam doctrinæ noſtræ abſolutionem, quam antea umbris aut tenebris obſeptam arcebamur inſcrutari. Poſſem plauſus eruditorum, votivas ſeveriorum judicum acclamationes ac exemplorum poſt ſecundam editionem raritatem adferre, niſi propria luce eniteret fulgentiſſimum opus, nullius adſcititii coloris indigum. Non inficiabor tamen doceri quædam de Gothia Thuringiaque vetere, minus probata rerum intelligentibus, ſed tantum abeſt ut ea propter pretium

ope

operis minuatur, ut potius dignitatem augeat tam exilis monendorum catalogus. Hunibaldum fabulosum scriptorem aliquando adduci nemo temere improbet, id enim nunquam alias contigisse certum est, nisi ubi probatæ fidei testes habet consentientes, sane locus de Francorum capillis, eximet omnem scrupulum, aperietque quænam Autoris nostri de spuriis eiusmodi monimentis fuerit sententia. Fruere ergo hoc libro, utere hoc duce,

Per syrtes & inhospita tesqua,

ad patriæ Tempe, quisquis generosioribus incoctum pectus desideriis geris, quisquis majorum tuorum sanctam simplicemque vivendi rationem cognoscere aves, ac præsentem rempublicam ex originibus suis intelligere pulcrum ducis; nostrum autem studium quod in luci reddendo emaculatissimo scriptore collocavimus, si vis, candide proba. Adiecimus subsecivis horis subnatam nobis dissertationem de Geographia Germaniæ medii ævi, cujus disciplinæ necessitas ita per omnes ejus ævi res gestas diffunditur, ut nemo unquam sperare audeat, se vel mediocres in intelligendis mediæ ætatis libris facturum profectus, nisi quantum in re multis nubibus undique cincta fieri potest, ea probe fuerit tinctus. Mirabuntur multi, me Maximi Viri Lucubrationibus, exiguum tenelli ingenii foetum attexere verecundatum non fuisse; ast liceat æquioribus hic paululum iudicibus uti, qui probabunt haud difficulter institutum, a nemine hactenus occupatum, cujusque hinc inde non nisi dispersæ volant laciniæ. Equidem negare non ausim, quod a peritissimo harum rerum non alienum fuerit, forte in tanta tenebrarum nocte, in quibusdam humanitatis legem me expertum fuisse, sed de eo judicabunt intelligentes, dummodo meminerint, non exhiberi tractationem ad numeros revocatam, sed potius obscurissimi argumenti specimen, aut si mauis rudimentum. Per quos profecerim, multis edifferere otiosum furerit, cum nusquam doctorum hominum lucubrationes, quibus hæc mea in-

rigavi, absque allegatione dimiſerim. Quod ſi non plane inutilem operam in re tam ſalebroſa videbor poſuiſſe, in id incumbam ut juſtius aliquando Geographiæ Germaniæ medii ævi poſſim exſtruere ædificium, quo quæ in hoc ſchediaſmate deprehendentur emendanda, ita ad veri regulam flectentur, ut appareat, monitis qnibus cerebrum ineſt, promptiſſime locum me dare velle & poſſe. Illos vero qui ſæva mordacitate quæuis bona involant, dentem improbum infigunt, ac ubivis infodiunt, nec curo, nec moror, enimvero

Ut canis a corio nunquam abſterrebitur uncto,

ita d genus hominum, perpetuis relinquendum intemperiis, naturam raro exuit. Interim ſi opella noſtra effectum fuerit, ut viri qni plus operæ ac ſtudii, aut etiam judicii in hanc diſciplinam contulerunt, ad eam ornandam animum applicent, quam in rem nomine publico vota nuncupamus, a nobis nihil exſpectabitur.

Præfatio Hachenbergii.

VT ad has Diſſertationes ſcribendas appellerem animum, multæ me cauſæ permoverunt: quarum juſtiſſima & potiſſima fuit, quòd nullum magis varium, nullum nobilius, aut grandius Antiquitatibus Germanicis argumentum comperirem. Sive enim gentis præclara inſtituta atque mores inſpiciam, nulla unquam Reſpublica aut virtutum ornamentis clarior, aut bonis exemplis ditior ſanctiorque fuit: ſive ipſum Imperium, quô nullum validius vidit ætas, in mentem meam venit, par Deorum potentiæ faſtigium *intueor, ut Q. Curtius de Perſico regno loquitur. In illa Orbis parte magnum illud & formidabile Romani Imperii nomen requievit, poſtquam Germani ipſam Italiam, victrices illas Aquilas, utrumque Solem permenſas, cum Imperii Diis, in gentem ſuam traxêre; ex illa leges, linguæ, jura fluxêre, quæ per orbem terrarum diffuſa, & per magnos populos, inclytasque civitates diſpertita ſunt; ex illa denique ſunt Gothi, Sclavi, Vandali, Alani, Longobardi, Normanni, Heruli, Gepidæ, Franci, Saxones, aliique infiniti numerô populi, qui fortitudine maximi, victoriarum auſpiciis clariſſimi, virtute validiſſimi Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Siciliam, Sarmatiam, ipſasque Aſiæ Africæque nobiliores partes, aut ſub legibus ſuis misêre, aut coloniis occupârunt. Quo magis eorum præpoſteram admirari lubet diligentiam, qui ſummo ſtudio res Græcas & Romanas tantùm quærunt, & exterarum gentium facinora admirantes, Hiſtoriam patriam aut negligunt, aut protervè faſtidiunt; quum tamen illa, præterquam quòd civi turpe ſit, res Majorum ac Reip. ſuæ ignorare, ſanè*

& argumenti varietate, & exemplorum magnitudine, haudquic-quam Romanis Græcisque monumentis cedat; major ſine omni dubio futura, ſi pares Scriptores nacta eſſet. Sed mihi non fuit animus, luſtrare res antiquiſſimi ævi, quod à vetuſtiſſimis primordiis ad Trajani usque imperium ſtetit, quum & ex priſcis Cornelius Tacitus, & ex recentioribus Andreas Althamerus, Beatus Rhenanus, Franciſcus Irenicus, Philippus Cluverius in eruendis horum temporum Antiquitatibus deſudaverint, atque pauca poſterorum induſtriæ reliquerint. Itaque diverſam viam ingreſſus ſum, & primò illos quoque fontes libavi, ex quibus clariſſimi iſti viri ſua hausêre: inde potiſſimùm ad ea intendi animum, quæ vita Germanorum, qui mores pace belloque obſervati, quæ imperia Legum ac Religionis, poſt Trajani tempora fuerint, quando Germania cadente Imperio Romano primùm in Francorum poteſtatem conceſſit, deinde à Francico avulſa imperio, in ſingularem ſe Rempublicam collegit: donec variis agitata & defuncta caſibus, ſub manſuetudine Maximiliani Primi requievit, quo imperante politiorem iſtam faciem, quâ nunc gaudet, induiſſe viſa eſt. In quo ſtudio, quum multùm laboris & faſtidii mihi exantlandum fuerit, dum indigeſtam illam vaſtamque rerum Germanicarum molem, quam mediis ſeculis Monachi, aliique ſcriptores rudi atque diffuſo ordine compoſuêre, perſequi lectione atque animo debuerim: juvit tamen conatum amor patriæ, quam ex barbaris obſcurisque vindicare ſeculis, boni civis officium duxi. Neque moramur illam vaniſſimorum hominum ſententiam, qui nihil utilitatis ex veterum notitia atque obſervatione in Rempublicam evenire poſſe exiſtimant, quum & illa Antiquitas ruſticitate ac barbarie horreat, & hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulet. Nimirum quum ipſi aut in ſtudia quæſtuoſa tantùm profuſi, aut ignoranti î, & imperitiâ occæcati, ſuis tantùm ſordibus delectentur; facilè evenit, ut à Majorum virtutibus, moribusque abhorreant. At quàm præclarè cum Republica noſtra ageretur, ſi ad Majorum inſtituta, candidæ ſimplicitatis atque integritatis plena, adigerentur poſteri, quibus haud validiora, quàm avita virtutum ac morum exempla admoveri poſſunt?

sunt? Profectò multa præclara ac egregia in horrido illo ac inculto ævo invenerunt prisci, quæ desuetudine nunc abolita, in usum præsentem revocari flectique, maximè Reipublicæ nostræ expediret: præsertim quum nova quædam ex vitiis nostris, & contactu aliarum gentium enata, & opinione pravâ adversùs vetustatem pollentia, priscam animorum sanctitatem, vehementer polluerint. Sed horum hominum sententia nonne me absterrebit, quo minùs ea, quæ nunc tumultuario & breviter, ut Dissertationum ratio ferebat, in publicum protuli, justiori & grandiori operi emendanda reservem, in quo, sicut Cluverius Antiquam exhibuit, universam Germaniam Mediam oculis subjiciam. Nunc hæc in promulsidis vicem donanda erant desiderio Nobilissimorum Adolescentum, qui pulcherrimam animorum contentionem ad res Majorum suorum cognoscendas attulêre, & ex patria intelligere Historia percupierunt, quid sibi suæque Reipublicæ imitandum, quid fœdum inceptu fœdum exitu vitandum fugiendumque videretur. Scribebam Heidelbergæ ad XXIII. *Decembris An.* M. DC. LXXV.

INDEX DISSERTATIONVM.

Dissertatio I. de Regimine Veterum Germanorum.
II. De Generibus sive Ordinibus Veterum Germanorum.
III. De Legibus Veterum Germanorum.
IV. De Re Militari Veterum Germanorum.
V. De Nuptiis Veterum Germanorum.
VI. De Studiis Veterum Germanorum.
VII. De Lingua Veterum Germanorum.
VIII. Prior: De Religione Gentili Veterum Germanorum.
Posterior: De Religione Christiana Veterum Germanorum.
IX. De Re Feudali Veterum Germanorum.
X. De Re Nummaria Veterum Germanorum.
XI. De Re Vestiaria Veterum Germanorum.
XII. De Re Funebri Veterum Germanorum.
Accedit GVILIELMI TVRCKII,
XIII. De Geographia Germaniæ medio ævi.

Nomina Nobiliſſimorum Juventum,

qui in his Diſſertationibus Reſpondentium vicem ſuſtinuêre.

CHRISTOPHORVS de WOLLZOGEN, à MISSINGDORFF, Nob. Pal.

PHILIPPVS LVDOVICVS GEVDERVS, ab Heroldsberg/ Nob. Francus.

ERNESTVS ALBERTVS de SEIDLITZ, Eques Silef.

JOHANNES GEORGIUS à DIESCAV, Nob. Saxo.

LAVRENTIUS BOEGER, Palatin. Sereniss. Elect. Pal. Bibliothecarius.

FRIDERICUS von Hermkhauſen/ Lugduno-Batavus.

JOHANNES WILHELMUS WAHLIUS, Meiſenheimio Bipontinus.

JOH. THEOBALDUS GOTTSCHALCK, Lutræa-Palat.

JOHANNES LUDOVICUS TOLNER, Crucenaco Palat.

JOHANNES HENRICUS REITZIUS, Bacharaco Palat.

JOHANNES HERMANNUS MEYER, Schönberga Erbacenſis.

JO. LUDOVICUS ZOLLMANN, Hohenloicô Francus.

DISSERTATIO HISTORICA PRIMA, DE REGIMINE VETERUM GERMANORUM,

BREVIARIUM.

§. I. Germania vetus in varias Respublicas divisa. §. II. Nunquam unum imperium ante Trajanum, nec diu post eum constituit. §. III. De Republica Gothica, ejusque statu. §. IV. De Ostro Gothis. §. V. De Wisi Gothis. §. VI. VII. Vastissima Slavorum natio, ejusque regimen. §. VIII. Qua Saxonum veterum Respublica. §. IX. Qua regiminis forma. §. X. De Anglo-Saxonum regimine. §. XI. XII. Qualem Rempublicam habuerint Longobardi. §. XIII. Regnum Thuringorum. §. XIV. Bavarorum. §. XV. XVI. Suevorum. §. XVII. Burgundionum, eorumque regimen. §. XVIII. De nobilissimo Francorum regno. §. XIX. Germania in unum corpus redacta, & cum Gallia per Francos conjuncta. §. XX. Quis status Germaniæ sub Francis fuerit. §. XXI. Quod regimen, qua imperii forma, postquam à Francis secessit, & peculiares Reges habere cœpit. §. XXII. Accessiones Germaniæ. §. XXIII. Electio ac potestas Regum. §. XXIV. De Ducum, Comitum &c. dignitate & officio. §. XXV. Regum magna auctoritas. §. XXVI. Decrescit aucta potestate Principum §. XXVII. & Pontificum machinationibus. §. XXVIII. Ut in primum statum Germania recidisse videatur. Conclusio cum voto.

IAmprimum ſatis compertum eſt, antiquiſſimam *Germaniam*, qualis ad *Trajani* usque tempora ſtetit, nunquam unum imperium conſtituiſſe: ſed incubuiſſe vaſtiſſimo illi terrarum ſpatio complures populos, qui etſi linguæ morumque ſimilitudine & communi origine juncti eſſent, ſinguli tamen ferè ſuam ſibi ſeorſim civitatem, à reliquis diſtinctam habebant. Pars enim vetuſtiſſimarum gentium conſuetudine, Regibus paruêre: quod de *Eburonibus*, *Gothonibus*, *Rugiis*, *Lemoviis*, *Cimbris* Tacitus teſtatur. Plures populari regimine gaviſi, de minoribus rebus primores gentis, & promptiſſimos vulgi audiebant, de majoribus omnes conſultabant. Nec una omnibus imperii ratio, qui in unius poteſtatem conſenſerant. Illis enim Reges erant, ſuadendi magis auctoritate, quàm jubendi poteſtate; planè ut *Ambiorix* Eburonum Rex apud Cæſarem lib. V. fateri cogatur, *Sua eſſe ejusmodi imperia, ut non minùs haberet in ſe juris multitudo, quàm ipſe in multitudinem.* At *Gothones* addictius regnabantur; apud *Suionas* etiam unus imperitabat, *nullis jam exceptionibus, non precario jure regnandi:* quin *Sitonibus Bructerisque* fœmina dominabatur, quum hi in tantum non modò à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerarent. Fuêre etiam, qui ex una ſtirpe ſemper ſumebant Reges, ut Marcomanni *Maroboduos*, & Quadi *Tudros*: ac cæteri fortiſſimum & nobiliſſimum imperio admovebant.

II. Sed nec diu poſt *Trajani* exceſſum, etſi nonnulli populi numero & victoriis validi latiſſimam ditionem obtinerent, coaleſcere in unum imperium potuit *Germania:* quum antiquis illis eximiâ quadam libertatis ſpecie arrideret accepta à Majoribus autonomia, quæ ex primæva illa civitatum origine, quâ ſegreges familiæ paullatim in unum coivêre corpus, expreſſa magis veſtigia retinebat. Igitur ipſæ nationes, quas *Haidas* & *Gouwas* ipſi *Teutones*, Romani *Pagos* dixere ad fluenta fontium, & camporum nemorumque limites, ſuis deſcriptæ nominibus, pariter & regnis diſtinguebantur: ſuisque quæque legibus, ſua libertate ſub Regum ſingulorum, aut Optimatum imperio regebantur. Neque alia eorum conditio, qui per eam tempeſtatem, exundante domi ſobole, ſuis exciti ſedibus in univerſam penè *Europam* ſe ſuperfudère: quippe veeri more in diverſas feceſsère Respublicas, quæ & legibus, & imperandi parendique diſciplinâ inter ſe diſcrepabant. Sed inter nobilio-

res

res validioresque Civitates, quæ per illum ſeculorum decurſum viguère, habitæ ſunt *Gothica, Slavica, Saxonica, Longobardica, Thuringica, Bavarica, Suevica, Burgundica*, & demum *Francica:* cæteræ enim aut harum comiter coluére majeſtatem, aut ingloriæ ad memoriam poſteritatis extitére.

III. GOTHORUM Respublica, ut Jornandi aliisque oſtenſum eſt, primùm ſe illis *Scandinavia* finibus continuit, ubi hodie *Scania & Gothlandia* ſunt: inde ſe in *Cimbricam Cherſoneſum*, partesque *Albi* fluvio finitimas ſparſit. Ipſi etſi origine & linguâ *Germani*, addictiùs tamen circa tempora Taciti regnabantur: at poſtea in majorem libertatis curam ſe arrexere. Adjuncti enim Dominantibus Senatores Proceresque, *Anſes* apud Jornandem dicti, ab anſeen/ *reſpicere, curare*, ut Loccenius in antiq. Sueo-Goth. lib. II. cap. IV. interpretatur. Sed & leges imperantibus circumpoſitæ, quas *Bellagines* dixêre. Populus ad humanitatem, quod in gente Martia mireris, literis imbutus, quas *Runas* vocârunt; de quarum antiquitate & elegantia operosè Viri eruditiſſimi Wormius & Buræus egerunt. Omnes divitiæ in precoribus ſitæ: unde & poſtea pecunia introducta, idem nomen cum pecore ſâd diu retinuit. Sed *Gothorum* nomen regnumque per *Europam* maximum demum evaſit, quando è *Scandinavia* finibus poſt tempora *Antonini* egreſſi, primùm in *Pannonias Thraciamque* venerunt, inde peragratâ victoriis Italiâ, occupatâ Hiſpaniâ, & correpta parte Galliæ, nobiliſſima regna condidère, quorum, alterum in *Pannonia* & *Italia* OSTROGOTHICUM, alterum in *Hiſpania & Gallia* parte WESTROGOTHICUM dicebatur.

IV. Regnum OSTROGOTHORUM, ſive *Gothorum Orientalium* inſtituit Rex *Theodoricus I.*, quem *Athalaricus, Athaulphus, Vitiges, Ildobaldus, Alaricus, Totilas, Tejas* excepére. Hi ex nobiliſſimo *Amalorum* genere ſumebantur, libero tamen electionis jure; quod ſatis ex Athalarici & Vitigis edictis liquet. Modum ritumque Electionis oſtendunt verba illa *Vitigis* in Edicto I. de Electione Regis: *Indicamus, Parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios; more Majorum, SCUTORUM SUPPOSITO regalem nobis contuliſſe dignitatem.* Primùm ſe *Flavios & Cæſares*, ſed mox *Balthos* dixére: quod ea de cauſa factitatum indicat Athaulphus apud Oroſium, *ut obliterato Romanorum nomine, Romanum omne ſolum, Gotherum imperium & facerent, & vocarent,*

rent. Poteſtas regia ſatis infinita, legibus tamen circumſcripta: unde ipſe *Theodoricus* in Conſtitutionibus ſuis cap. VII. ſic auctoritatem ſuam definit: *Quanquam poteſtati noſtræ, Deo favente, ſubjaceat omne, quod volumus, voluntatem tamen noſtram ratione metimur, ut illud magis æſtimemur elegiſſe, quod cunctos dignum eſt approbare.* Ipſum regnum præclaris ſanctisque inſtitutis ſuperſtructum; veluti *Oſtrogothorum* notiſſimæ leges, quæ in Germanicarum Legum corpore occurrunt, tum Edicta Regum apud Goldaſtum Tom. III. Conſtit. Imp. declarant.

V. Simile ferè WISIGOTHORUM, ſive *Gothorum Occidentalium* Regnum in *Hiſpania*: nam ſicuti *Oſtrogothi* ex *Amalis*, ita hi ex *Baltis*, quorum poſt *Amalos* ſecunda apud *Gothos* nobilitas fuit, liberâ electione Reges ſumebant. Quibus inſtitutis compoſitum fuerit imperium, oſtendunt præclaræ *Viſigothorum* leges, quibus celebre nomen inter Germanicas adhæſit. Regum auctoritatem, quum per ſe amplisſima eſſet, circumſcribebant patriæ leges, ne ex libidine faſces tenerent. Provincias more *Oſtrogothorum* adminiſtrabant *Proceres*, quos *Comites* dixère. Hi quatuor claſſibus continebantur, in quibus primi *Illuſtres* & *Patricii*, ſecundi *Clariſſimi* & *Spectabiles*, tertii *Perfectiſſimi*, quarti *Egregii* appellabantur. Id quoque in tanto imperio placuit, ne majores magiſtratus ultra annum Præſidibus prorogarentur: quod & *Oſtrogothis* in uſu fuiſſe, *Theodoricus* Rex in Conſtit. CLXIII. de Officio Præſidis docet.

VI. Egredienti ex *Scandinavia* occurrit vaſtisſimus & fortiſſimus SCLAVORUM Populus, cui amplisſimum illum tractum inter *Oceanum*, *Rhenum*, *Viſtulam*, *Danubium* Eginardus attribuit: Annales etiam priſci *Francici* ulteriores ſedes ſupra *Albim* aſſignant. Quæ gens, etſi linguâ atque origine juncta eſſet, moribus tamen ac inſtitutis maximè diſcrepans, in varia nomina ac diverſas Reſpublicas abiit: ex quibus *Slavi Welatabi*, Francis *Wilſi*, *Sorabi*, *Abotriti* ſive *Obotriti*, *Polabi*, *Rugiani*, *Uchri*, paſſim in Annalibus Rerum Geſtarum à Karolo Magno memorantur. Inprimis *Vandalorum* nomen magnum atque clarum in tanta gente habitum eſt, poſtquam domô egreſſi, primùm in *Pannonias* irruerunt, inde occupata Urbe *Roma*, vaſtata *Italia*, correpta *Gallia*, invaſerunt *Betica* tractum in *Hiſpania*, qui ab ipſis olim *Vandalia*, ab Hiſpanis *Andaluſia* vocatus eſt: unde poſtea in Africam transgreſſi, devicta *Carthagine*, florentiſſimum regnum per *Lybiam* inſtituerunt. Cæterum omnis *Slavorum* popu-

populus, quum à cæteris ſui quisque imperii regione diſcretus eſſet, multis ſuberat Principibus, quos vulgare viciniæ malum, ſuperba æmulatio, inter ſe frequenter committebat: unde & validiſſimæ cætera gentes, invaſionibus exterorum opportunæ reddebantur.

VII. Sed forma quoque regiminis varia, quum aliis ſancta & eximia Principum majeſtas, aliis cura libertatis potior haberetur; ut ex Helmoldi Hiſtoria Slavica liquet. Apud *Welatabos* ſive *Wilſos*, qui *Francorum* monumentis maximè celebrati ſunt, filius natu major, defuncto Rege patre, regnum adibat: detractus ab eodem pulſusque, ſi leges patrias tranſiliiſſet. Pleniùs id cognoſcitur ex contentione *Meligaſti & Celeadragii*, Regulorum Wilſorum, de quibus Annales Rerum Geſtarum à Ludovico ad An. DCCCXXIII. hunc in modum referunt: *Erant filii Liubi Regis Wilſorum, qui licet cum jor eſſet, ad cum totius regni ſumma pertinebat, qui ubi commiſſo cum Orientalibus Abotritis prælio cæcidiſſet, Wilſi filium ejus Metigaſtum, qui major erat, Regem ſibi conſtituunt. Sed quum is ſecundum RITUM GENTIS fratribus ſuis regnum ſuum diviſum teneret, tamen propterea quòd natu maCOMMISSUM SIBI REGNUM PARVUM DIGNE adminiſtraret, illô abjectô juniori fratri regium honorem detulerunt.* At *Rugiani & Abotriti* ipſum nomen non tantùm ſervitutis, ſed & juſti ac legitimi regni oderunt: ſæpe etiam ſanguine Principis litantes legibus patriis, ubi libertatem populi carpſiſſet. In univerſum poteſtati regiæ, ne deorum abjecto metu inſoleſceret, ſacerdotium exæquarunt, aut antepoſuerunt. Unde de iis Helmoldus: *Rex apud eos modica æſtimationis eſt comparatione flaminis.* Et de Rugianis: *Flaminem ſuum non minùs, quàm Regem venerantur.* Serium hoc, & vetus Germanorum inſtitutum, apud quos in bello neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi Sacerdotibus permiſſum fuiſſe, Tacitus in lib. de morib. Germ. teſtatur.

VIII. Relictis *Slavis* ad SAXONUM Rempublicam tendimus: præſertim quum hi frequentibus victoriis ſubegerint plurimas *Slavorum* regiones, ſimulque inſederint. Non meminit eorum Tacitus, niſi fortean *Foſi* ſunt, quos ad *Albim* collocat. At poſtea, quum armis ditionem ſuam ad *Rhenum* usque extenderent, & inde navigiis ſuis in *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Britanniam* bella cladesque circumferrent, *Saxonum* nomen pro maximo per orbem terrarum celebratum eſt, auditæque Romanorum monumentis voces *Saxonici litteris*, cujus cura clariſſimis viris demandabatur. De priſco eorum regimine

juvat audire venerabilem Bedam, cujus Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. XI. verba ſunt: *Antiqui Saxones Regem non habent, ſed ſatrapas plurimos genti ſuæ præpoſitos, qui ingruente belli articulô, mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperant: peracto autem bello rurſum æqualis potentia omnes fiunt Satrapæ.* Quæ verba luculenter explicat ex medio quoque ævo Wernerus Rolevinc. de ſitu & morib. Weſtphal. lib. II. cap. I. ubi in hunc modum ſcribit: *Verùm autem, ut antea dictum eſt, Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos Satrapas conſtitutos: mbrisque erat, ut ſemel in anno generale concilium agerent, in media Saxonia, juxta fluvium Weſeram, ad locum, qui dicitur Marckio. Solebant ibi omnes in unum Satrapæ convenire, ex pagis quoque ſingulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi, & totidem laici: Renovabant ibi leges, præcipuas cauſas adjudicabant, & quid per annum eſſent acturi, ſive in bello, ſive in pace, communi decreto ſtatuebant. Unde verſus:*

Quot pagos, tot penè duces, velut unius artus
Corporis, in diverſa forent hinc inde revulſi,
Sed generalis habet populos diviſio ternos,
Inſignia quibus Saxonia floruit olim:
Nomina nunc remanent; virtus antiqua receſſit.

IX. Ab hoc ſtatu diſceſsêre *Saxones*, quum *Karolus M.* diutinô bello fractos, in jura, ac civitatem *Francorum* adſcivit. Inde enim *Palatini* quinque, ut Barthio aliisque notatum, regionem more Francico adminiſtrabant; adſcitique in auxilium Epiſcopi, qui præter ſolitum in hac gente plurimi conſtituti, multisque agris & oppidis donati, cum religione obſequium Francicum fortiſſimo populo imperabant. Miſſi & *Comites*, vulgò *Graviones*, qui per pagos villasque jus dicerent. Illorum Vicarii erant *Scabini*, Schepens/ crebrum in literis Saxonum nomen, quos Charta Beſuenſis Monaſterii *Judices* interpretatur. Permiſſum tamen eſt, ut ſuo jure uterentur, quod *Saxonicum* vocant. Unde Poëta Anonymus ex veteri ævo;

— permiſſi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore,
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis.

Id quoque retentum ex priſcis moribus eſt, ut populus in tres ordines diviſus eſſet, in *Edlingos* ſive Nobiles, *Frilingos* ſive Ingenuos,

&

& *Lazzos* ſive Serviles; utque capital illi eſſet, qui ordinem ſuum promiſcuo connubio violâſſet: velut alibi nobis fuſius demonſtratum eſt.

X. Sed priſcum *Saxonum* regimen, latiùs quoque ex *Anglorum* hiſtoriis cognoſci poteſt: quum hæc gens in nobiliſſimam illam Inſulam ſeculô poſt Chriſtum quinto, transgreſſa, & imperium, & inſtituta, & linguam invexerit. Etenim electis ſeptem Regibus, penes unum Monarchia ſtabat, eaque ambulatoria, & non ſucceſſione aut electione, ſed armis quærenda; ut Beda lib. VII. prodidit. Poſtea quum hæc ſeptena regna auſpiciis *Ethelai* in unum coaluiſſent principatum, leges regnanti præſcriptæ fuere: quum gentis Germanicæ more, nunquam iſta natio totam ſervitutem pati potuerit. Qui Rempublicam togatam adminiſtrabant, *Comites*, *Greve*, *Conſules* ſive *Aldermanni*, *Decani* dicebantur: bello præfectum *Heretochium* vocarunt, quem priſco *Germanorum* more in pleno *Folcmote*, id eſt, populi concilio creârunt. Etiam *Carnifex* ſplendidi Officialis nomen, moribus nunc noſtris fœdum atque turpe: de quo Hovedenus in An. MXL. *Rex Harde Canutus Alfricum Eborac. Archiepiſc. Godwinum Comitem, Stir Majorem Domus, Edricum Diſpenſatorem, Throud ſuum Carnificem & alios magna dignitatis viros Londinum miſit.* Sed & vetus Saxonum inſtitutum fuit, ut Reges in aulis numerum præſtantium Juvenum alerent, quos *familiam Regis* Hovedenus appellat. Hi omni civilitati, & virtutis exercitio aſſuefacti, ad omnem fortunæ caſum parati ſtabant: erantque cunctis ſpeciales leges, præmia peculiaria, pœnæ ordinariæ, quibus Rex ipſe, lege militiæ communis adſtringebatur. A qua origine eſt *Menſa Rotunda Arturi*, celeberrimi Britanniæ Principis, tum *Aula Kanuti* Regis Daniæ, quam cum legibus conſeſſus, præmiisque & pœnis memorabilibus, eleganter Saxo Grammaticus lib. x. deſcribit.

XI. Inter *Saxonum* colonias vulgò habentur LONGOBARDI, quos Ptolomæus haud procul à *Rheno* collocat: etſi ipſi apud Æmylium Veronenſem ſe ex *Scandinavia* ortos egreſſosque affirment. Vellejus *gentem feritate Germanicâ ferociorem* appellat: ſed poſtea quum in *Italiam* veniſſent, ad omnem humanitatem ſubacti mitigatique ſunt: planè ut his *Italia*, jam à Majorum virtute delapſa, omnem ingenii cultum debeat. Poſteaquam enim regnum occupâſſent, leges in publicam utilitatem edidêre, abſolutas adeò & perfectas, ut non ſolùm Italiæ

liæ civitates, ſed & Germaniæ Galliæque maxima pars, nunc quoque auctoritatem earum in publicis judiciis ſequatur. Primùm quum è *Scandinavia* finibus egrederentur, Ducibus paruiſſe feruntur, quos Paullus Diaconus & Gotfridus Viterbienſis *Hiborem* & *Angionem* vocant: quibus extinctis Regem Agelmundum ex nobiliſſima *Vinulorum* familiâ creârunt. Pulſis *Gothis* validiſſimum in *Pannonia* regnum inſtituerunt, quod hæreditate, ſi haud impar eſſet, ad ſobolem regiam ibat. Sed cultioribus legibus & inſtitutis compoſitum eſt imperium, poſtquam in Italia florentisſimum condidère regnum, quod ab An. CCCCC LXXXV. ad *Karoli M.* ætatem feliciſſimis incrementis ſtetit. In eo regia auctoritas decorè temperata erat, relictaque populo, magna libertatis veſtigia: cujus præfractus tenaxque adhuc, quum jam Francicæ ac Germanicæ poteſtati ſuccubuiſſet. Unde illa querela Ligurini lib. II. de geſt. Frid. I. ubi ita gens illa deſcribitur:

Libertatis amans, pro qua nec triſtia rerum
Damna, nec extremam ſolet exhorreſcere mortem;
Nec Regis Dominique jugo cervice volenti Subdita.

XII. Sed quomodo *Longobardi* antiquiſſimis temporibus, quum *Germanum* adhuc occuparent ſolum, Rempublicam habuerint, ubertim explicat Paullus Diaconus in libro, quem de rebus geſtis Longobardorum perſcripſit. In Italia rerum potientes, in tria genera diſpertiebantur, in *Capitaneos*, *Valvaſores*, & *Plebem:* cui diſtinctioni occaſionem dedêre *Feuda*, quæ illi primùm ex priſcis Germanorum moribus in uſum publicum invexère. *Capitanei* erant, qui rem immediatè à Capite, id eſt, Rege tenebant: *Valvaſores* autem, qui à *Capitaneis* feuda accipiebant: cætera plebs artes ſellularias opificiaq; tractabat. Ex his pariter magiſtratus ad regendas provincias urbesque ſumebantur, qui ne ad dominandi libidinem prorumperent, ſingulis annis magiſtratu abire jubebantur. Ipſum Regnum in varios divisère *Comitatus* quorum Præfectos *Gaſtaldios* & *Schuldaſios* nomine Germano dixère in bello gerendo quam rationem iniverint, docet Otto Friſingenſis de geſt. Frid. I. lib. II. cap. XIII. *Opifices, quos cætera gentes ab honeſtioribus & liberioribus ſtudiis, tanquam peſtem propellunt, ad militiæ cingulum, vel dignitatum gradus aſſumere non dedignantur.*

XIII. Poſt *Longobardos* dicendum eſt Regnum THURINGORUM, ſive DEURINGORUM, quos vicinos affinesque *Longobardis* fuiſſe, Rhenanus ſe ex priſcis monumentis reperiſſe affirmat. Sed & veteri

ævo *Toringi* ſunt *Lotharingi*; ut Barthius in Commentariis ad Britonem Aremoricum probavit. Quin *Thoringiam* quoque *Auſtriam* dictam, [illegible] *jacuerit, deſervire præcipio villas in Auſtria ſive in Thoringia.* At vera & germana *Thuringorum* ſedes in Sylva Hercynia, quâ longo tractu ad fluvium Albim, Oceanique confinia excurrit: ubi ante Francorum adventum *Angli* & *Werini* in Legis inſcriptione vocantur. Ipſius Regni præſtantiam viresque arguit, quòd & *Gothi* florentibus rebus amicitiam gentis expetierint, & *Franci* victoriis pollentes multùm laboris in ſubjugandis *Thuringis* exhauſerint. Forma Reipublicæ mixta, quùm Regibus, qui ex familia *Heldungorum* ſumebantur, non libera, ſed definita poteſtas eſſet. Populus in *Adalingos*, *Liberos*, & *Servos* diviſus: ex quibus *Adalingi* ad Reipublicæ munia veniebant. In Legibus, quæ ſub *Anglorum Werinorumque* nomine ſuperſunt, magna gentis libertas, quum mulcta pecuniaria graviſſimum etiam facinus luat. Nobiliſſima illa, & Salicæ Conſtitutioni ſimilis, quæ eſt de Alodibus Tit. VII. §. 1. *Hereditatem defuncti filius, non Filia ſuſcipiat.* Alia tamen antiquioribus ſeculis Reipublicæ facies fuit, quum neque Regem, neque Ducem haberent; ut in hiſtoria Landgraviorum Thuring. cap. III. videre eſt. Inde, ut ibidem legitur, *ſe ipſos per Judices proprios violenter citrà quadringentos annos rexerunt.*

XIV. Ad fines *Thuringorum* jacent BOII ſive BAVARI, qui origine primâ Galli, poſtquam ex *Bohemia* per Marcomannos pulſi eſſent, in partibus Vindelicíæ florentiſſimum condidêre regnum, quod inter Œnum, Licum, & Danubium latè extendebatur. Ac quanta ejus fuerit magnitudo, docet Henricus Saxoníæ Regulus apud Aventinum lib. IV. An. Bojor. *Atque ut apertè tute ſcias, quàm nihil minùs mihi cordi, quàm dominandi libido ſit, non ſolùm Bojaria regnum locupletiſſimum, Nariſcos, Alamannos, Chamabos, Boethos, Sudinos, Iliſſos, Marcomannos, Quados, Vindelicos, Noricos, Auſtriacos, Tyrolios, Atheſinos, Vennonas, Stirios, Charinos, Venedos, Carnos, Pannonias, Tibi, ſicuti poſſides, permitto, verùm etiam &c.* Ante receptam fidem Chriſtianam magna populi libertas erat, quum & Reges ſuos Principesque liberis crearent ſuffragiis, & legum reos publicâ ignominiâ ſubmoverent. Sed introducta Chriſtiana religione, Reges in Epiſcoporum locum, Senatumque Præſulum, quoscunque libuit, allegabant: qua re populi libertas vehementer attrita eſt, dum Præſules obnoxiam Regibus fidem ducentes, efficacisſimâ re-

ligionis vi feroces plebis animos ad omne obsequium mitigabant. Id tamen grande libertatis vestigium mansit, *Ut Nullus Bojoarius*, ut leges Bojuariae loquuntur, *de Duce extraneis consilia capitali crimine prodaret*. Capitale autem illud crimen secundùm easdem leges censebatur, *Si quis in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit*.

XV. A *Boiis* transeo ad proximum terrarum spatium, quod *Danubius*, *Mœnus* ac *Rhenus* ambitu suo includunt: ubi veterem ALAMANNORUM sedem ac Rempublicam Marcellinus, & ex eo Cluverius constituunt. Sed quum *Alamannorum* nomine non certa gens, sed appellatio ingentis ac ferè universi Septentrionalis populi, teste Arnobio, veniat; inter principes & maximos tanti nominis populos habiti sunt SUEVI, plane ut eô vocabulô cunctos *Alamannos* censeat Claudianus, & prisca charta itineraria apud Peutingerum *Alemanniam* interpretetur *Sueviam*. Quamvis eorum *Suevorum*, quos Cæsar longè maximam & bellicosissimam Germanorum omnium gentem vocat, aliæ fuerint sedes, quum inter Danubium, Albim, Vistulam, Hercyniam Sylvam, Sinumque Codanum, Tacitus & Strabo eos collocent. Sed regnante apud Francos *Childerico*, avitas dereliquere sedes, & ad fontes Rheni Danubiique, pulsis Romanis, Regnum posuère, quod mox ad summum fastigium potentiæ ac gloriæ pervenit. Nam & missis in *Hispaniam* coloniis, regnum clarissimum in *Gallatia* circà An. ccccxxxvi. sub Rege Emerico condiderunt, & in *Germania*, victis latè *Helvetiis*, *Rhætis*, *Hermunduris*, fines Imperii in ipsam *Italiam* extenderunt.

XVI. Temporibus Julii Cæsaris, ut ipse lib. IV. Comment. de bel. Gall. scribit, centum pagos habebant, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causá suis ex finibus educebant. Libertas vitæ maxima, quum à pueris nullo officio aut disciplinâ assuefacti, nihil omninò contra voluntatem facerent. In pace Principes regionum ac pagorum inter suos jus dicebant: in bello optimum & fortissimum sequebantur. Quæ Reipublicæ ratio mansit, donec mutatis sedibus in unius imperium consenserunt: etsi & tunc moribus patriis regere assueti, dura ac soluta Regum imperia fastidirent. Pristinæ quoque fortitudinis laudi posteris temporibus datum est, ut primâ acie inter *Germanos* confligerent: *peculiari scilicet*, ut Lambertus Schaffnaburgensis de reb. Germ. loquitur, *Suevorum privilegio, quibus ab antiquis jam diebus lege latum est, ut in omni expeditione Regis Teutonici ipsi exercitum prace-*

præcedere, & primi committere debeant. Sed quomodo Regnum Suevicum à Karolo M. in *Ducatum* conversum fuerit, prolixè in Annalibus Suevicis Crusius ex priscis monumentis recenset. Exinde *Ducatum Alemanniæ* Scriptores vulgò vocant: qui quum ante duo secula in *Conradini* fato extingueretur, infeliciter *Teutonici*, ut in *Paralipomenis* Urspergensis est, *quendam de Ochsenfurt, fabri filium, nomine Stoch, Regem statuerunt, licet plurimùm renitentem, qui sensim ab exercitu se subtrahens, post octo menses ad incudem in patriam est reversus.*

XVII. Porrò *Alemannis* fuére contermini BURGUNDIONES: quippe regio *Palas*, sive *Capellatium*, teste Marcellino, terminali lapide utriusque populi agros distinguebat. Gens armorum studio asperrima, quæ vergente Romano imperio, quum suprâ & infrà *Rhodanum* sedes posuisset, immutatâ veteri Reipublicæ facie Regem sibi imposuit. Is *Endinos* vulgò dicebatur; suadendi magis auctoritate, quâm jubendi potestate validus; quod de priscis Germanorum regibus Tacitus dixit. Quin potestate imperioque exuebatur, si sub eo fortuna belli titubâsset, vel segetum copiam terra denegâsset; ut Ammianus Marcellinus lib. VIII. scribit. Ex quo misera Regum conditio apparet, quos leviſſimus fortunæ casus, stolidique vulgi voluntas ad omnem contumeliam reservabat. Sed magni gentis animi, tumidique spiritus per *Francos* vehementer fracti sunt, postquam hi, devicto *Gundemaro* regnum Burgundicum sibi subjecére. Etsi nec postea, quum iterum peculiares habere Reges cœpissent, tanta libertatis cura excidérit: dum, ut Radevici verbis cap. XI. lib. II. de gest. Frid. I. utar, *ex appetitu libertatis jamdudum insolentiam & desuetudinem induerant obsequendi.* Itaque pertæsus tantæ contumaciæ *Rudolphus* Rex, regnum *Conrado* Cæsari tradidit: mansitque postea ea Burgundiæ pars, quæ *Libera* & *Imperialis* dicta est, ab omnibus vectigalibus immunis, planè ut ejus Principem omnium rerum egenum, collatis in symbola pecuniis, ab Episcopis & Clero nutriri solitum, auctores testentur.

XVIII. Nunc ad maximam validissimamque FRANCORUM Rempublicam venio, quæ *Gothis, Frisiis, Slavis, Saxonibus, Longobardis, Thuringis, Bavaris, Suevis, Burgundionibus* oppressis, Germanicam gentem in unum imperium collegit, maximumque Francorum nomen regnumque per *Europam* fecit. Populus virtutibus factisque eximius, qui meruit, ut communis fabulæ vanitatem ad suæ stirpis præconium Scriptores trahant, reliquiasque *Trojanorum* appellent. Multa de

priſcis eorum ſedibus Galli Germanique diſputârunt: ſed præ cæteris comprobata eſt ſententia Trithemii, *Francos maritimum Germaniæ populum fuiſſe, qui Oceani Septentrionalis littus juxtà Chaucos & Salios coluerint.* Marcellinus lib. XVII. & XX. *Anſivarios* ac *Salios* vocat: in priſca quoque tabula itineraria *Cheruſci* & *Chamavi* dicuntur. Sed *Francorum* nomen invaluit, poſtquam ipſi labentibus Romanorum rebus in libertatem ſe aſſererent: *Francus* enim Teutonicâ linguâ hominem liberum notat. Hi igitur *Franci* in Ubiis Rhenum transgreſſi, poſtquam maximam *Galliarum* partem ſubegiſſent, flexo velut victoriarum curſu, Rhenoque iterum ſuperatô, Alamanniam omnem â Vogeſo monte usque ad Danubium corripuêre: inde Thuringorum partem, quam Mœnus interfluit, de nomine ſuo *Franconiam* dixêre. Sed latiſſimé *Francium* imperium per *Germaniam* extendit *Karolus M.* qui quicquid ferè Germanicæ libertatis reſiduum erat, victoriis oppreſſit, & religione Chriſtianâ ad imperantis obſequium manſuefecit.

XIX. Igitur *Germania*, quum ope *Francorum* in unum coaluiſſet corpus, portio regni Francorum habita eſt; primùm ſatis abſoluto Regum ſubjecta imperio, niſi quòd *Saxonibus*, in jura populi Francici adſcitis, majora libertatis ſimulacra relinquerentur. Ipſam regionem in plures provincias ſive Ducatus diviſam Præfecti adminiſtrabant, quos *Duces*, more Romano, vocarunt. Hi ſicuti ad arbitrium Regis conſtituebantur, ita nec magna poteſtate ſe extollebant. Unde *Rupertus* Alemanniæ ſive *Sueviæ* Dux, ſe tantùm *militum Ducem* apud Leodegarium Lucernatem in vetuſtiſſimo diplomate appellat. Ducibus adjuncti erant *Comites*, vulgò Greven/ [illegible]ven/ qui juri dicundo per agros urbesque præeſſent. Eorum territoria, ubi jus exercebant, *Comitatûs* nomine veniebant, qui rurſus per *Centenas* diſtinctus erat. Qui Magiſtratus *Centena* præſidebat, Comiti ſubjectus erat. Poſtea verò, quum *Karolus M.* plerosque Ducatus magna nimis ſpatia complexos ſuſtuliſſet, provinciasque ampliores diviſas in plures partes *Comitibus* regendas tradidiſſet, enata ab his alia dignitatis nomina fuêre, quum alii ſimplex *Comitum* nomen retinerent, alii *Comitis Palatini, Landgravii, Marggr[illegible]ii, Burggravii* vocabula aſſumerent: ut alibi fuſius à nobis demonſtratum eſt. Sed *Reipublicæ Germanicæ* ſtatus, qualis ſub *Francis* fuit, melius cognoſcetur, ſi paullò altiùs repetamus, quibus legibus inſtitutisque *Francorum* imperium ſuperſtructum fuerit.

XX. Poſt conditum à *Pharamundo* regnum Francicum, Reges

ex

ex nobilitate delegebantur, nec temerè ab ordine ſanguinis diſceſſum, niſi per factiones, aut quia hæres ſceptro penitùs inhabilis videretur. Neque tamen hæreditatis jure, ut privata patrimonia, regnum deferebatur, ſed populi judicio & ſuffragiis: quod & diſerta *Karoli M.* verba, & *Pharamundi, Chilperici, Chlotarii, Odonis, Karoli & Karolomanni* electio oſtendit. Atque ut eligendorum Regum auctoritas, ita & abdicandorum poteſtas penes populum, & publica gentis comitia exiſtebat: ſicut deturbatos regno & ſubmotos *Childericum, Theodoricum, Chilpericum, Carolum Craſſum, Odonem*, Annales Francici teſtantur. Summa auctoritas in Comitiis, in quibus Populus de gravioribus controverſiis conſtituebat; & ſi quod erat gerendum bellum, ſi pax ſancienda, ſi vectigalia imponenda, ſi magiſtratus majores creandi, idem decernebat: quemadmodum illud Francicæ gentis lumen Franciſcus Hotomannus, in Franco-Gallia ſua plurimis exemplis demonſtrat. Ergò ea tempeſtate Respublica mixta apud *Francos* obtinebat, quæ inter Monarchiam & Ariſtocratiam fluctuabat: qualis & diu diviſo poſtea regno in *Galliis* remanſit, donec *Ludovicus XI.* concuſsâ populi libertate, ponere fundamenta Monarchiæ abſolutioris cœpit.

XXI. Sic *Germania* regnabatur, quum Imperio Francico addita eſſet. Nunc liberam rurſus, & ſuis propriis obnoxiam Regibus ſpectare lubet. Igitur vergente *Karoli M.* proſapiâ, quum *Karolingi* exitialibus inter ſe armis colliderentur, *Germani* Rempublicam ſuam à regno *Francorum* disjunxére, creatoque nationis ſuæ Rege in peculiarem civitatem ſeceſsére. Primus ad regnum accitus eſt *Otto* Saxoniæ Dux; quo ſenectutem obtendente, *Conradus* Franconiæ Dux, liberrimâ Procerum electione Rex Germaniæ creatus eſt. Mox *Otto Primus*, quum devicto *Berengario* Italiam ſibi ſubjeciſſet, nomen Imperii Romani, & faſtigii Cæſarei titulos in gentem Germanicam intulit. Quo quidem titulo, etſi parùm juris in antiquum Romanorum Imperium Germanico regno acceſſerit, quum jam Pontifex in Urbem Romam, ſedem Imperii, magnamque Italiæ partem incumberet; id tamen opinione & conſenſu gentium exiſtimatum eſt, ſanctam illam & cæterorum Regum ſplendore auguſtiorem eſſe majeſtatem, quæ nomen ſummi Imperii, titulosque fortunæ Romanæ jactaret, Italiamque illam inclytam, orbis dominam, gentiumque deam, obnoxiam ſibi duceret. Hinc illa Barclaii verba Euph. Sat. part. IV. *Sed nihil in ea gente magnificentius, quàm quòd nomen ſummi Imperii Aquilamque ſibi habet: tanquam Romam Germania vicerit; & provinciarum*

ultima, qua Italico jugo accesſit, jam ſit ſola, in qua nomen atque reliquiæ Fortunæ Romanæ acquieverint. Tanti nominis ſancta majeſtas, nulla ſociorum Principum æmulatione corrumpitur, Regesque, quanquam viribus ſæpe majores, ſponte Imperatorio culmini concedunt.

XXII. Tunc maximum in terris *Germanorum* regnum nomenque fuit, quum ſe non Alpium mole, non Rheni, Danubiique aut Viſtulæ finibus contineret, ſed per omnem ferè Europam ſpargeret. Nam poſt ſubjectam Italiam, tanta imperii vis Iſtrum transgreſſa, & partem Illyrici atque Thraciæ amplexa, in Hungariam ſe effudit, quam armis Henrici Aucupis & Ottonis primi fatigatam attritamque, Henricus III. in provinciæ formam redegit, & tributariam fecit; veluti ex illo ævo Wippo, Contractus, & Sigebertus narrant. Unde Salomon Ungariæ rex apud Bonfinium decad. II. lib. IV. *Ad jus Romani Imperii ſpectare dicebat Ungariam:* Et apud eundem lib. III. Henricus Cæſar inquit: *Vos Pontifices ac Satrapa hunc ex more create Regem, ac ſolemnibus ceremoniis ſacroſanctum facite; ego verò quem vos juſſeritis eſſe Regem, Salomonem, auguſtali auctoritate confirmabo.* Tunc quoq; Poloniam, qua immenſo prope ſpatio gentem Slavorum complectitur, ſuæ ditionis Germani fecêre; unde & ab Imperatoribꝰ tributum annuum indictum Polonis, & reges conceſſos Dithmarus, Wippo, Radevicus, aliique prolixè teſtantur, & vel pauca illa Helmoldi lib. I. cap. I. ſatis affirmant: *Quondam,* (Polonia) *habuit Regem: nunc autem Ducibus gubernatur; ſervit & ipſa, ſicut Boemia, ſub tributo Imperatoriæ majeſtati.* Vandali hinc, Daniaque, quâ amplisſimi terrarum tractus Balthicum mare attingunt, Germanicæ magnitudini acceſsère; quod primùm ſub Henrico Aucupe, & Ottonibus factum Adamus Bremenſis, & Albertus Stadenſis ſcribunt: exſtatque de Dania poſteris temporibus illa Friderici I. epiſtola, ad Ottonem Friſingenſem: *Rex Danorum Petrus ad curiam noſtram vocatus venit, & Hominio ac Fidelitate nobis facta, coronam Regni de manu noſtra ſuſcepit.* Jam ſi ultrà Rhenum oculos flectamus, vaſtiſſima Galliæ portio decerpta à Germanis, & imperio ſuo addita eſt: planè ut in hac orbis parte priſcos limites, quos veteres olim Germani Rhenum transgreſſi ſtatuerant, ad Rhodani ripas extenderent. Non alio utar, ac Jacobi Auguſti Thuani, maximi Gallorum ſcriptoris, teſtimoniô, cujus illa Hiſtoriar. lib. II. verba ſunt: *Poſtquam Imperium, quod in ſecunda Regum noſtrorum familia à Carolo M. incepit, qui Galliam primùm, dein Germaniam, ac totam ferè Italiam tenuit, ad Germanos translatum eſt, omnes illa provincia in Italia & extrà Italiam in limite noſtro ſub imperio Occidentali & Imperii Germanici legibus ordinatæ ſunt. Itaque Sequani, Sclabi, Leuci,*

Medio-

Mediomatrices, & in his Lotharingia, Lucemburgenſis at Namurcenſis ditio eis Rhenum & Moſam, & inter Rhodanum & Alpeis, Seguſiani, Viberi, & Veragri, qui hodie Valeſiani; Sabauti item & Allobroges Imperio & legibus Imperii parent. Regnum etiam Arelatenſe, antequam in poteſtatem noſtrorum regum veniret, ſub imperio fuit: cujus rei memoria poſt ſublatam Imperii juris dictionem aboleri minimè potuit: nam & hodie in ſermone vulgi interior Rhodani ripa Imperii, citerior Regni nomine indigetatur.

XXIII. Cæterùm quum primò *Germania*, rationibus ſeorſim poſitis, ſeceſſiſſet ab Imperio Francico, aliquamdiu formam regiminis priſci retinuit. Nam ſi vacuum Rege imperium erat, conſenſus Procerum diadema conferebat, cæteramque nobilitatem & populum in comitia partesque ſecum trahebat. Unde Witichindus, Otto Friſingenſis, Ditmarus, aliique electum ab univerſo populo Regem prodidêre. Nec tamen, ut *Francis* quoque uſitatum, ab ordine ſanguinis facilè diſceſſum eſt: donec *Henrici IV.* pueritiâ, & pravâ adminiſtratione permoti Proceres, Pontifice frigidam ſuffundente, conſtitutionem edidére, *Ut deinceps Filius Regis, etſi dignus, per ſpontaneam electionem, non per ſucceſſionis lineam proveniret.* Atque ſicuti Populus conſtituebat Reges, ita iisdem certos limites, legesq; imperandi præſcribebat, quas Romani *Regias*, noſtri Majores, teſtibus Aimoinò & Urſpergenſi, *Palatinas* dixére: nos *Capitulationem* hodie vocamus. Sed & omnis de Republica deliberatio in Procerum Populiq; Comitiis tractari peragique ſolebat, in queis de bello, de pace publica, de Principum controverſiis, aliisque ſimilibus, in commune conſulebant. Interim regia poteſtas, qualis ſub *Karolo M.* fuerat, ſuis pollens viribus vigebat, nec procerum potentiâ, nec aliorum æmulatione delibata, quum omnes ad venerationem tanti faſtigii procumberent.

XXIV. Etenim per id tempus Provincias ad morem Francorum gubernabant *Duces*, *Comites* juri dicundo præerant, *Palatini* de vectigalibus in ſingulis provinciis cognoſcebant, *Marggravii* in limitibus regni curam agebant, *Landgravii* per populos jura reddebant, *Burggravii* regias arces cum præſidio inſidebant. Quæ quidem officia, quamvis jure beneficii indulta, nec hæreditaria, nec perpetua erant: quædam tamen Regum munificentiâ ad filios poſterosque ibant. Ergo Nobilitas omnis in ſolum Imperatorem reſpiciens, ejusque aulam frequentans, validis erga regnantem obſequiis certabat, ut Præfecturas, Comitatus, agros nanciſceretur. Ipſi Reges curam rerum ſacrarum agebant, religionem ordinabant, diſciplinam Eccleſiaſticam regebant: laudabili veterum Regum exemplo, qui imperium & ſacerdotium indiſſolubili nexu jungendum

puta-

putârunt. Hinc auguſtæ illæ voces, noſtra adhuc ætate memorabiles, *Sacrum Imperium*, *Sacra Cæſarea Majeſtas*, *Sacratiſſimus Imperator*; quibus tanti ſacerdotii dignitas notatur. Et quum permultùm Reipublicæ interſit, ut boni pacatique homines ſacra tractent, Regum voluntate & conſenſu tam ipſi *Pontifices*, quàm *Epiſcopi* legebantur; ut gentis noſtræ annales paſſim oſtendunt. Quæ res alterum virium regiarum nervum conſtituebat, quum Nobilitas, Proceresque in Regum aulas propellerent liberos, ut opima ſacerdotia, quæ in tanto imperio abundè vacua, ſolius Imperatoris arbitrio reſervabantur, diuturno validoque obſequio ſibi quærerent.

XXV. Per eandem tempeſtatem Religio per totum regnum una, quæ fortiſſimô coagulô mentes jungebat; ac licet tum in gente plena ſimplicitatis, ſuperſtitioſos Principes ad venerationem ſui excitaret Roma, tamen invicta ſibi quædam patientiſſimus juſti imperii populus fecerat. Bello ingruente, vaſalli edictô citati ad ſacramentum militare veniebant, quibus ſe plebs, & cætera nobilitas aggregabat; nondum iſtâ inductâ conſuetudine, ut miles ſtipendiô emtus ad caſtra propelleretur, aut Nobiles ignavum otium militiæ, & patriæ libertati præferrent. Vectigalia omnia, quæ ex Rheno fluvio potiſſimùm veniebant, in ærarium regium, ad tolerandos aulæ ſumtus, ad aſſerendum majeſtatis ſplendorem inferebantur; quæ iſto ſeculo ſufficiebant, quum ignotâ adhuc luxuriâ, ſuus frugalitati ac parſimoniæ honos eſſet. Nobilitas omnis in ſolum Imperatorem converſa, ejus aulam frequentabat, ejus nutum reſpiciebat; quum tanti nominis veneratio animos a cultu obſequioque aliorum averteret, atque arceret.

XXVI. Sed mox cuncta immutata ſunt, quum Proceres nimiis patrimoniis per indulgentiam Regum aucti, ad libertatem plenam contenderent. Primus *Henricus* Saxoniæ Dux, excuſſo Regis obſequio, *liberâ poteſtate in Saxonia regnavit*, ut Witichindus ait. Quod jus paullò poſt nacti ſunt non ſolùm cæteri provinciarum Gubernatores, ſed & Urbes ipſæ: nam ut quisque validior erat opibus, ita facilius ac maturiùs libertatem induit. Tunc tot gentium atque populorum mentes, antea in unius Imperatoris reverentiam intentæ, ad iſtos Vicarios, & jam Dominos propiore periculo vel utilitate acceſsêre: obtorpeſcente interim regii faſtigii dignitate, quum in ſua quisque provincia abſolutum exerceret principatum, firmatâque per conſenſum; poſſeſſionem, ac tempus potentiâ, arctiores etiam leges, regnanti circumſcriberet. Itaque quum olim

olim ſummo illi culmini ineſſent dignæ vires, mox fatali velut ſenectute emarcuêre; vixque invenit tam auguſtâ appellatione dignatus agrum Urbemque, ubi cum civium venia habitaret. Quod precarium imperium, quum nonnulli poſtea viribus propriarum regionum validi exuere geſtirent, intempeſtivum ac inane moliri facinus viſi ſunt, quod inveteratis rebus eam ſubvertere potentiam intenderent, quam tot vindices ejusmodi dignitatum, in communis decoris ſecuritatem coituri, defenderent.

XXVII. Adultâ Procerum potentiâ, reſtabant adhuc Cæſari *Collationes Epiſcopatuum*, quibus nutantem majeſtatem ſuſtinebat. Sed quum *Henricus III.* illud jus gnaviter exerceret, promulgato etiam veteri interdicto, *Ne Pontifex abſque Imperatoris conſenſu crearetur*; Papæ Romani, ut illam Cæſari extorquerent auctoritatem, omnem Italiam Germaniamque ſeditionibus ac bellis impleverunt. Quæ tempeſtas inprimis agitavit *Henricum IV.* quem *Gregorius VII.* Pontifex, novo & inaudito exemplo, diris devovit, ſolutisque ſacramenti religione Principibus, in privatum ſtatum ex faſtigio rerum deturbavit. Inde quum eandem ob cauſam, regnante *Henrico V.* Germania omnis cladibus miſceretur, is tandem tot injuriis fatigatus, juri inveſtiendi Epiſcopos in Comitiis Wormatienſibus renunciavit. Hoc expiranti Imperio ſummam malorum fuit, quô non ſolùm Cæſares perdidére dimidium Imperii, ut Onuphrius Panvinius dicebat, ſed ultimum virium nervum exciderunt. Illô enim potentiæ vinculô ruptô, *Eccleſiaſtici Electores*, ut Nicolaus Burgundus in Hiſtoria Ludovici Bavari veriſſimè queritur, *nullo amplius beneficii vinculo, nullo amicitiæ nexu Imperatori obſtricti, inter corruptos ſeculi mores paulatim intumeſcere, faſtigio illudere, rerum arbitrium, publica fata in ſe transferre, principatum abdicare pro libidine, nemine adverſante; cùm ferociſſimi Procerum in partes, cæteri terrore, vecordiâ, poſtremùm & pecuniâ averterentur. Inde tot Imperatores præcipitati de culmine; alii in turbas factionesque diſtracti. Imperium verò ipſum continuis agitatum Pontificum procellis, fœdè nundinationibus expoſitum: donec ad ultimum externorum gentium ludibriis evileſcens, omne decus majeſtatis amitteret.*

XXVIII. Sic *Germania*, quæ mox uno ſub ſpiritu par toti Europæ fuerat, in diverſos iterum Principatus & Respublicas, veteri regionis fato, diſtributa eſt: felicioribus tamen auſpiciis uſa, ac antiquiſſima *Germania*, quum nunc ſub uno capite, etſi illius in cunctos caſtigata ac circum-

ſcripta poteſtas ſit, vires conjungere videatur. Sed de forma Reipublicæ Germanicæ, qualis jam obtinet, multi ætate noſtrâ libros implevêre; quorum alii ſtatum Monarchico-Ariſtocraticum, alii Ariſtocraticum, alii monſtroſius aliud quid Imperio noſtro attribuerunt. Nobis ea de re diſſerere curioſiùs haud lubet; precati nunc potiùs, ut Deus immortalis rem Germanicam fortunet, felicitatem publicam ſtabiliat, & fractis hoſtibus, aſſertis finibus, vindicatâ gentis noſtræ libertate, pacem clementiſſimè largiatur. Sed & illud vovere lubet, ut diu ſub manſuetudine Auſtriaca requieſcat Germania, vigeatque ſtirps illa in æternitatem ſuam valida, quæ magnitudine victoriarum, felicitate regnandi, ad ſummam potentiam ſubvecta, Imperium Germanicum, tria per ſecula, in noſtram usque ætatem ſuſtinuit. In cujus pariter laudibus ſemper memorabitur, quod ejus beneficiô Germanicum nomen per univerſum ferè terrarum orbem diffuſum ſit, dum auguſta illa progenies vaſtiſſimos terrarum tractus, ignota littora, inſularum immenſa ſpatia, ac naturæ deficientis terminos adjecit, ut intra ejus fines utrumque ſidus curreret,

Omniaque errantes ſtella Germana viderent.

DISSERTATIO HISTORICA SECUNDA,

DE

GENERIBUS SIVE ORDINIBUS VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIUM.

§. I. Germania medio ævo concinnè in ſuos ordines fuit diſtributa. §. II. Diſtinctio Germanorum in quatuor ordines. §. III. Primus ordo Nobilium. Quid & unde Adelingi apud Francos Saxonesque. §. IV. Reges ex nobilitatis ordine ſumti. §. V. Regni haredes Adalingi dicti. §. VI. Dignitas & ornatus eorum. §. VII. De Ducibus ac Comitibus, qui & Adalingi

dalingi appellati. §. VIII. Qua Nobilium apud priſcos Germanos conditio, quisve ſtatus ratione honorum. §. IX. Libertatis, §. X. Militiæ & plebeiarum artium. §. XI. De ſecundo ordine, qui Ingenuorum fuit, Conditio eorum, §. XII. fortuna, §. XIII. ſtatu, nomina. §. XIV. De Servorum ordine. Unde & quibus de cauſis Servitus in Germaniam inducta. §. XV- XVII. Varia Servorum nomina & genera. §. XVIII. Quid homines Fiſcalini, quid Eccleſiaſtici. §. XIX. Servorum conditio, § XX ſtatus, §. XXI. onera. §. XXII. De Manumiſſione, §. XXIII. ejusque variis modis. §. XXIV. Quartus ordo Libertorum. Cur Tabularii, Chartularii, §. XXV. Cenarii, Aldii &c. in Legibus dicantur. §. XXVI. Qua eorum conditio fuerit. §. XXVII. Fulfreales §. XXVIII. Quanta religione cautum fuerit, ne ordines aut matrimoniis. §. XXIX. aut vulgatis honoribus confunderentur.

Nihil, ex ſapientiſſimorum hominum ſententia, neque ad intuendum pulchrius, neque ad animi oblectationem jucundius, aut ad uſum commodius præſtitit magnus ille rerum omnium Parens atque auctor Deus, quàm ubi permiſtas confuſasque rudis materiæ partis diſcrevit, certoque ordine ſuis quamque in ſedibus collocavit. Mihi quoque Respublicas & magnas Orbis Civitatis conſiderandi, nihil illo imperiô pulchrius, nihil grandius aut melius occurrit, in quo cives decenti atque apto ordine ſic conſtituti ſunt, ut primi poſtremis, medii utrisque, omnes omnibus nexu quodam & vinculo inter ſe conjuncti degant, magnumque illud imperii corpus, quod multis manibus diverſoque ſpiritu animandum eſt, ſuâ quisque dignitate, ſuoque loco ſuſtineant. Quo magis Veterum Germanorum Rempublicam, quæ potiſſimum mediis ſtetit ſeculis, celebrare lubet: quippe ea populorum in ſuos ordines concinna diſtributio, id pulcherrimum inter cives temperamentum, ut vel his ſolis de cauſis, non unius modò Europæ, ſed totius orbis terrarum clariſſima ornatiſſimaque habita ſit. Itaque æquiſſimo illo diſcrimine factum eſt, ut ſinceritatem connubiorum ſervaret, æternitatem & magnitudinem imperii ſui ſtabiliret, denique colluvionem gentium, ac perturbationem auſpiciorum publicorum privatorumque, feliciſſimè à civitate ſua ſubmoveret. Qua in re fortunam Reipublicæ Romanæ anteceſſit, quæ perpetuis contentionibus, maximisque turbis agitata eſt, poſtquam in civium diſtinctione

visum esset, ne plebs affinitatibus Patrum aut sanguini immisceretur, neve cum infimis honores Consulares vulgarentur.

II. Sed Ordines, quibus prisci *Germani* inter se distincti fuère, in universum haud amplius quatuor reperiô, quorum primus NOBILIUM, alter INGENUORUM sive LIBERORUM, tertius LIBERTORUM, quartus SERVORUM fuit. Disertissimè de iis Tacitus in lib. de morib. German. *LIBERTI non multum supra SERVOS sunt: rarò aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnantur: ibi enim & super INGENUOS & super NOBILES ascendunt.* Idem ævi inferioris scriptor Adamus Bremensis de *Saxonibus*, imò universis *Germanis* sic tradit: *Quatuor differentiis gens illa constitit: NOBILIUM scilicet, & LIBERORUM, & LIBERTORUM atque SERVORUM.* Sed Nithardus tres tantùm ordines constituit, ubi Historiæ Francorum lib. IV. scribit: *Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus divisa consistit: sunt enim inter illos Edlingi; sunt, qui Frilingi; sunt, qui Lazzi illorum linguâ dicuntur: Latina verò lingua hoc sunt Nobiles, Ingenui, & Serviles.* Cui suffragatur Hucbaldus, in vita Beati Lebuini, tum versus ille apud Wernerum Rolevinc de Situ & Moribus Westphalor. lib. II. cap. I.

Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.

Verùm præter historiarum fidem heic *Servorum* ordinem omitti, Cluverius rectè asserit: quod inde factitatum existimat, quia *Liberti non multùm suprà servos erant*, ut Tacitus testatur. At fuisse distinctum eorum à Servis ordinem, præter adducta Taciti atque Adami Bremensis testimonia, satis ostendunt antiquæ Leges, in quibus Servi manumissi peculiari nomine *Lazzi* & *Frilazzi* muncupantur. Nos igitur rectè atque ordine facturi sumus, si primùm NOBILES, inde LIBEROS sive INGENUOS, tum LIBERTOS, denique SERVOS, consideremus, eorumque originem, statum, conditionem, paulo altius ex priscis monumentis repetamus.

III. Primus ordo erat NOBILIUM, quo nomine fuère insignes, qui aut fortibus factis gloriam sibi ipsis quæsiverant, aut quorum stirps stabat:

Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

Unde *Saxonibus*, *Francisque* ADELINGI, EADLINGI, EDHILINGI dicebantur: quòd, ut in Legibus Edwardi Confessoris est, *in quadam regione Saxoniæ, LING imago dicitur: ADELA Anglicè, NOBILIS Latinè: quòd simul*

mul conjunctum ſonat nobilis imago EADLING. Primordia auguſti hujus ordinis antiquiſſima ſunt, & è primis bellis enata: quum ſummam in iis eſſe dignitatem putaret gens bellicoſiſſima, qui rei militaris virtute ac laude cæteros antecellerent. Sed inprimis crevit hic ordo, & ad ſummum decus proceſſit, poſtquam *Gothi* ex Scandinavia egreſſi, victricia arma per Europam circumferrent, fortiſſimisque hominibus, tantum virtutis ornamentum liberali fortitudinis præmiô tribuerent. Prorſus, ut ſeriô dicere ſoleret *Karolus* Quintus Imperator, *omnem totius Europæ nobilitatem, è Scandia & Gothorum ſtirpe exortam fuiſſe*: quum ſanè Gothicam ſtirpem nobiliores & antiquiores per *Galliam, Hiſpaniam, Italiam* familiæ, quas noſtra florentes adhuc videt ætas, maximam partem jactent oſtententque. Ut proinde vaniſſima eorum ambitio ſit, qui nobilitatis ſuæ conditores ferunt *Trojanos*, & ex ipſa Aſia Græciaque *Jovem* & jacentes in Heroum amplexibus deas, in partem decusque generis ſui arceſſunt. Atque ut hi ſanioribus ludibrium meritò debent, ita eorum ridenda eſt ambitio, qui in gente noſtra, haud obſtante temporum confuſione, & hiſtoriarum ignoratione per aliquot annorum millia Majores ſuos recenſent, & ubicunque defecit nomen illuſtre, illico Regem ex Beroſo aut poeticis fabulis fingunt, ut ultrà diluvium Noeticum primordia ſtirpis ſuæ extendant: paulò modeſtiores Arcadibus, qui ſe ante Lunam ortos jactitabant. Mihi heic placet illud Senecæ: *Eadem omnibus principia, eademque origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. — Unus omnium parens mundus eſt: ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, ad hunc prima cujuſque origo perducitur.*

IV. Nobilium ordo primùm ſufficiebat Reges, utpotè qui ex nobiliſſimis familiis ad faſtigium regale provehebantur. Tacitus lib. de Moribus Germ. *REGES ex NOBILITATE, Duces ex virtute ſumunt.* Et ex poſteriori ævo Gotfridus Viterbienſis Chron. part. XVII. ad An. DCCLXXVII. de Longobardorum Regibus: *Omnes Reges illi fuerunt ADELINGI, id eſt, de NOBILIORI PROSAPIA, quæ apud illos dicitur Adelinga.* Pariter de *Francis* ſcribit Gregorius Turonenſis, Hiſt. Franc. lib. II. cap. IX. *Eos juxta pagos vel civitates REGES crinitos ſuper ſe creaviſſe de PRIMA ET NOBILIORI SUORUM FAMILIA.* Inde diu manſit apud Francos conſuetudo, ut inter Regis titulos vocabulum *Nobilis* adſcriberent: ſed poſtea peculiari nomine Domni ſive Dompni, ad nobilitatem & potentiam ſimul oſtendendam, dicti ſunt; quod verbum à *Domino*, priſco Imperatorum Romanorum titulo,

ſola, quod Tacito teſte apud vetuſtiſſimos Germanos in uſu fuit, quum ex prima nobilitate ſumebantur. Sic antiqua *Agilolfingorum* familia *Bojoariis* diu Duces dedit: *habuitque hoc privilegium à priſcis Francorum Regibus, ut ſi quis fidus regno, prudensque ex eadem progenitus compertus eſſet, non aliunde quisquam adſciſceretur in Ducem:* veluti Rhenanus lib. II. Rer. Germ. ex legibus Theodorici Regis loquitur. Pariter apud *Francos* ex nobilioribus familiis legebantur Proceres Regni, quos eâ tempeſtate *Graviones* ſive *Comites* dixére: quod fuſius in Capitular. libr. VI. cap. CXLIII. exponitur. Ea de cauſa lex in Jure Germanico priſca extat, quæ Nobilibus imperat, ut ad cognoſcendas Imperii res, legesque ſua conferant ſtudia, quo Ducatus, Comitatus, cæteraque regni ſumma munia ritè adminiſtrare queant. Ac de *Comitum Palatinorum* dignitate, quæ omnium maxima poſt Reges inter *Francos* fuit, refert in vita *Karoli M.* Eginardus, *Hunc honorem non aliis à populo dari conſueviſſe, quam iis, qui & CLARITATE GENERIS, & opum amplitudine cæteris eminerent.*

VIII. Statueram heic, ſingulos *Nobilium* gradus paulò altiùs perſequi, ut Regum, Ducum, Comitum ſtatum atque dignitatem veterem ante oculos ponerem: ſed quum de his aptior alibi diſſerendi locus ſit, nunc tantùm de *Nobilibus* generatim, ex quibus cæteri coorti, pauca diſtinctiùs ſubjungam. Hi in Legibus Canuti Regis *Æthelinge*, apud Hucbaldum & Nithardum *Edlinge* nuncupantur: quod nondum apud Germanos antiquatum eſt, qui Nobiles omnes Edelleute/ & die Adelen appellant. Sed quæ clariſſimi ordinis dignitas, quisve ſtatus fuerit, ex priſca illa lege, quæ apud Goldaſtum diſperſim extat, ſatis cognoſcitur: NOBILES PRAE CAETERIS AD HONORES ADMITTUNTOR: LIBERTATE AMPLA FRUUNTOR: MILITIAM COLUNTO: PLEBEIIS ARTIBUS ABSTINENTO. Jubetur primùm, ut Nobiles ad dignitates Civiles Eccleſiaſticasque præ reliquis aſſumantur. Hinc vigente pueritiâ in aulas Regum admiſſi, ut decorô ſplendidoque obſequiô commendarentur: unde *Adelſchalchi*, id eſt, *miniſtri Nobiles, pueri Regii*, apud Bavaros Francosque, apud Anglo-Saxones autem *Thani Regii* dicti fuére. Mox creſcente ætate majoribus admoti officiis, *Miniſteriales* vocati: donec ab aulis dimiſſi, *Feudis* & *Allodiis* donarentur, quorum ipſi, ut Lex ait, *maximè ſuſceptibiles* erant. Quin, ut eorum excellentiam oſtenderent leges, hos *Homines Majores*, cæteros *Mediocres, Medios, Minores*, dixére. Sic ſæpius in Legibus Longobardicis invenias *Homines Majores*; in Burgundicis *Mediocris Burgundus*; in Alamanni-

mannicis, *Medius Alamannus*; in Francicis *Homo minor*: quæ voces de ſtatu ſingulorum in Republica intelligendæ ſunt.

IX. Sequitur: LIBERTATE AMPLA FRUUNTOR. De eximia *Nobilium* libertate Tiraquellus ac Noldenius multa congeſsére: qualia illa ſunt, *quòd omnium vectigalium habeant immunitatem; in ære alieno, aut delictis habendi cæteris mitiùs leniusque ſint: ab oneribus publicis liberam ætatem agant.* Fuit quoque tempus, quum ipſis ferè Principibus exæquati, inter Proceres Regni haberentur, & ad comitia conciliaque Imperii magnam auctoritatem afferrent: ſed ab hac poteſtate dejecti fuére à Clodovæo *Alamanni*, à Karolo M. *Saxones* & *Boii*, quos humiliores infirmioresque victoria Regum reddidit. Diutiùs apud *Francos* eximia eorum potentia viguit, dum Proceribus immixti, inſigni libertate, ad Rempublicam adminiſtrandam pariter accederent: donec hèic quoque Reges Principesque, quibus grave erat tot minutos Regulos, in ſuo tolerare Imperio, moleſtos paullatim in ordinem redegerunt. Tametſi poſtea *Suevici*, *Rhenani*, *ac Franconici*, extinctis Ducibus ſuis, turbatisque mirum in modum rebus Germanicis, in plenam Imperialem libertatem ſeſe aſſeruerint; unde & hodie *Immediati Nobiles*, vulgo die freye Reichs von Adel / die freye Ritterſchafft appellantur.

X. Poſtrema legis verba ſunt: MILITIAM COLUNTO; PLEBEIIS ARTIBUS ABSTINENTO. Diximus jam, originem Nobilitatis Germanicæ eſſe militiam: ſerò enim ingenii artibus, ſerò aliis honeſtis diſciplinis tantum ornamentum acceſſit. Itaque primaria Nobilitatis dignitas erat militaris: in hac virtutis experimentum ponere, hac inclareſcere, pulcherrimum facinus habebatur. Inde communi appellatione *Milites* per media ſecula audiunt: & eadem de cauſa Anglo-Saxonibus *Armigeri*, *Scutiferi*, *Loricati* dicuntur. Aſſignata autem, vigente *Francorum* imperio, præcipuè Nobilitati eſt militia equeſtris, quæ honoratior exiſtimatur: hinc clarum illud *Equitum* nomen, hinc vocabula illa Ritter- und Roßdienſt manſére. Ad cætera legis verba, ne Nobilitas plebeiis artibus inſueſcat, pertinet Privilegium *Henrici VI.* quod Patricios Noribergenſes, teſte in Annalibus Suevicis Cruſio, cæteris Nobilibus, qui montana incolunt, dignitate exæquat, & Equeſtrium certaminum participes reddit: *modò ut antea, ſic in poſterum MERCATURA ET CAUPONARIA ABSTINEANT, ſuisque annuis reditibus victitent.* Ita inter duodecim leges *Torneamenti* erat, ne clariſſimo intereſſet ludo, qui mercaturæ aut fœnori deditus, ex pecuniarum quæſtu

duceret ſordidam vitam, aut illiberali artificio dignitatem generis inquinaret. Addit *Karoli M.* conſtitutio apud Aventinum, ut fortibus, & ſua ſtirpe dignis facinoribus intenti ætatem agant, neve alienis meritis inertes ſocordesque incumbant. Sola enim virtus, ſolusque animi cultus eſt, qui Nobilem à plebe ſecernit, & reliquorum cervicibus ſupervehit: cætera aliena ſunt, quæ ex domeſticis faſtis, & fumoſis imaginibus, & Majorum ſplendore titulis tuis adſcribis:

Sed Te cenſeri laude Tuorum,
Pontice, noluerim, ſic ut nihil ipſe futura
Laudis agat. Miſerum eſt aliena incumbere famæ.

XI. Tranſeo nunc ad ſecundum ordinem, qui INGENUORUM ſive LIBERORUM Hominum fuit: quos Nithardus & Hucbaldus FRILINGOS, à Saxonibus appellatos tradunt, deſumto vocabulo à Fry & Ling/ quod *liberam progeniem* notat. Dicti autem *Liberi* ſive *Frilingi*, quod Nobilibus non eſſent ſubjecti, ſed ſuo jure, ut nunc oppidani, uterentur: unde & Cluverius haud male *Burgarios* vocat. Idem oſtendebat vox *Ingenuus*, quemadmodum ex illo Gregorii Turonenſis de mirac. S. Martini cap. XXIII. liquet: *Erant enim INGENUI, & POSSESSIONEM PROPRIAM poſſident.* Hinc *res Ingenuiles* apellatæ, quæ liberè tenebantur: quales agri illi ſive *manſi*, de quibus Anonymus è geſtis Normanorum ante Rollonem ducem: Anno IↃCCCLXIX. *Carolus cum Nortmannis paciſcitur — de unoquoque manſo ingenuili exigantur VI. denarii, & de ſervili ſex.* Cæterum *Ingenuum* ſive *Liberum* conſtituebat ipſa naſcendi ſors & origo, quum *Ingenuus* haberetur, qui ex matre, conceptione, partu, medioque tempore libera editus foret. Nam partus ſemper ſequebatur ventrem; & ut Vadianus ex legibus Alamannicis ait: *Ex liberi non niſi liberi ſeu ingenui naſcebantur.* Sic ſi *ingenuus* ancillam ſervamque ſibi junxiſſet matrimonio, liberi inde procreati, fortunam matris, id eſt, ſervilem conditionem ſubire cogebantur. Edictum Theodorici Gothorum Regis à *Francis Alamanniſque* poſtea renovatum, Leg. LXV. *Quoties ſe ancilla ingenuus miſcuerit, neceſſe eſt, ut omnis matrem ſequatur agnatio; id eſt, filii omnes ad dominum ancillæ pertineant.*

XII. *Liberorum* ſeu *Ingenuorum* fortuna *Nobilibus* ferè exæquata erat: nam & in Municipiis pariter habitabant, & ad belli honores, ac Reipublicæ munia poſt illos veniebant. Teſtamentum conſcribere, opes ſuas legare aut transferre, his ſolis præter Nobiles permiſſum: neque enim

enim *Liberti*, neque *Servi* ea poteſtate gaudebant. Capitularium lib. IV. cap. XIX. *De homine libero ut poteſtatem habeat, ubicunque voluerit, res ſuas dare, & qualiter hoc facere debeat.* Hinc ampliſſimæ illæ Donationes, in Monachos & ſacras ædes effuſæ, quarum ingentem cumulum nobis Antiquitates Fuldenſes & Traditiones cœnobii S. Galli apud Piſtorium & Goldaſtum exhibent. Ipſi ſe in cujuscunque Principis poteſtatem clientelamque, prout viſum eſſet, committere poterant: quod à *Longobardis* primò conceſſum, poſtea ab *Francis* in Legibus eorum repetitum eſt. In Collectione Capitularium Lotharii I. Imperatoris: *Stetit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant ſe commendandi ubi voluerint.* Ita pro lubitu domicilium mutabant, & cum *fara* ſua, id eſt, tota proſapia, aliò migrabant; veluti lex illa Longobard. Lib. III. Tit. XIV. permittit: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquò, poteſtatem habeat intra Dominium regni noſtri cum fara ſua migrare.* Pariter ſummâ matrimoniorum libertate uxores quærebant, nec uti Servi Libertique, flammas ſuas ad aliorum voluntatem temperare cogebantur: quin ſi uxores ſine liberis fato eſſent raptæ, ipſi hæreditatem omnem adibant. Id apud Angeſiſum in Capitular. lib. IV. cap. XCIX. ſancitur: *Quicunque liber ex quacunque natione legitimam uxorem ceperit, ſi eam mori contigerit ſine filiis amborum, vir uxori ſuæ ſuccedat, & omnia bona percipiat.* Premere libera colla ſervili jugo, aut ad mancipiorum adigere labores, aut vinculis onerare, grande crimen habebatur: veluti præter Leges Longobardicas oſtendit lex illa Bajoar. cap. X. Tit. I. *Vt nullus Liberum ſine mortali crimine liceat inſervire, nec hæreditate ſua expellere.*

XIII. Sicuti verò *Ingenui*, ſi claris facinoribus intendiſſent animum, ad *Nobilitatis* decus proximo gradu conſcendebant; ita aut ſocordiæ, aut malis artibus dediti, ex Libertatis ſtatu in ſervitutem prolabebantur. Multos ex veteri poſſeſſione detraxit æs alienum, poſtquam ventre & gula patrimonium lacerâſſent. Fuére quoque, qui intempeſtivâ quadam pietate turbati, res ſuas Eccleſiæ aut Monachis donarent, & viciſſim agros aut domum in beneficii modum ad vitæ tempus reciperent: quorum plurima exempla in Traditionibus Fuldenſibus occurrunt. Qua quidem liberatalite, quum annuâ penſitatione res ſuas feciſſent obnoxias, tum ſtatum libertatis ſuæ vehementer concuſsere. Unde & *COLONI* dicti, quorum mutatam conditionem

ſatis arguit illa Alamannorum lex, quâ propter inæquale conjugium, libera puella nullam agri paterni accipiebat partem, ſi *Colono Regio* vel *Eccleſiaſtico* nupſiſſet. Ejusdem generis erant JAMUNLINGI, qui ſe & res ſuas in potentioris Epiſcopi vel Abbatis patrocinium tradebant, ut eô modo militiam & Reipublicæ onera evitarent. Privilegium *Othonis* Imp. ad Epiſcopi Adaldagi preces Monaſteriis conceſſum: *Si verò aliquis ex libertate voluerit JAMUNDLING, vel Litus fieri, aut etiam Colonus ad Monaſteria ſupradicta, cum conſenſu coheredum ſuorum non prohibeatur.* Ubi LITI quoque mentio fit qui ut paullo poſt dicemus, liber erat homo, ſed qui pretiô ſe mancipaverat.

XIV. Proximus poſt *Ingenuos* ordo erat LIBERTORUM, quos Saxones LAZZOS dixêre: ſed quum hi originem hauſerint ab *SERVIS*, res ipſa hortari videtur, ut horum originem, ſtatum, conditionem præmittamus. Igitur primùm ex ſententia Philoſophorum & Jure Conſultorum conſtat, SERVOS vi atque armis primùm introductos eſſe, quum omnes homines naturâ liberos naſci cenſeant. Qualis ſervitus, quum jam, teſte Tacito, antiquiſſimis temporibus apud *Germanos* obtinuerit; tum potiſſimùm ſeculo poſt natum Chriſtum quinto invecta eſt, poſtquam Francorum Rex *Clodovæus* ingenti ſtrage *Alamannos* ad Tolbiacum fregiſſet; quod fuſiùs Turonenſis lib. II. cap. III. Æmylius ſub Clodovæo, Sigonius de regno Italico lib. XVI. perſequuntur. Hoc enim illud bellum eſt, ut rectè Rhenanus ait, quod Majoribus noſtris libertatem ademit; dum *Franci*, more Romanorum, gentem fortiſſimam, cujus rebellionem extimeſcebant, ſervitiô premendam, ademptoque armorum uſu, & civitatis libertate erepta enervandam putârunt. Sic frequens ſervitus apud *Suevos*, *Bavaros*, *Thuringos*, *Miſnios*, *Haſſos*, invecta eſt: & ut Vadianus in Epiſt. apud Goldaſtum Tom. II. Antiq. Alam. inquit: *Plena fuit ſervis & ſervitutibus Alemannia noſtra, cujus magna pars hodie Helvetia eſt: nec eſt, quod ſciam, montanus pagus aliquis Helveticus, qui rebus Francorum florentibus duriſſimam illam ſervitutem non ſerviverit.* Atque hunc *Francorum* morem Karolus M. imitatus eſt, qui devictis *Saxonibus* & *Weſtphalis* magnam gentis partem jugo ſervitutis addixit, & triginta millibus Nobiliorum hominum in *Vbios* & *Belgicam* translatis, ferociſſimam nationem infregit: quemadmodum Æmilius lib. II. ſub Karolo M. narrat. Et in Annalibus Francorum ad An. DCCLXXVII. *Ibi Saxones baptiſati omnem ingenuitatem & omnem proprietatem ſuam ſecundùm morem gentis abdicarunt.* Latiùs etiam ſervitus per bellum diducta eſt, poſtquam Saxones cæterique Germani *Sla-*

vos

vos ſive *Vandalos* armis domuiſſent. Nam quum hi, gentilium ſacrorum tenaciſſimi, vicinos Germanos religioni Chriſtianæ deditos, diu multis modis infeſtaſſent, tandem Saxones aliique Germani hanc vim ex occaſione ulti, magnam partem ſub jugum redegerunt: tenaci adeò, & violento ſervitutis nomine, ut quum primitùs apud Germanos nomen *Slavorum* haberent ii, qui è forti *Slavorum* gente capti, ſub iugum miſſi fuerant, mox latius extenſa ſignificatione, & in noſtrum ævum porrectâ, vocabulum Schlaw ſive Schlave ad cujusvis gentis captivos, vel mancipia ſervosque transferretur.

XV. Poſt belli fortunam, quæ multos etiam ſplendidiſſimè natos ad jugum ſervile depreſſit, aliis quoque de cauſis Servitus inducta, & libertas ſublata eſt. Sic priſci Germani noviſſimo aleæ jactu & libertatem ſuam proponebant, & victi in ſervitutem tranſibant. Tacitus in libel. de morib. Germ. *Aleam, quod mirêre, ſobriè inter ſeria exercent; tanta lucrandi perdendique temeritate, ut, cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit.* Sed *Francis* rerum potientibus, plerique quum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum premerentur, ſe ſe in ſervitutem Nobilibus, Liberisque dicavêre, & certo pretio ingenuitatem ſuam manciparunt. Hi Liti, Lidi ſive Lidones, dicti ſunt, deductâ voce à Germanico Lid, Loon, *famulorum mercede*, ut Vitus Amerbachius annotavit. Crebra eorum mentio in Legib. Salic. Ripuar. Friſon. Saxon. Longobardorum: item in variis Cæſarum ac Regum privilegiis, inq; veteribus formulis: & apud Albertum Abbatem Stadenſem, in An. 10 cccxvii. *Plures autem ſe eis dediderunt proprios: & qui ab eis vivere ſunt permiſſi, LITONES ſunt ab eodem vocabulo nuncupati: inde LITONES in provincia Saxonum ſunt exorti.* Præterea multi, ut Aventinus Annal. Bojor. lib. vii. loquitur, religionis ardore incenſi, ſua ſponte & gratis ſeſe in ſervitutem conſecrarunt, Monachisq; ac Sacerdotibus devoverunt: fortaſſe quòd curatiùs ſalutem ſuam illis fore ſtudio curæque putarent, ſi & corpora & opes religioſiſſimè, tanquam venales gladiatores, Sacerdotibus addixiſſent. Plurimos etiam dejecit ad ſervile jugum Dominique obſequium illicita Venus, ubi nimirum turpi flagitioſoque amore contaminaſſent, aut inæqualibus nuptiis ſanguinem miſcuiſſent. Lex Bojarior. cap. viii. Tit. i. *Quia ſe illicita conjunctione polluerant, carnant libertate, & Servis fiſcalibus adgregentur.* Eadem cæteris ſceleribus ſæpe aſſignata pœna; ut ex eadem lege cap. ix. obſervare licet, ubi de eo, qui ſacram diei Dominici lucem

laboribus quotidianis violare ſoleret, ſtatuitur: *Et ſi nec ceſſaverit, tunc perdat libertatem ſuam, & ſit Servus.*

XVI. Adacti in ſervitutem variis nominibus inſigniebantur; quæ & eorum ſortem, & conditionem ſervitii, exprimebant. In Legibus Gothicis ac Longobardicis ſimpliciter dicuntur ORIGINARII, qui origine ſervi erant: quorum fortuna cæteris aſperior humiliorque videbatur. Apud *Francos Bojosque* innotuêre VILLANI, Anglo-Saxonibus GENEATH vocati, qui villis agrisque addicti rem agreſtem curabant, arabant, fodiebant, ſepiebant, metebant. His oppoſiti erant BORDARII, quos Anglo Saxonum Leges *Villanis* ſemper poſtponunt: quorum ſervitium domeſticum fuit, ut nempe neceſſaria importarent & exportarent, molendoqve, & ligna parando, atque aquam hauriendo, & his ſimilibus laboribus diem traducerent. Unde à *Burdone*, id eſt, mulo vocatos haud malè fortean ſtatuerem, niſi Lindenbrogius ad veterem Legem Friſonum, Tit. de *Bortmagad*, perſuaderet, *Bord* priſcâ Saxonicâ linguâ *Domum* eſſe. Utrisque meliorem ſortem nacti fuere CASATI, qui *caſatam*, id eſt, habitaculum cum terra idonea ad unam familiam alendam poſſidebant. Eorum plures continebantur in feudo militari, quod à Regibus Vaſalli nobiliores accipiebant. Capitularium lib. III. cap. VIII. *Miſſi noſtri diligenter inquirant, quid unusquisque de beneficio habeat, & quot HOMINES CASATOS in ipſo beneficio.* Inter hos eminebant LITI ſive LIDONES, dedititium hominum genus, de quibus paulo ante diximus: unde *Litimonium* in formulis veteribus eſt, quo ſervitium eorum ſignificatur. In privilegio Mindenſis Eccleſiæ, quod Henricus & Conradus Impp. conceſsêre, invenio quoque vocabulum MAALMAN, quod inter Servorum genera ſic numeratur — *Homines ipſius Eccleſiæ francos, liberos & Eccleſiaſticos, Litones, MAALMAN vel ſervos cujuslibet conditionis, ſeu colonos &c.* Huc pertinent BOBONES, ſive BUBII, yiliſſimum ſervorum genus, quos Uriſtiſius *lixas*, *calones*, *mediaſtinos* interpretatur. Chronicon Colmarienſ. Dominican. ad AN. MCCXCVI. *Venerunteque nudi Bubones, & agros bene ſeminatos everterunt.* Et ad An. MCCC. *Servorum autem pauperum, qui dicuntur BUBII, tanta fuit multitudo, quod Regi dicebant, Date nobis res in civitate, & vobis eam trademus.*

XVII. Frequens quoque, ac vulgare ADSCRIPTITIORUM nomen, quorum conditionem ſic exponit Niger lib. Scaccarii cap. de Danegeldo: *ADSCRIPTITII de Regni Jure non ſolum ab hu, qua modò poſſident,*

ad

ad alia loca à Dominis ſuis transferri poſſunt, verum ipſi licitè quoque venduntur. Quibus adnumerari aliqua ratione poſſunt HOMINES PROPRII, quos exoleſcente antiquâ ſervitute inopia plebis, & amplitudo divitum familiarum in *Galliam*, *Germaniam*, *Poloniam*, *Ungariam*, *Ruſſiam*, *Daniam*, *Sueciam* invexêre: quamvis juxta Zaſium JCtum, *nec Adſcriptitii ſunt, nec coloni, nec capite cenſi, nec ſtatu liberi, nec liberti, ſed de omnium natura aliquid participant.* Quamobrem ipſe novum hoc Servorum genus *Anonymos* vocat. Sed Arniſæus de Republ. lib. I. cap. III. ſcribit, eos Polonis dici *Kmetones*, Danis *Bondons*, Germanis Leib-Eigen, Gallis *Taillables*: quos poſtremos Bodinus lib. I. de Rep. cap. IX. *Manus mortuas vocat*, & adſcriptos eſſe glebæ, ſervilemque ſpeciem retinere tradit. In Palatinatu noſtro WILDFANGII audiunt, à Teutonico Wildt, *re incerta cura Dominique*, & fangen *capere*: quòd quo tempore ſe homo ille ſubmittit Palatino Electori, Domino & certa ſocietate civili careat. Atque hoc illud nomen eſt, quod nuper magnis animorum motibus, & tam bello, quàm ſtylô per Germaniam celebratum eſt: inviſo plerisque *Wildfangiatus* vocabulo, quòd divinis humanisque legibus adverſum venatum inferre videretur: quod tamen nominis inane crimen luculenter & verè ſuſtilit Juſtitia Cauſæ Palatinæ, poſtquam demonſtratum eſt, meliore in Palatinatu *Homines Proprios*, quàm alibi conditione haberi. Cæterùm *Adſcriptitii* cognati quoque erant ACCOLABI, ſive ACCOLANI, qui cum fundo tranſibant. Quæ vox in Antiquitatibus Fuldenſibus paſſim obvia, ubi illa plerumque Traditionis formula eſt: *Donatum in perpetuum eſſe volo — cum terris, domibus, adificiis, ACCOLABIS, mancipiis, ſylvis, arealis, &c.* Brito Armoricus Philip. lib. IV. vocat *gleba Servos*, quòd cum agro ſervirent, alienarentur, acquirerentur:

Quis ſint vel GLEBÆ SERVI, vel conditionis.

Ubi *Gleba Servis* jungit *Servos conditionarios*, qui ſecundum certam agrorum conditionem domino ſunt addicti; quorum & Gelaſius Papa Can. Non Confidat, LIII. diſtinct. L. & Ivo Carnotenſis Epiſt. CXLVII. meminerunt.

XVIII. Sed omnis Servorum numerus ad tres potiſſimùm claſſes referebatur, quarum prima FISCALIORUM ſeu FISCALIUM erat. Formulæ Solen. cap. XC. *Pro natívitate Domicelli noſtri, ill. ut à Domino vita ei concedatur, de unaquaque villa FISCALES tres homines ex ſervientibus in utroque ſexu à ſervitio relaxare.* Appellati autem *Fiſcales*, quòd res & corpus

corpus fiſco Regis ceſſiſſent : unde & *Regios Servos* vulgò Königs-Leut / Fiſcal-Leute / Hiſtoriæ ac Leges priſcæ vocant. Altera erat SERVORUM ECCLESIASTICORUM, vulgò Gotts-Hauß-Leuten / Kloſter-Leuten / S. Peters-Leuten / des h. Creutz-Leuten / quos ipſe Rex, aut Dux, aut Comes monaſterio ſive Eccleſiæ donaſſet. Teſtamentum S. Remigii apud Flodoardum Hiſt. lib. I. cap. XVIII. *Vineam poſſidebat cum Melanio vinitore, quem do in loco Eccleſiaſtici hominis Albonichi.* Et Capitularium lib. V. cap. CLI. *Quicunque de prædictis hominibus ECCLESIASTICIS quartam factì tenet, cum ſuis animalibus Seniori ſuo pleniter unum diem cum ſuo aratro in campo Dominico aret.* His de Servis ſcribit B. Rhenanus lib. II. Rer. Germ. *Videmus Abbates noſtrates adhuc talia mancipia poſſidere ex liberalitate Francorum Principum. Hinc illæ penſitationes originem habent, quibus multos ſcimus obnoxios, ut mortuo patrefamilias præſtantiſſimum jumentum è ſtabulo procurator Abbatis abducat, vel veſtium præſtantiſſimam auferat.* Tertiam claſſem conſtituebant MANCIPIA PRIVATORUM, quæ Reges Nobilibus aut Liberis hominibus donaverant: quorum frequentiſſimè, & ferè omnibus paginis Antiquitates Fuldenſes meminerunt. Magnam eorum fuiſſe multitudinem, documento eſt conjuratio illa Servorum in *Flandria*, *Menpiſco*, & cæteris ad mare locis facta, qua in Dominorum avaritiam ac crudelitatem valido motu inſurrexére.

XIX. Jam ſi ipſam Servorum ſortem penitiùs juvat inſpicere, duriſſimam ſanè eam, graviſſimamque apud Germanos priſcos comperimus : præterquam enim quod libertate, inæſtimabili re, evoluti eſſent, & onerum magnitudine, & vitæ ſordibus ærumnisque, & paupertatis acerbitate damnati, miſeram inopemque vitam trahebant. Ac primò per commercia vendebantur, aut aliis donabantur, non ſoli quidem, etſi hoc quoque graviſſimum eſſet, ſed cum liberis, cum uxoribus, cum ſupellectili omni, opibus, pecoribus, agris; in quæ cuncta emptori ſumma poteſtas, liberrimumque arbitrium eſſet. Exſtant formulæ frequentes ejusmodi Traditionis in Antiquit. Fuldenſibus, ex quibus unam illam tantùm recitabimus: *Tradimus eos cum omni ſupellectile & ſumtu, ut vos & ſucceſſores veſtri firmiſſimam & incontraditam poſſidendi, fruendi, vendendi, & quicquid exinde elegeritis facere, in omnibus habeatis poteſtatem. Hinc Caſatos cum omnibus adjacentiis & appenditiis eorum. Item Servos cum hoba, & omni quo veſtitus eſt.* Additur in aliis; *Tradimus eos —— cum uxoribus & liberis,*

&

& omnibus rebus, quicquid habent. Id tamen legibus nefas erat, tradere eos per commercia Judæis aut Paganis: veluti Lex illa apud Goldastum Alem. Antiquit. Tom. II. fol. LII. jubet: *Præcipimus generaliter omnibus, ut mancipia Christiana Judæis aut Paganis non tradantur.* Secundò illa miseris necessitas erat imposita, ut non solùm suæ sortis uxores ducerent, sed & illas ad Dominorum voluntatem & arbitrium quærerent. Quâ de re Vadianus de Colleg. & Monast. Germ. *Non licebat servo aliam sibi matrimonio copulare, nisi coæqualem, hoc est, servam, nec quamlibet, sed eam solam, quæ ejusdem dominii esset, nisi aliud conventione pacisentium Dominorum licuisset.* Hinc gravis pœna illis inflicta, qui liberam fœminam sibi alligaverant: præsentissimo etiam & exquisitissimo mortis supplicio, sive adulterinis amplexibus volentem, sive stupro repugnantem secum miscuissent: quod passim Leges Longobardicæ & Francicæ inculcant. Ea de causa quum devictos *Slavos* Germani conjecissent in servitutem, jurejurando se obstrinxêre, nunquam se passuros, quemquam Slavorum secum sociare sanguinem connubiaque: quin nuptias pro impari conjugio habendas, si jam cum gente illa contractæ essent. Unde Lamberto Schaffnaburgensi Otho frater Wilhelmi Marchionis *matrimonio impari* natus dicitur, quod mater illi Slavica fuisset.

XX. At id atrocissimum erat, quod neque res suas per testamentum legare soboli, nec tradere aliis possent: quum omnem *Alodem* suam, id est, *proprietatem rerum suarum abdicasse* dicerentur: velut Annales Francici, & Theodulphus *de Saxonibus* loquuntur. Capitularium liber III. cap. XXXVI. *Ut nec colonus, nec Fiscalinus possint alicui traditiones facere.* Et Æmilius sub Karolo M. lib. II. *Rex graves genti leges imposuit, ac Testamenti factionem, jusque intestatis præterquam inter agnatos succedendi, ademit.* Itaque, eodem teste, Domini & Patroni Servis suis, atque etiam Libertis succedebant: quam facultatem vulgò Erb-Recht vocarunt. Quin vivi Dominis debebant, quicquid etiam præter ordinarios labores sibi nummorum lucellique peperant. Inde Lex illa Francorum in Capitulat. libr. VIII. cap. CCVI. *Si quis servum suum vendiderit, forfitan ejus nescius facultates, habeat Dominus ejus potestatem, qui eum vendidit, requirendi res ejus, ubicunque invenire poterit.* Mitiùs tamen in plerisque aliis Germaniæ locis constitutum, ubi pars tantùm hæreditatis servilis ad Dominum devolvebatur. Nempe si Servus diem obierat, Domino præstantissimum è stabulis jumentum

tum ceſſit, quod Haupt-Recht/ ſive Haupt-Fall vernaculâ voce dixerunt: ſi Serva autem extincta eſſet, nobiliſſimum veſtimentum, quod Gewand-Fall ſive Beuteil vocarunt, Dominis adhæſit. Id Franci etiam appellarunt *Legem Manus Mortuæ*, qua demortui corpus pretiosâ aliquâ re, equo, bove, vaccâ, &c. redimebatur. Quam Legem ab Adalberone Epiſcopo Leodienſi abrogatam refert Auctor magni Chronici Belgici, quod liberatti & manſuetudini Chriſtianæ adverſari eam cenſeret. Manſit nihilominus apud cæteras Germaniæ gentes, & in noſtram usque ætatem propagata eſt: ubi vulgò das Haupt-Recht/ der Todts-Fall/ das Gläß dicitur; ſicuti pecudum nobiliſſimum, quod viro defuncto ſibi vindicat Dominus, das beſte Haupt/ veſtis autem optima, uxore mortuâ pariter Domino eveniens, das Weydmahl vel Wadmal appellatur: ut à Stammio de Servitut. Perſon. lib. III. Wehnero in verbo Leib-eygen/ Beſoldo in Theſauro Practico, & aliis prolixè notatum eſt.

XXI. Nondum miſeriarum ſatis erat, niſi & Dominis impunè ſævire, & nihil non in ſervos audere licuiſſet. Planè ut res illa Majoribus noſtris in Proverbium hoc abierit: Er iſt mein eygen/ ich mag ihn ſieden oder braten. Ac quamvis Karolus M quum Domini crudeliter atque avarè ſervis imperarent, miſerorum querelis commotus, & eorum labores certis diebus definiverit, & dominorum ſeveritatem imperiumque paullùm coercuerit; reditum tamen mox ad antiquam rigorem eſt, ſervique ad perpetuos ferè labores damnati, vitam morte graviorem duxêre. Et quum, juxta Goldaſtum, Servitium apud Germanos foret *Jus vel actus ſervientium, vel munus*, incubuit Servis, ut certis ſtatisque donis, utpote pullis, gallinis, pomis, piſcibus, ovibus, & hujus generis ſimilibus dominos demererentur: certis etiam, præter ordinarios, laboribus adſtricti, quos alibi Fron-Werck appellant. Sed maximum ſervilis calamitatis argumentum erat, quòd impunè ferè à Dominis occiderentur. De vetuſtiſſimis Servis Tacitus in lib. de morib. Germ. *Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercere, rarum; occidere ſolent: non diſciplinâ & ſeveritate, ſed impetu & ira, ut inimicum; niſi quod impune.* Eadem ferè poſtero ævo libertas dominis, quum pauciſſimis nummis vita ſervi æſtimaretur: ſicuti omni mulctâ abſolutus Patronus, ſi Servus poſt accepta verbera in poſterum diem traxiſſet animam, eamque tunc demum effudiſſet: quod Capitular. lib. VI. cap. II. habetur. Quod ſi autem Servi, tantis laſſati calamitatibus,

bus, ad libertatis curam erexiſſent animos, & fuga ſe à Dominorum ſævitia ſubduxiſſent; non illos aliorum patrocinium, non magiſtratus alieni interceſſio, non Urbium munimenta defendebant, quò minùs ſtatim poſcentibus, ad pœnam ultimam, aut gravem ignominiam contumeliamque traderentur; veluti pariter eodem Capitular. lib. cap. III. & LXXXII. jubetur.

XXII Ab hoc duriſſimo ſtatu eximebantur per MANUMISSIONEM, quæ variis de cauſis proveniebat. Primò enim multi, reputantes ſecum, cunctos mortales à Natura liberos procreatos, & ſanguine Chriſti redemptos, convenientiſſimum religioni ſuæ putabant, ſi *pro Dei amore*, ut loquebantur, divinum hoc animal libertati reſtituerent, quod gentium jura ſervituti ac libidini alienæ mancipaſſent. Deinde plurimi, qui ſanctis bonisque operibus occupari cæleſte regnum exiſtimabant. Servos dimisêre, ut illa in proximum commiſeratione ducerent obnoxium Numen, & diligentius Superis ſalutem ſuam commendarent. Hinc pleræque formulæ Manumisſionis fundamento huic nituntur: *Pro remedio animæ;* & *Pro æternæ retributione.* In lege Ripuaria §. I. de *Tabulariis* Tit. LX. *Hoc & jam jubemus, ut qualiscunque ſervum ſuum PRO ANIMÆ SUÆ REMEDIO —— liberare voluerit.* Præterea plurimis libertas pretio reddita eſt; quod apud Francos *ſecundùm legem Romanam* dimittere ſervum dicebatur. Sic in eadem lege Ripuaria, Titulo eodem; *Qualiscunque Francus Ripuarius Servum ſuum PRO PRETIO SECUNDUM LEGEM ROMANAM libertate voluerit.* Quod plenius deſcribit formula vetus apud Lehmannum lib. II. Chron. Spirenſ. cap. XIX. ubi inter alia fertur: *Dictus homo Unſtrut de medio, quod habuit, territorio inter Hagenbach & Eligange, & Suetta, juchos quatuor ad reconciliationem nobis dedit, ſcilicet ut à die præſenti ita ingenuus exiſtat, quaſi ab ingenuis parentibus ſit genitus.* Denique manumittebantur Servi, *in votum Regis*, ut ajebant, ubi nimirum nuncupatis pro ſalute regia, aut regiæ prolis incolumitate votis, Servus felicitati publicæ libertatique donabatur: quod Longobardi *Per Impans* appellavêre. Leges Longob. lib. II. Tit. XXXIV. de Manumiſſionibus, leg I. *Similiter qui per Impans, id eſt, in votum Regis dimittitur, ipſa lege vivat, ſicut qui amund factus eſt.*

XXIII. Variis autem ritibus inſtituebatur MANUMISSIO, ut Bignonius notat: ſed ego in priſcis gentis noſtræ monumentis, tres potiſſimùm modos, cæteris frequentiores & uſitatiores reperio. Primus

& vulgatior erat, ut in Eccleſia, coram Sacerdotibus & Epiſcopis, ſervus ad altare ſiſteretur, & per tabulam ſive chartam dimitteretur. Qua de re lex illa extat: *Manumiſſiones in Eccleſia ſunt celebrandæ.* Ac ritum totum proceſſumque exponunt Ripuariorum leges Tit. LX. §. 1. *Hoc etiam jubemus, ut qualiscunque Francus Ripuarius Servum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu pretio ſecundùm legem Romanam liberare voluerit, ut in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto Clero & plebe, in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundùm legem Romanam, qua Eccleſia vivit, ſcribere faciat, & tam ipſe quàm omnis procuratio ejus liberi permaneant.* Et hic Manumiſſionis ritus ſecundùm *legem Romanam* erat. Alteram *Lex Salica* inſtituit, ut nimirum nummô, quem *denarium* vocant, excuſſo per Dominum, aut alium ê ſervi manu, & ante Regem aut Proceres ejus iactato, libertas concederetur. Formula ejus eſt apud Marculfum lib. I. cap XXII. ſub his verbis in *præcepto denariali* à Rege prolatis: *Illuſtris* Vir *ille ſervum ſuum nomine N. per manum illius ad noſtram præſentiam JACTANTE DENARIO ſecundùm legem Salicam, dimiſit ingênuum: ejus quoque abſolutionem per præſentem auctoritatem firmamus.* Paullò diſtinctiùs idem ritus proponitur in Edicto Ludovici IV. Imp. apud Goldaſtum Tom. III. pag. CCC. *H. Ludovicus Divina favente Gratia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis noſtri, quendam proprium ſervum noſtrum Johan nominatum, in præſentia fidelium noſtrorum, PER EXCUSSIONEM DENARII de manu illius, juxta legem Salicam, in elemoſynam noſtram liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus: ejus quoque abſolutionem hoc ſcripto firmavimus, quam in omni tempore firmam, inviolabilemque manſuram eſſe volumus.* Denique per privatam epiſtolam fiebat Manumiſſio, cujus exempla multa inter veteres Romanas extant. Longobardis ritus iſte dicebatur *Thinx*, à Germanico ding & dingen; unde *Thingare* eſt, quod in Gloſſ. exponitur *manumittere abſolute, vel donare.* Legg. Longobard. lib. I. Tit. XXXII. leg. V. *Non poſſunt ſine vera abſolutione liberi eſſe, niſi per THINX, aut circà altare; ſicut nos inſtituimus.*

XXIV. Sic manumiſſi dicebantur LIBERTI, qui quartum ordinem inter Germanos veteres conſtituunt. Saxonibus Boiisque vocati LASSI ſive LAZZI; tanquam die Gelaſſene diceres: ſicut Libertini, eorum filii, FRILAZZI eadem ratione appellati. Leges Bajuvar. Tit. VII. cap. X. *Si cum libera manumiſſa fornicaverit, quam FRILAZIN vocant.*

Et

Et Gloſſa Latino-Theotiſca: *Libertini, Frilaza.* Sed ipſos Libertos diſtinxit Manumiſſionis modus, & diverſis nominibus inſignivit. Qui in Eccleſia per *chartam* ſive *tabulam* dimiſſi erant, CHARTULARII & TABULARII dicebantur. Prior vox in Legibus Francicis ſæpe occurrit: veluti in illo Capitul. lib. VI. cap CCVIII. *Homo chartularius ſimiliter faciat.* Poſterior eſt frequens in Legibus Ripuariis: uti Titulô LX. §. I. *Quod ſi quis Tabularium ex ſervo alieno facere præſumpſerit.* Ac §. XII. *Si autem Tabularius ancillam Ripuariam acceperit, non ipſe ſed generatio ejus ſerviat.* Utrique etiam & *Chartularii & Tabularii* vocabantur HOMINES ECCLESIASTICI, quòd in Eccleſia dimiſſi forent, & ad eandem pertinerent. In eadem Ripuariorum lege §. I. *Tabularii ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, aut ſervitium Eccleſiæ reddant.* Et §. II. *Quod ſiquis Tabularium, ſeu Eccleſiaſticum hominem contra Epiſcopum defenſare voluerit, LX. ſolid. & inſuper hominem cum omnibus rebus ſuis Eccleſiæ reſtituat.* E diverſo; qui jactu denarii, ſecundum Legem Salicam manumittebantur, DENARIALES DENARIATI, vel DENARIARII appellati fuêre. Liber Capitular. VI. cap. CCVIII. *Homo Denarialis non antea hæreditare in ſua agnatione poterit, quam uſque ad tertiam generationem perveniat.* Leges Ripuar. Tit. LIX. §. IV. *Si autem homo Denariatus abſque liberis diſceſſerit, non alium niſi Fiſcum noſtrum hæredem relinquat.* Et Tit. LXIII. §. III. *Quod ſi Dominus ejus eum ante Regem Denariarium facere voluerit, licentiam habeat.* Atque uti *Tabularii* ad Eccleſiam pertinebant, quòd manumiſſi in ea forent; ita *Denariales* in Regis patrocinio ac clientela degebant, quia per Denarium ante Regem, aut Proceres ejus in libertatem aſſerti erant. Hinc HOMINES REGIOS paſſim vocitant Ripuariæ Leges: veluti Tit. LX. §. XXII. *Si aut homo Regius, homini Regio, vel Eccleſiaſtico fidem fecerit, ſuper VII. noctes conjuret.*

XXV. Pertinent huc CERARII, quorum mentio eſt in Receſſu Karoli M. An. DCCLXXVII. cap. XV. *De CERARIIS, & Tabulariis, atque Chartulariis, ſicut de longo tempore fuit, obſervetur.* Nimirum quum illuſtre olim privilegium eſſet, & ad ſolos Principes pertinens, ſignare literas metallô, quod nec Duces Venetorum ſibi arrogarunt, priusquam ab Alexandro III. PP. Jus obſignandorum plumbo diplomatum circiter An. CIↃ CLXX. obtinuiſſent; hinc Nobilibus, Baronibus, Comitibus permiſſum tantùm eſt, ut cerâ literas ſuas firmarent. A quibus quum per privatas Epiſtolas cerâ ſigillatas, Servi in libertatem vindicarentur, hi *Cerarii* ea de cauſa dicti ſunt: quorum fortunam

Tabularius & *Denariarius* minorem comperi. Et has quidem appellationes traxêre à Manumissionis modo *Liberti*, aliis etiam nominibus clari, quibus eorum sors conditioque denotabatur. Ita Longobardi eos dixêre WIDERBORANOS, ex **wider** *iterum*, & **boran** *natus*, quia quodammodo renascitur, qui è Servo fit Liber. Leges Longob. lib. II. Tit. I. leg. VII. *Liberum thingare, & sic facere liberam, quod est Widerberan* Ab iisdem ALDII nuncupati sunt: sicuti & ALDIAM, ancillam libertinam, ALDIONES sive ILLALDIONES filios Libertorum vocarunt. Crebræ hæ voces in Legibus Longobardicis: sed nobis ad testimonium sufficit una illa lex lib. II. Tit. XII. l. VII. *Si ALDIUS cujuscunque ALDIAM alterius tulerit ad uxorem, & mundium ex ea non fecerit, sint ALDIONES, cujus & mater fuit.* Sed & commune ac vulgare illis nomen LIBERORUM, & INGENUORUM fuit, quòd donati libertate forent. Nam in Manumissionis formula jubetur, ut *semper securi atque Ingenui* existant: unde olim *Semper Frey* / quasi *semper liberi*, teste Goldasto ad Burckhardi cap. IX. appellati fuere.

XXVI. Sed quamvis *Ingenui*, quamvis *Liberi* vocitarentur, multùm tamen à fortuna hominum *Ingenuorum* sive *Liberorum*; quos in secundo ordine descripsimus, abfuisse visi sunt. Neque enim illi, quos Principes, aut Episcopi, aut Abbates dimiserant, totâ statim libertate fruebantur: sed aliis frumenti modum Dominus, aliis pecoris, aut nummorum certum numerum injungebat: multi etiam oneribus, quæ Frohnwerck appellant, Patronis suis obligabantur. Durior tamen semper conditio Libertorum Ecclesiasticorum, de quibus Vadianus fol. LXXVII. de Monaster. & Colleg. Germ. ait: *Oneribus plenè Servilibus etiam Liberti, maximè Ecclesiastici astringuntur. Nam & vectes afferuntur ex humanis excedentibus, quod* Gewandt-Fall *& pecus, quod* Haupt-Fall *vocatur, nisi sint, qui aliis modis Dominum Patronumque evincant: sæpiusculè enim pecunia transigitur.* Adhæc, qui libertatem adepti erant, in Municipales Urbes quidem admissi sunt, sed non ut Cives, non ut Reipublicæ nobilior pars habiti: unde *Colonorum Regiorum & Ecclesiasticorum* nominibus, plerumque in Legibus veniunt. Quod si sine liberis decederent, exclusis agnatis, Ecclesia *Lucrum Tabularium*, Rex *Denarialibus* in omni hæreditate succedebant. Leges Ripuar. Tit. LIX. §. IV. *Si autem homo denarialis absque hærede discesserit, non alium nisi Fiscum nostrum hæredem relinquat.* Et Tit. LX. §. IV. *Tabularius autem, qui absque liberis discesserit, nullum alium, nisi Ecclesiam relinquat hæredem.*

haredem. Tandem, non ſtatim poſt manumiſſionem juribus illis, queis alii origine liberi utebantur, fruiti ſunt: ſed nepotibus eorum demum æquatio dignitatis & fortunæ illius acceſſit. Hinc in Capitular. lib. VIII. cap. CCLVII. *Ne teſtificentur Manumiſſi*, Imperator edicit: *Indignum noſtra penſat clementia, ut libertorum teſtimonia Ingenuis incutiant damna. Qui verò de iisdem fuerint progeniti, ad teſtimonium ad tertiam generationem admittantur* Quin hæreditatem adire nequibant, niſi in tertia generatione: ſicut in eodem Capit. libro cap. CCVIII. ſancitur: *Homo denarialis non antea hareditare in ſua agnatione poterit, quàm usque ad tertiam generationem pervenerit. Homo Chartularius ſimiliter faciat.*

XXVII. His de cauſis factum eſt, ut Longobardi ipſos diſtinguerent *Libertos*, & poſt tertiam demum generationem FULFREALES appellarent. Leges Longob. lib II. Tit. XIV. leg XVII. *Libertus homo, qui Fulfreal factus eſt.* Ac eodem libro Tit. XII. leg. I. *Libertam uxorem, id eſt, fulfreal.* Nempe ſic dicitur, qui plena libertate atque immunitate fruitur: quippe *plenus* Saxonibus **foll**/ Anglis **full**/ Belgis **voll**; & *liber* Germanis **frey**/ Anglis **free**/ Belgis **vry**; unde & *Frea*, libertatis Dea, uxor *Wodani*, nomen hauſit. In eadem Libertorum conditione provênit, ut Nithardus & Hucbaldus *Laſſos* interpretarentur *Serviles*, quum *haud multum ſupra ſervos eſſent*: ut Tacitus in libr. de morib Germ. de vetuſtiſſimis Germanis auctor eſt. Major tamen, eodem ſcriptore teſte, auctoritas eorum in iis gentibus, quæ regnabantur: ibi enim & ſuper Ingenuos, & ſuper Nobiles aſcendebant. Quod Romanorum exemplo introductum, nullus ambigo, apud quos non pauci Principes arbitrio Libertorum, fœdâ regnantium facilitate, regebantur: ſicut de *Narciſſo* & *Pallante*, potentiſſimis Claudii libertis, Suetonius narrat, & de *Polycleto* Neronis liberto Tacitus, quem equeſtri dignitate donatum, & in Britanniam miſſum, Duces exercituum ſummô obſequiô venerabantur. Ac ſicuti ex inſtituto Romanorum Liberti ingrati, de quibus Patroni quererentur, in ſervitutem revocari poterant; ita apud Germanos, non ſolùm ſcelerum rei, aut imparibus nuptiis illigati, ſed & in patronos ingrati, in ſervitutem priſtinam retrahebantur. Qui quidem mos ab Athenienſibus, teſte Beroaldo, acceptus eſt; qui Libertum ingratum libertate exuere ſolebant his verbis: *Superſedeo habere Te civem, tanti muneris impium æſtimatorem: abi igitur, & eſto Servus, quoniam liber eſſe nescivisti.*

XXVIII. Atque hæc genera, ſive ordines ſunt, quibus Majo-

res

res noſtri inter ſe diſtincti fuére: diviſione ſanè aptiſſima, ſed quam meliorem ſanctioremque faciebat ipſa gentis religio, quæ eam pollui turbarique, haud ullo modo patiebatur. Quare primùm graviſſima illi erat impoſita pœna, qui promiſcuis connubiis ſociaret ſanguinem, & familiarum jura, unde Reipublicæ corpus componitur, nuptiis inæqualibus confunderet. Sic apud *Francos* & *Alamannos* ſoboles hominis liberi, qui ſervum duxerat, ad ſervitutem abſtrahebatur: ut in Capitular. lib. III. cap. XVI. invenio. Si *Libertus* è ſervitute dimiſſus, ſervam ſibi junxerat, ad ſervitutis jugum à priore Domino retrahebatur; quæ pœna etiam manebat Libertam, ſi ſervi amplexibus indormiret. Invaluit quoque gentis noſtræ moribus poſt *Henrici Aucupis* tempora, ut *Nobiles* atroce ignominiâ removerentur à *Torneamentis*, qui *nobilitatis ſuæ teſtimonium*, ut loquebantur, *à quarto non habebant progenitore*, veluti inter duodecim Torneamenti leges à Ruexnero, Goldaſto, aliisque refertur. Sed omnibus atrocior pœna, utpote capitalis, quam *Saxones*, teſte Adamo Bremenſi, imparibus nuptiis irrogabant. Nam ut verba ejus ſunt: *Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis, propria ſortis terminos transferat: ſed Nobilis nobilem ducat uxorem, & Liber libertam: libertus conjungantur libertæ, & ſervus ancillæ. Si verò quiſpiam horum ſibi non congruentem, & genere præſtantiorem duxerit uxorem, cum vitæ ſuæ damno componat.* Quæ lex ridigiſſima quidem, ſed utiliſſima eſt; dum ſplendorem ac neceſſitudinem familiarum conſervat; ut latius aliô locô in Diſſertatione noſtra de Nuptiis veterum Germanorum demonſtravimus. Nunc quum libidine aut avaritiâ multorum factum ſit, ut Nobilis, aut Ingenuus homo ſordes ancillarum oſculetur, aut Matronam perfuſus pulvere mulio accendat, aut ſerva in equeſtribus ſedeat, & Dominæ habeat ſuperbiam; multæ nobiliores familiæ ivére præcipites, & non minùs ſtirpis ſuæ ornamentum, quàm decorum concinnumque illud Reipublicæ temperamentum ſuſtulerunt.

XXIX. Nec minor circà cætera Reipublicæ negotia, actionesque civiles religio, ne promiſcuâ tractatione confunderentur: ſua enim Nobilibus munia, ſua Liberis hominibus, ſua Libertis, ſua Servis opera, quibus quisque ad civitatis ſuæ gloriam rectè atque ordine contendebat. *Nobiles* bellis dediti, armis inclareſcere, hoſtem ferire, patriam Principemque defendere ſolebant: his artibus aut nobilitatem recentem, & parta primùm familiæ decora, ſupra vetuſtas aliorum

rum imagines, gloriamque avitam provehebant, aut ſtirpis vetuſtatem labentem jam, ac ſeneſcentem ſuſtinebant. Pariter *Liberi Ingenuique* præclaris artibus intenti, aut ad Eccleſiaſticos honores, aut Reipublicæ ſuæ munia ſe appellebant; cæteri mercando negotiandoque commercia civitatis ſuæ cum aliis communicabant, opesque augebant. Jam *Liberti* honeſtiora domus officia, aliaque Domini negotia curabant; aut ſellulariis artibus manuariisque diſciplinis incumbebant. At *Servorum* pars vilioribus domeſticis laboribus adſtricti, ætatem agebant: pars ad agrorum ruriſque & hortorum cultum converſi, ruſticis agreſtibusque curis conſeneſcebant. Sed & hoc temperamentum nuper avaritia luxuriaque ſuſtulerunt, poſtquam divitiis grande pretium à nobis datum eſt, & inde exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio, & libido confundendi perdendique omnia, immigrare cœpit.

DISSERTATIO HISTORICA TERTIA, DE LEGIBUS VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIUM.

§. *I. Germanorum feliciſſimus ſtatus, quum ſine legibus ſcriptis viverent.* §. *II. Jus ex moribus & conſuetudine patria dictum. Leges primùm à Longobardis, Francis, Gothis, Saxonibus, Danis conſcripta & invecta.* §. *III. Lex Longobardorum, ejusque origo, auctoritas, præſtantia.* §. *IV. Lex Salica, eiusque ortus, incrementum, dignitas.* §. *V. Legis Francorum, ſive Capitularium origo, renovatio, auctoritas.* §. *VI. Lex Alamannorum quando lata, qua ejus forma, qua conditio.* §. *VII. Lex Bajoaria.* §. *VIII. Qua origo & ratio Legis Saxonum.* §. *IX. Speculi Saxonici, Juris Magdenburgici, Juris Feudalis.* §. *X. Secreti Weſtphalorum Judicii.* §. *XI. Lex Angliorum & Werinorum.* §. *XII. Lex Burgundionum.* §. *XIII. Lex Friſionum.* §. *XIV. Lex Ripuaria, earumque primordia, incrementum, conſtitutio.* §. *XV. Lex Gothorum.* §. *XVI. Lex Apparens ſive Simplex; ubi de priſcis*

priſcis ſuſpectorum examinibus, de Ordalio. §. *XVII. de Jurejurando.* §. *XIIX. De duello.* §. *XIX. Ferro candenti.* §. *XX. Aqua calida,* §. *XXI. Aqua frigida.* §. *XXII. Purgatione per ſacram Euchariſtiam.* §. *XXIII. Per Symbolum crucis.* §. *XXIV. Per Panem hordeaceum, Offam Judicialem.* §. *XXV. Sortes.* §. *XXVI. Forma & conſtitutio veterum Judiciorum in Germania.* §. *XXVII. Eorum loca.* §. *XXIIX. Modus procedendi & poenæ.* §. *XXIX. Encomium veterum Germaniæ* LL.

§. I.

IN naſcentis mundi infantia, & recenti orbe, quum Jupiter ad incolendas terras humanum genus produxiſſet, ſeculum ab omni parte beatum, & deorum ævo fuiſſe ſimillimum, Poetæ prodiderunt: quum aër perpetuo vere, & ſpirantibus Zephyris renidens, nec peſtiferos halitus terræ afflaret, nec inerti brumâ ſegetes extingueret: adhæc tellus nec vomere, nec raſtris lacerata, ſed viribus ſuis fœta, perpetuas fruges ſponte effunderet. Florebat alta pax, vigebat ſecura tranquillitas, cupidosque nullius rei populos in dulciſſima concordia tenebat: procul erat furor & rabies, cædesque & belli inſania, & profuſus habendi amor, quum innocentiſſimas mentes nec avaritia exagitaret, nec dominandi cupido ad injurias vicinorum ſtimularet, nec ambitio, peſſimum malum, tranſverſas raperet, nec libido fœda in amplexus illicitos propelleret. Sed maximum tantæ felicitatis, & aureæ iſtius ætatis argumentum erat, quòd mortales carerent legibus, & incognita jura haberent: nam ut ingenioſiſſimus Vates canit:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq; colebat;
Pœna metuſq; aberant, nec vincla minantia fixo
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui; ſed erant ſine vindice tuti.

Nimirum ſimul cum legibus inductum ſervitium eſt, & ut ille ait, injecta juris vincula libertatem depulêre, dum ſponte naturæ boni ſanctique, mancipiorum inſtar, pœnarum ac ſupplicii metu, rectum & fas colere coacti ſunt. Ac ſicut inducta Medicina profligavit corporum valetudinem, ita promulgatæ leges innatam animorum ſalubritatem, atque innocentiam ſuſtulêre: factumque tandem eſt, ut ſicut in arte Medica non tam morbis, quàm remediis obruimur, ita in Jurisprudentia noſtra ex æquo flagitiis ac legibus laboremus. Igitur quum multa præclara Majorum noſtrorum inſtituta prædicare ſoleam, quibus illi vitam gra-

graviter ac ſanctè tranſegerunt; tum inprimis illam animorum innocentiam, illam beatiſſimam hominum fortiſſimorum felicitatem ſæpe laudo, quòd diutiſſimè non tam ex legibus ſcriptis promulgatisque, quàm ex receptis moribus, aut ex æquo & bono, jura reddentes, vitam ſanctiſſimam agitaverint; ac quum poſtea paucisſimas ſibi impoſuiſſent leges, omnia breviſſimo & planisſimo proceſſu, & per paucas audientias terminaverint. Nuper demum vitiis noſtris & ambitione factum eſt, ut vaſtum illud & diffuſum Legum Romanarum Corpus inveheretur, ipſaque; Juſtitia inter obſcuritatem atque ambages, inter perplexa, neque abſimilia oraculis reſponſa, interpretum diſſidia, & fori jurgia, & caſtra urbanæ togæ hæreret ac ſimul obmuteſceret. Sed querelis, etſi forſitan neceſſariæ ſint, abſtinere nunc lubet: conversô potius ad felicisſima illa tempora animô, quibus *Germania* ſuis fulta moribus ac legibus, alienum Jus aut faſtidivit. aut ignoravit.

II. Igitur primum ſatis conſtat, vetuſtisſimis temporibus nullas ſcriptas fuiſſe *Germanis* leges, ſed viguiſſe patrios mores, valuiſſe in Judiciis priſcam conſuetudinem, quæ apta ad jubendum vetandumque, & improbitatem coercebat, & controverſias omnes finiebat, & pœnas ex delicto diſtinguebat. Id conſuetudinis jus à Natura tractum, inde ab uſu, vetuſtate, voluntate omnium comprobatum, facile legis vim ac ſanctitatem obtinebat in populo, qui ex virtute, tanquam lege vivebat, & ſuæ naturæ impulſu, non pœnarum edictorumque metu à deformitate ſcelerum detinebatur. Unde invidendum illud elogium apud Tacitum: *Plus ibi boni mores valent, quàm alibi bona leges.* Sed & inde factum, ut poſtquam leges eſſent inductæ, traditam relictamque ſibi à Majoribus conſuetudinem, ſummâ religione obſervarent, rudesque avorum mores, ipſis politioribus legum tabulis aut anteponerent, aut æquarent. Cauſa redditur in Præfatione Legum Alemannicar. *Longa conſuetudo pro lege habetur. Lex autem eſt, conſtitutio ſcripta. Mos eſt, vetuſtate probata conſuetudo, ſive lex non ſcripta; nam lex à legendo vocata, quia ſcripta. Mos autem eſt conſuetudo longa, de moribus tracta tantundem. Conſuetudo autem eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.* Sed primi, qui immutato priſco conſuetudinis jure, legum carmina adornârunt, ſunt *Longobardi, Franci, Gothi, Saxones, Dani*, qui quum victricia per Europam ſigna extuliſſent, triumphatis populis ſuas impoſuêre leges, quas ex patriis moribus hauſtas deſcriptasque, ſinguli ad genium gentis expreſſerunt, & attemperârunt. Neque enim in unam eandemque legem tena-

ciſſimus libertatis ſuæ populus conſtringi unquam potuit: ſed ut in Præfatione Legum Alemannicarum dicitur; *Unaquæq; gens propriam ſibi ex conſuetudine elegit legem.* Itaque *Theodoricus* Francorum Rex, quum *Francis, Alemannis, Bojariis*, aliisque devictis populis leges irrogare ſtatuiſſet, Viros ſapientes ac graves delegit, *qui*, ut in Præfatione laudata fertur, *unicuiq; genti quæ in ejus poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam*, leges traderent. Hinc variæ, pluresque enatæ leges, de quibus illud Ovidii dicendum eſt.

facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Sed inter præcipuas ſemper leges, quibus honor in Germania fuit, celebratæ ſunt *Lex Longobardorum, lex Salica, Lex Francorum, Lex Alamannorum, Lex Bajoariorum, Lex Saxonum, Lex Angliorum & Werinorum, Lex Burgundionum, Lex Friſonum, Lex Ripuaria, Lex Viſigothorum, Lex Apparens*, quæ *Judicium Dei*, ſive priſca ſuſpectorum examina complectebatur. Quæ leges, etſi barbaris obſoletiſque horreant vocabulis, & à polito ſeculi noſtri genio ac ſermone longiſſimè abſint; juvat tamen ad priſcam illam legum ſanctitatem, & veterem Germanorum Iurisprudentiam propius ſubſiſtere; quum in earum contemplatione non ſolum innoxios temporum illorum mores, & rude peccantium vitium, ſed & priſcam Majorum noſtrorum conſuetudinem, profectam à rerum natura, & ſimul cum mente divina ortam, cognoſcamus.

III. LONGOBARDORUM LEGEM; vulgò *Lombardam*, tulère *Longobardi*, *gens feritate Germanica ferocior*, ut Vellejus Paterculus lib. II. eam vocat; quæ olim, teſte Tacito, *Semnonibus* aliisque valentiſſimis populis cincta, non per obſequium, ſed præliis ac periclitando ſe tuebatur. Sed poſtea inter *Saxones* habiti ſunt, à quibus digreſſi, quum ſe in *Pannoniam* exonerâſſent, variâ fortunâ imperium tenuêre; donec validos, & armorum gloria pollentes in *Italiam* circa annum Chriſti DL accivit *Narſes*, Princeps militiæ Iuſtiniani Cæſaris, eorumque auxiliô *Gothos* ex Italiæ poſſeſſione dejecit. Inde in Italia conſidentes, viribusque ac multitudine aucti, paullatim vaſtiſſimum condidere regnum, atque jura è Saxonum moribus expreſſa ſibi devictisque populis impoſuere. Qua de re ſic Paulus Diaconus Hiſtor. Longob. lib. IV. cap. XLIV. *Rotharis Rex Longobardorum leges, quas ſola memoria & uſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemq; ipſum Edictum appellari fecit. Erat autem annus, ex quo Longobardi in Italiam venerunt, ſeptuageſimus.* Hunc *Rotharin* Herman-

mannus Contractus ad An. Ch. DCXXVII. circiter rejicit, & eidem tempestati primordia *Legum Longobardicarum* tribuit. Sed posteri Reges *Grimoaldus, Liutprandus, Rachis* & *Aistulphus*, rudem impolitamque legum originem castigarunt emendaruntque; inde *Karolus M.* & *Ludovicus* Imperatores, tum *Lotharius, Pipinus* aliique, quum in Italia solas vigere Longobardorum leges animadverterent, inveteratam quandam barbariem ex istis delevêre, & alias constitutiones ac decreta substituerunt, veluti ex singulis legum apicibus cognosci potest. Tantis auctoribus sancita & emendata lex, quid mirum, si & posteris temporibus, quum Romanum Cæsareum Ius invectum esset, tantâ polleret auctoritate, ut in *Italia, Germania, Gallia*, aliisq; regionibus, sola ferè in curiis & tribunalibus regnaret, & ut ajunt, *authentica* haberetur? Vir doctus Iacobus Spigelius ad ista Guntheri Ligurini verba de *Longobardis* lib. I.

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Provida consilio, legum jurisq; peritaj

Merula, inquit, *regnum Longobardorum minimè crudele fuisse ait, & legem Longobardam celebrari, cujus præcipuè auctor Rotaris & cæteri Reges perhibentur. Nec non esse quasdam Italiæ civitates, quæ in hanc usq; diem judicia sua ex edictis Longobardorum magis, quam ex decretis imperatoriis exercerent.* Eandem auctoritatem legibus istis in *Gallia* sua asserit Nicolaus Boherius ICtus in Dedicatione Legum Longobardicarum ad Regem Ludovicum XII; cujus sententiam Franciscus Curtius Iunior in Tract. Feudor. cap. VI. num. 11. pluribus defendit, dum quæstionem illam instituit & vindicat: *Nunquid iste liber sit allegabilis ad decisionem causarum? videtur dicendum, quod sic, quia Glossa ubiq; allegant Legem Longobardicam.* Inter ipsas autem leges maxime commendantur, quæ sunt *de Publicis criminibus, de scandalo in Ecclesia, de incendio, de Morath sive homicidio, de Sponsalibus & nuptiis, de Emptionibus & Venditionibus, de Furtis, de Wadiis & Fidejussoribus, de ultimis voluntatibus, de Sacramentis, &c.* in quibus aliisque mira inest mansuetudo, quum sola in Principem Dominumque commissa flagitia præsentem necem inferant, cætera per nummorum pretium castigentur. Sed major illa Legum laus & pene invidenda gloria est, quam Georgius Merula istis verbis tribuit: *Longobardi, postea quam regnum occupârunt, in publicam utilitatem leges condiderunt breves, adeò apertas & absolutas, ut parùm interpretis indigeant, & omnia ita complectantur, ut nihil ferè relinquant in cognoscentis ingenio atque solertia.*

IV. LEX SALICA originem ſuam debet *Francis*, populo Germanico, qui Rheno transmiſſo maximam Galliæ partem armis ſubegerunt: primum teſte Friſingenſi *Sicambri*, inde à *Sala* Thuringiæ fluvio *Salici*, *Salii*, *Saligni* dicti, ut Beato Rhenano placet At me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui potius ab *Iſala*, amne Belgico, nomen deducunt; quum & Claudianum ad has partes reſpexiſſe videam in primo de laudibus Stiliconis:

Ut Salius jam rura colat, flexosque Sicambri.
In falcem curvent gladios; geminasque viator.
Cùm viâeat ripas quæ ſit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium, non indignante Cayco,
Paſcat Belga pecus.

Sed de primordiis Salicæ legis juvat audire Præfationem ad eandem legem: *Gens Francorum inclyta, authore Deo condita, fortis in armis, firma pacis fœdere, profunda in conſilio, corpore nobilis & incolumis, candore & formâ egregiâ, audax, velox & aſpera, nuper ad Catholicam fidem converſa, immunis ab hæreſi; dum adhuc teneretur barbarie, inſpirante Deo inquirens ſcientiæ clavem, juxta morem ſuarum qualitatum deſiderans juſtitiam, cuſtodiens pietatem, dictavit Salicam legem per proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor his nominibus* Wiſogaſt, Bodogaſt, Salogaſt, & Windogaſt, *in locis quibus nomen Salagheve, Bodogheve, & Windogheve.* Nec aliter Sigebertus; niſi quôd anno tertio *Pharamundi*, qui in A. C. CCCCXXIV. incidit, legem conſcriptam, & in oppidis Germaniæ *Salebaim*, *Bedobaim*, & *Windobaim* promulgatam fuiſſe affirmet. Poſtea quum *Clodovæus* rex ſacris eſſet initiatus Chriſtianis, antiquam gentis ſuperſtitionem ex lege ſuſtulit; inde *Childebertus* & *Chlotarius* emendandam augendamque ſuſcepere. Sed & illa verba invenio in poſteriori Præfatione: *Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCXCVII. Indictione ſexta Dominus Carolus rex Francorum inclytus hunc libellum tractatus legis Salicæ ſcribere ordinavit.* Non alia lex nobilior, non alia majore famâ illuſtrior, quum hæc fundamentum regni Francici ponat, hæc æternitatem ſtabiliat; unde & Bodinus *Jus gentium Gallorum* appellare ſolet. Ipſe tamen facilè eorum accedo opinioni, qui edita legis exemplaria non integrè ſuſcipiunt, ſed nonnulla ſubleſtæ fidei, atque vanitatis arguenda opinantur. Nobiliſſima & clariſſima inter cætera iſta lex eſt: DE TERRA SALICA NULLA PORTIO HÆREDITATIS MULIERI VENIAT: SED AD VIRILEM SEXUM TOTA TERRÆ HÆRE-

REDITAS PERVENIAT. At quænam hæc *Terra Salica* ſit, quibus finibus, quave Europæ regione circumſcripta ambiatur, inter Auctores rerum Francicarum haud convenit; quorum vaniſſima ſine omni dubio ſententia eſt, qui terram Salicam ad *Iſala* fluvii ripas, ubi hodie *Salland*, *Sallik*, *Oldenſael* ſunt, anguſtis terminis reſtringunt; aut per ſolam *Franconiam*, ubi olim *pagus Salicus*, *Salehem*, teſte Goldaſto, ſpectatus fuit, haud latiore ambitu extendunt.

V. LEX FRANCORUM, diverſa aliaque à Lege Salica, primum promulgatur à *Theodorico I.* filio Clodovæi; inde ab *Childeberto* Rege, & *Clothario* caſtigatur corrigiturque; mox à *Dagoberto* renovatur, & ad ſummam claritudinem extollitur. Quod fuſius ex illis Præfationis verbis in Legem Alemannicam patet: *Theodoricus rex Francorum, cum eſſet Catalaunis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant ipſo autem dictante juſſit conſcribere legem Francorum, Alamannorum, Bajoariorum, & unicuique genti, quæ in ejus poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem, addiditque addenda, & improviſa & imcompoſita reſecavit, & quæ erant ſecundum conſuetudinem paganorum, mutavit ſecundùm legem Chriſtianorum, & quicquid Theodoricus rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc Hildebertus rex inchoavit corrigere, ſed Chlotarius rex perfecit.* Sed quo canone priſcæ Francorum leges venerint, ignorare ſe fatetur eruditiſſimus Spelmannus; nec mihi veteres Francorum res volventi, quicquam illius rei occurrit. Verum *Karoli M.* ejusque Filiorum leges, quum variis ſparſim ſcriptæ codicibus per diverſorum ſpatia temporum eſſent, *Anſegiſus Lobienſis* Abbas, & *Benedictus Levita* collegerunt, ac ſub *Capitulorum* ſive *Capitularium* nomine vulgârunt. Quo id ordine factum ſit, exponit ipſe Anſegiſus in Præfatione Legum Francicarum: *Prædicta Capitula in quatuor diſtinxi libellis. Illa ſcilicet, quæ Dominus Carolus Imperator fecit, ad ordinem pertinentia Eccleſiaſticum, in primo adunavi libello. Ea verò Eccleſiaſtica, quæ Dominus ac piiſſimus HLudovicus Imperator, & HLotharius Cæſar, filius ipſius ediderunt, in ſecundo deſcripſi. Illa autem quæ Dominus Carolus in diverſis fecit temporibus, ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipſa verò, quæ Dominus HLudovicus præclarus Imperator, & HLotharius Cæſar filii ejus fecerunt, ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congeſſi.* In tribus autem poſterioribus libris, quæ prætermiſſa erant, Benedictus Levita congeſſit, vel ſimilibus Principum edictis illuſtrauit. Poſtea *Lotharii* cura acceſſit, decusque ac robur legi addidit, dum ſervandam non ſolùm *Gallis Germanisque*, ſed & *Italiæ* regno injunxit. Extat conſtitu-

ſtitutio ea apud Baronium tom. x. Annal. Eccleſ. A. 847. num. XII. *Placuit nobis, ut Capitula, quæ excerpſimus de Capitulari bonæ memoriæ glorioſiſſimi avi Domini noſtri Caroli, & genitoris noſtri Ludovici Imperatoris invictiſſimi, his omnibus, & fidelibus noſtris, & ſanctæ Eccleſiæ, in regno Italiæ conſiſtentibus, per legem teneantur & ſerventur.* Nec abnuebant Pontifices Romani eas leges; ſive quòd illa temporum foret modeſtia, quibus adverſari obnitiq; Regum voluntati, turpe habebatur, ſive quòd pleraque, ut Baronius exiſtimat, quæ in libro *Capitularium* continentur, accepta ex ſacris conciliis & decretis Pontificum fuerint. In ipſis Legibus, quum magna criminum pars pecuniâ luatur, nonnulla per pœnitentiam Eccleſiaſticam abſolvatur, quinque tantum flagitia ultimum mortis ſupplicum ſceleratis afferunt: primò ſi quis fœdis puerorum amoribus aversâque Venere infamis; ſecundò ſi latrociniis publicam itinerum ſecuritatem conturbet: tertiò, ſi ignem in aliena tecta injiciat: quartò ſi patriam civemque hoſti prodat; denique ſi furtim raptum ablatumque hominem vendat.

VI. LEX ALAMANNORUM nomen traxit ab *Alamannis*, qui inter *Danubium*, *Mœnum* & *Rhenum* amnes incoluêre, ut Am. Marcellinus paſſim indicat: gens primum inter Germanos obſcura, & circa *Antonini Caracalli* tempora demum à Romanis ſcriptoribus memorata, ſed mox ad tantam nominis claritatem provecta, ut tota Germanorum gens exteris nationibus *Alamanni* dicerentur. Poſtquam enim victoriis bellisque inſignes, *Mœnum* transgreſſi, in *Cattorum* & *Mattiacorum* terras ſe effudiſſent, & ultrà Rhenum, *Rauracis Helvetiisq;* ſubactis, victricia arma protuliſſent, magni claritate haberi cœperunt; oppreſſis per tantum fulgorem cæterorum Germanorum nominibus, quæ per tantam gentem varia plurimaque vigebant. Sed cæſi poſtea à *Clodovæo* Francorum rege, & ingenti ſtrage ad *Tolbiacum* affecti, non ſolùm in ſervitutem à Francis redacti ſunt, ſed & leges ſibi imponi à victoribus, æquò animô tulerunt. Nè autem ad aliena gentis mores & inſtituta vivere coacti, amiſſam libertatem impotentius quærerent, *Theodoricus I.* Francorum Rex, Clodovæi filius, è patriis ipſorum moribus & conſuetudine legem conſcribi juſſit, quam *Alamannicam* appellavit. Quæ poſtea emendata eſt, ac renovata à *Clotbario II.* Chilperici filio, ejusque Principibus, veluti ille legis titulus demonſtrat: *Incipit lex Alamannorum, quæ temporibus Clotharii Regis unà cum Principibus ſuis, quorum fuerunt Epiſcopi XXXIII. Duces XXXIV. & Comites L. XXII. cum cætero populo conſtituta eſt.* Ipſa lex, etſi è Martii ferocisque populi moribus hauſta, miram lenitatem

tem atq; manſuetudinem tota ſpirat: neque enim in ea homicidium, aliaque enormia ſcelera, quæ hodie ſanguine & cæde vindicamus, mortis ſuppliciô mulctantur, ſed Iuuntur certo pecuniæ numero, quam *Werigildum* vocant. Leges Aleman. tit. L. §, I. *Si quis hominem liberum occiderit, quod Alemanni Mortiudb dicunt, IX. VVerigildos componat.* Sic de Incendariis Tit. LXXXII. §. I. *Si quis ſuper aliquem, focum ſuum ſcintille miſerit, ut Domum ejus incendat, ſeu & ſalam ſuam, & inventus, & probatus fuerit, omne quod ibidem arſit; ſimile reſtituat, & ſuper hæc XL. ſolid. componat.* Similiter de raptoribus & adulteris, tit. LIV. §. I. *Si quis Sponſam alterius contra legem rapuerit, reddat eam, & cum CC. ſolidis componat.* Et Tit. LIX. §. II. *Si cum ea fornicaverit, contrà voluntatem ejus, componat ſolid LX.* Ultima lex eſt: *Nullus alienam terram, ſine auctoritate præſumat invadere, qui hoc fecerit, cum vindicta ſe expellendum cognoſcat.* Cui ſtatim ſubjunctum eſt: *Hoc decretum eſt apud Regem & Principes ejus, & apud cunctum populum Chriſtianum, qui intra regnum Meruvingorum conſiſtunt.*

VII. LEX BAJOARIA, quam Rex Theodoricus quoque ſanxit, olim *Bojoaria*, & *Bajuvaria* pariter dicebatur: nomine ſumto à *Boiis*, qui mediis ſeculis *Bojoarii*, *Bajodarii*, *Bajuvarii*, *Bojobari*, *Baibari*, & tandem *Bavari* vocantur. Hi à Marcomannis ex *Bohemia* quondam pulſi, in partes *Vindelicia*, ubi hodie *Bavaria* eſt, transgreſſi, factisque & virtutibus eximii, Reges ſibi impoſuère, qui florentiſſimum inter Danubium, Oenum, Licumque amnes imperium conſtituerunt. Sed cadentibus Alamannorum rebus, à Francis oppreſſi, & abolitô regnô Ducibus parère coacti ſunt; deditq; mox genti legem *Theodoricus*, expreſſam hauſtamque ex priſca populi conſuetudine, ut in Præfatione Legum Germanicarum refertur. Eam legem *Childebertus II. Clotharius II.* & *Dagobertus* adauxère firmaruntque: ſed & *Taſſilo* Bavariæ Dux quaſdam conſtitutiones circa A. C. DCCLXX. adjecit. In multis cum Alamannica lege convenit; ſed inprimis lenitatem mollitiemque pœnarum æmulatur. Solum enim crimen læſæ Majeſtatis, morte expiari jubet; cætera mulctat pecuniis, unde & fiſcus, & læſa familia ſatis factionem recipiant. Sic jubent leges Bajuv. cap. II. tit. II. §. I. *Ut nullus Bojoarius alodem aut vitam ſine capitale crimine perdat; id eſt, ſi aut in necem Ducis conſiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit, tunc in Ducis ſit poteſtate vita ipſius, & omnis res ejus, & patrimonium. Cætera verò quæcunq; commiſerit peccata quousq; habet ſubſtantiam, componat ſecundùm legem. Si verò non habet, ipſe ſe in ſervitutem depri-*

mat. Tria igitur majestatis violatæ crimina erant, quæ capitis supplicium intendebant: conjuratio adversùs Ducem, proditio Patriæ, & quietis finitimæ turbatio; in cæteris obtinebat illud: *Nulla sit culpa tam gravis, ut vita non concedatur.* Ita cædes hominis liberi CLX. solidis, cædes servi XX. solid.; adulterium CLX. solid. stuprum virginis liberæ XIII. solid; fur[illegible]X. solid. æstimabatur: reliqua servorum delicta flagellis virgisque vindicabantur.

VIII. LEGEM SAXONUM, quæ inter antiquas divulgatur, Albertus Stadensis & Helmoldus ad *Heraldum* Danorum Regem, qui floruit Anno DCCCCLXXXIV. auctorem referunt; sed rectiùs doctissimus Lindenbrogius leges Heraldi recentiores *Saxonicâ* illâ arbitratur. Nec tamen Glossatori adsentio, qui in Præfatione ad *Meichbild*, legem Saxonum à *Constantino M.*, latam affirmat; quum ejus origo ætatem *Karoli M.* haud multùm antecedere videatur, dum in ea sanciuntur leges, quæ ad rem Ecclesiæ, & salutem Regis Francorum pertinent. At satis constat, *Saxones* ante *Karolum M.* nec religioni Christianæ addictos, nec Francorum jugo admotos fuisse: nisi fortasse dicendum est, immutatas à *Karolo M.* leges Saxonum, auctasque esse, postquam gentem bello fregisset. Quò pertinent verba illa Karoli M, in Constitutione de sede regia & judicio Imperiali Aquisgran. apud Goldastum tom. II. Constit. Imp fol. VII. *Deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni nostri, Legem Saxonum, —— —— sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum meorum semper fuit, distinxi: distinctam sub auctoritate regia & Imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione vel corde prolatam, sed communi auxilio à me renovatam & auctam in melius, sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur.* Existimat Huldricus Mutius Chron. Germ. lib. XII. institutam scriptamque ab homine docto legem illam, qui Philosophicis studiis in *Græcia* operam dederit: *Multa enim*, inquit, *Platonis legibus conveniebant.* Quam Viri opinionem fortasse confirmaverit eorum sententia, qui *Saxones* è *Græcia* oriundos statuunt; quale illud Gotfridi Viterbiensis Chron. part. XV.

Saxo, velut credo, patriâ fuit ante Macedo,
Regis Alexandri miles ubique fuit.

Sed illa nec refellere, nec affirmare, nunc animus est; neque eorum sententiam confirmare lubet, qui *Fosos* apud Tacitum, *Saxones* nostros interpretantur. Id obiter memorandum est, *Legem Saxonicam* longè lateque per Germanicas gentes invaluisse, quum *Saxonum* virtute factum esset,

eſſet, ut non ſolum priſcas ſedes ad *Sinum Codanum* & *Albim* ditione ſua amplecterentur, ſed & *Friſiam Bataviamque* pulſis Francis invaderent, *Britanniam* coloniis ſuis occuparent, totumque illum tractum a *Rheni* oſtiis & paludibus ad *Garumna* usque oſtia, vel ad *Santonos* usque, quod veteribus *littus Saxonicum* dicebatur, metu & imperio premerent. Sed maximè ad dignitatem Saxonicæ legis pertinet, quod ab eo fonte plerasque ſuas leges hauſerit nobiliſſima illa, & toto terrarum ambitu maxima inſula; quæ licet poſtea ab iis, quos *Dania* ac *Normannia* ad ejus ſceptrum transmiſêre, novas ſubire leges coacta ſit, multum tamen ut linguæ morumque, ita legis Saxonicæ retinuit. Cæterum ipſa lex, & pœnarum gravitate, & ſupplicii magnitudine *Alamannicam* & *Bajoariam* excedit, quum grandia ſcelera ultimo capitis diſcrimine expiari jubeat. Hinc leges iſtæ Tit. iii. iv. & v. *Qui hominem propter faidam in propria domo occiderit, capite puniatur. Qui caballum furaverit, capite puniatur. Qui alvearium apum infra ſepta alterius furaverit, capite puniatur. Qui domum alterius vel noctu, vel interdiu, ſuo tantùm conſilio volens incenderit, capite puniatur.*

IX. Inter recentiores *Saxonum* leges, præcipuè celebrantur SPECULUM SAXONICUM & JUS MAGDENBURGICUM, quæ circà ſeculum decimum tertium in ſcripta ex antiquis conſuetudinibus relata, tanta auctoritate invaluêre, ut his ferè juribus maxima Germaniæ pars uteretur. Sed & à *Danis Poloníque* recepta ſunt; nec ſolum novæ inde leges formatæ, ſed & proceſſus cauſarum civilium inſtituti; ut ipſi Dani ac Poloni fatentur. Arnoldus Huitfeldius Cancellarius Regnor. Dan. & Norvveg. in Præfatione Legum Provincial. terræ Scaniæ: *Omnes hæ leges, Cimbrica, Scanica, & Selandica, magna ex parte originem habent ex jure Saxonico: quod cuivis facilè deprehendere licet, qui eas cum libro* Sachſens Spiegel *vulgò dicto contulerit.* De uſu atque auctoritate *Juris Saxonici* in Polonia extat edictum Regis *Sigismundi* datum Grodnæ MDCX. ubi, quum retuliſſet, viſum fuiſſe Majoribus ſuis, ut *Teutonico Jure* Urbes & oppida ſua uterentur, tandem ſubjungit: *Sigiſmundus verò avus noſter graviſſimus, & ætatis ſuæ Regum Pater, Speculum juris Saxonici, & illud jus Municipale, docti viri Jaskri lucubratione & commentariis oratione illuſtratum, publicare per regnum & ditionis ſuas voluit, eidemque auctoritatem tribuit.* Sed *Speculi Saxonici* originem Johannes de Laſco, Cancellarius Regni Poloniæ, ipſique Saxones ad Karolum M. deducunt: in quo falli eos, manifeſtum eſt, quum hujus Speculi auctor ſit *Eccò de Repkau*, Eques Saxo, qui id partim

tim ex *Conſtantini M.* & *Caroli M.* partim ex *Ottonum* & *Fridericorum* conſtitutionibus collegit, ut vetus Gloſſator, & ipſa legis inſcriptio expreſſiſſimis verbis teſtantur. Neque *Jus Magdenburgicum*, quod Teutonicâ linguâ Weichbild vocant, *Ottoni Ruſſo* Imperatori rectè à Saxonibus adſcribitur, quum illud *Burchardus de Mangelfeld*, regnante Ottone IV. ex conſtitutionibus *Ottonum*, *Henricorum*, & *Fridericorum* collegerit compoſuerit-que, ſi ipſi legis inſcriptioni, & Gloſſatori fides adhibenda eſt. Fuêre clariſſimi Viri, qui utramque legem laudibus tulerunt, quòd priſcam gentis noſtræ notitiam, moresque ac conſuetudinem, egregie adumbraret: ſed alii prudentiùs, noſtro quidem judicio, reprehendendam putarunt, quòd tempora atque hiſtoricas narrationes confundat, veluti ab Alberto Cranzio in Saxonia ſua lib. II. cap. XXI. diligenter obſervatum eſt. Spectat huc quoque *Jus Feudale Saxonum*, de quo Gloſſa in Speculo Saxon lib. I. Art. XIV. *Carolus M. Jus Provinciale Saxonibus ſtatuit: Fridericus verò Imperator Jus Feudale, ut in auth. de uſib. feud. coll. 10.* Ad ejus originem pertinet, quod Cuſpinianus in Friderico III. Imperatore ſcribit: *Eum Juriſperitos mediocriter dilexiſſe, quòd Juris æquitatem diceret ab iis inverti, juſtitiamque fœdari: ob id. novum de uſibus feudorum librum fieri juſſiſſe.* Laudat eum Juris Feudalis Codicem Marquardus Freherus, & ſub nomine *vetuſtiſſimi Auctoris de Beneficiis*, ſubinde citat; ſed auctoritas ejus dignitasque potiſſimùm ex *Privilegio Juris Teutonici Provincialis ſupremi Caſtri Cracovienſis*, per Reges Poloniæ promulgato, eluceſcit.

X. Ad veteres Saxonicas leges pertinet LEX WESTPHALORUM, cujus nobiliſſima mentio in Corpore Legum Germanicarum inter *Saxonicas* occurrit: nam *Weſtphalos* partem priſcorum *Saxonum* eſſe, ſatis opinor ex priſcis liquere monumentis, ubi *Saxones* in *Oſtphalos* ſeu Orientales, in *Angarios*, & *Weſtphalos* ſeu Occidentales dividuntur. Nec de aliis, quàm de *Weſtphalis* ſumenda illa Wipponis verba in vita Conradi Salici cap. VI. *Reverſus Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi legem crudeliſſimam Saxonum, ſecundùm voluntatem eorum, conſtanti auctoritate corroboravit.* Quæ autem fuerit crudeliſſima illa Weſtphalorum lex, Marq. Freherus, vir rerum Germanicarum peritiſſimus, fuſiùs libello peculiari explicuit, quem de *Secretis Judiciis in Weſtphalia* inſcripſit. Nimirum *Karolus M.* quum *Weſtphali* libertatis ſuæ tenaciſſimi, ſæpe Francorum excuterent jugum, ſæpe religionem Chriſtianam abjicerent, viros aliquot honeſtos atque induſtrios ſecreto delegit, qui turbulentos homines, & rerum novarum avidos, ſine longiore diſputatione, ſine examine, atque Juris

am-

ambagibus, confeſtim ad ſupplicium raperent. Ipſum Judicium, quòd legibus ſolutum eſſet, *Vemicum*, corrupte *Vetitum*, ſive patrio ſermone Freygeding/Vemeding/Vemerecht dicebatur: judices autem *Scabini*, ſive *Freygravii*, Freye Schöpffen/ Wiſſende/ Feymers appellabantur. Meminit illius judicii Æneas Sylvius, Cardinalis Senenſis, Europæ cap. XXIX. ubi quum originem proceſſumque enarraſſet, mox ſubjungit: *Id judicium usque ad noſtram perdurat ætatem, vocaturque Vetitum. Qui ei præſunt, Scabini appellantur: quorum ea præſumtio eſt, ut per totam Germaniam juriſdictionem extendere velint. Secretos habent ritus, & arcana quædam, quibus malefactores judicant. Ea nondum quiſquam repertus eſt, qui vel pretio vel metu revelaret. Ipſorum quoque Scabinorum magna pars occulta eſt: qui per provincias diſcurrentes criminoſos notant, in judicio accuſant, probantque, ut eis mos eſt. Damnati deſcribuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus ſuæ damnationis, ubicunque repertus fuerit, ſupplicio afficitur.* Verùm clandeſtina illa judicia, quum manſuetudini adverſaretur Chriſtianæ, hominem inſcium, non auditum, non defenſum in furcam rapere, aut caput miſero præcidere, primùm à Sigiſmundo & Friderico III. reſtricta ac mitigata ſunt: inde paullatim decretis Principum coercita obſoleverunt: quamvis *Scabinos* illos, judiciali nunc ordine agentes, in nonnullis etiamnum ſupereſſe oppidis, Chytræus memoret.

XI. LEX ANGLIORUM & WERINORUM dicta eſt, quam *Thuringi* habuêre; ſicut in Legis inſcriptione eſt: *Lex Angliorum & Werinorum, hoc eſt Thuringorum.* Tacitus *Anglos* & *Varinos* appellat, quos Marcianus Heracleota ad littus maris Balthici collocare videtur. Sed *Thuringorum* nomen celebre magnumque haberi in Germania cœpit, poſtquam circà A. C. CCCCXXVI. *Merwigum* ſive *Merovæum* creârunt Regem, cui *Baſinus* & *Irmenfridus*, clara in priſcis hiſtoriis nomina, ſucceſſere. Sub his enatam primùm Legem, populoq; impoſitam, haud temerè colligitur: quam poſtea *Ulemarus*, ut in Legis Tit. VI. innuitur, nonnullis adauxit: donec tandem per *Karolum M.* confirmata, ad poſteros devenit. Tota autem ferè ad genium Alemannicæ legis compoſita, eſt quum nullô capitis ſuppliciô, ſed mulctâ pecuniariâ crimen omne ac maleficium æſtimari, expiarique ſanciat. Sic de Homicidiis Tit. I. §. I. *Qui liberum occiderit, CC. ſolid componat.* De furtis Tit. VIII. §. I. *Qui gregem equarum in parrico furatus fuerit, in Triplum componat.* Et de Incendio Tit. IX. §. I. *Qui domum alterius noctu incenderit, damnum triplo ſarciat, & in fredo ſol. LX.* Similiter de vi & ſtupro Tit. XI. §. I. *Qui liberam fœminam rapuerit,*

erit, reddat eam cum ſolid, cc. Illa etiam lex, quæ eſt de *Alodibus* Tit. VI. §. I. conſtitutioni Salicæ ſuffragatur: *Hæreditatem defuncti Filius, non Filia ſuſcipiat. Si Filium non habuit, qui defunctus eſt, ad Filiam pecunia & mancipia, terra verò ad proximum paterna generationis conſanguineum pertineat.*

XII. LEX BURGUNDIONUM, etſi potisſimùm per Gallicas viguerit ditiones, propriè tamen inter Germanicas memoranda leges eſt; tum quòd *Helvetiam, Allobroges, Alſatiam, Lotharingiam* ſuis quoque imperiis ambiverit, tum quòd ipſi *Burgundiones*, & gente & domo, magnum ſemper nomen inter *Germanos* mediis ſeculis obtinuerint; ſicuti & olim Plinius, quum univerſam Germaniam in quinque genera diſtingueret, primò loco *Burgundiones* inter *Vindilos* poſuit. Auctor legis *Gundebaldus*, Burgundiæ Rex, ut indicat ipſa Præfatio: *In Dei nomine, Anno ſecundi regni Domini noſtri gloriosiſſimi Gundebaldi Regis. Liber conſtitutionum de præteritis & præſentibus, atq; in perpetuum conſervandis legibus, editus ſub die* IV. *Cal. April. Lugduni.* Floruit autem Gundebaldus circa A. C. CCCCXCV. quem poſtea A. CCCCCI. Clodovæus Francorum rex tributarium fecit, ut Sigebertus narrat. Ab auctore quoque Lex *Gundebada, Gundebalda Gundebodinga* dicta eſt; cujus celebris exſtat mentio in Agobardi libello ad Ludovicum Imperatorem, ubi ſuper impietate duelli contra eandem acerrimè diſputat. Verba inter alia ſunt: *Cur de mutuo repelluntur teſtimonio? quæ utilitas eſt? niſi propter legem, quam dicunt Gundebadam, cujus autor extitit homo hæreticus.* Ubi tamen eruditiſſimus ille Anglorum Eques mirari ſe fatetur, cur propter duelli examen, *Burgundiones* præ cæteris gentibus, accerbiſſimè traducantur, quum & majore conſuetudinis illius infamiâ laboraverint *Longobardi*, & antiquiores populi, veluti *Hyberni*, in dubiis judiciis cauſam litigantium armis commiſerint? Nec adeò pravam diſtortamque *Gundebadam* eſſe Legem, facilè is cognoſcet, qui *Papiani* librum Reſponſorum inſpiciat; cujus tanta cum hac lege ſimilitudò & convenientia eſt, ut pariter ex jure Romano hauſta atque expreſſa videantur. Jam quanta legis ſanctitas, quanta abſtinentia eſt, ubi infinitam Judicum poteſtatem circumſcribit, & ne muneribus donisq; corrupti, juſtitiam polluant, carnificem & laqueum oſtendit? Sanè magna illa & ſancta Legislatoris verba: *Quodſiquis*, Comitum, Optimatum, Majorum Domus, *corruptus contrà leges noſtras, aut etiam injuſtè judicans de cauſa aut judicii pramium convictus fuerit accepiſſe, ad exemplum omnium, probato crimine, capite puniatur.* Similiter homicidium, aliaque graviora ſcelera, peccanti pœnam

nam mortis irrogant: validiore legum auxilio, quàm quo *Franci, Alamanni, Bojoarii* flagitia teterrima ad nummorum pretium exigebant, vindicabantque.

XIII. LEX FRISONUM in magno olim honore apud Germanos Septentrionales fuit, quòd populus ille armis ſtrenuus, & Regum ſuorum imperiò validus, latiſſimè terrorem, & venerationem nominis ſui diffunderet. Neque enim olim arctis illis circumſcribebatur finibus *Friſia*, quibus hodie in ſe incluſit: ſed ad Oceanum *Rhenò* prætexebatur, inde maritimas regiones complexa, ad *Albim* usque ſpargebatur: planè ut ea tempeſtate pars *Hollandiæ, Geldriæ, Ultrajectini* agri, aliarumque regionum in ſolo *Friſico* comprehenderetur. Ipſam legem ab *Haraldo* Danorum Rege latam, Albertus Stadenſis ad An. DCCCCLXXXIV. memorat, ubi ait: *Certiſſimum eſt, eum tam noſtro populo, quàm Tranſalbianis & Friſonum genti leges & jura conſtituiſſe, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* At verius cenſet exactiſſimi ingenii vir, Fred. Lindenbrogius, Leges *Haraldi* recentiores eſſe iis, quas in ſuo Codice leges antiquas Saxonum, Friſonum, aliorumque edidit: quum membranæ, & rudis ſcribendi vetuſtas, ætatem Karoli M. longiùs antecedere videantur. Id ſatis compertum eſt, nondum *Friſones*, quum legem hanc admitterent, ſacris Chriſtianis fuiſſe deditos; unde profana illa lex *de Honore Templorum* Tit. XI. *Qui Fanum effregerit, & ibi aliquid de ſacris tulerit, ducitur ad mare, & in ſabulo, quod acciſſus maris operire ſolet finduntur aures ejus, & caſtratur, & immolatur Diis, quorum templa violavit.* Totam autem legem duo *Sapientes*, ut vocantur, *Vlemarus* & *Saxmundus* auxerunt illuſtrâruntque; unde paſſim occurrit; *Ulemarus dicit:* item *Hæc judicia Saxmundus dictavit.* Crimina majora, *Mordritum, Thiubdam, Brandi, Notnumfti, Dolg*, id eſt, homicidium, furtum, incendium, vim publicam, rapinam, paucis nummis æſtimat, & Alemannicæ legis lenitatem aut ſuperat, aut æquat.

XIV. LEX RIPUARIA nomen accepit à *Ripuariis*, inferioris Germaniæ populo, quos *Rheni, Moſellæ*, & *Moſæ* fluviorum ripæ clauſerant: Angli & Franci *Ribuarios* dixère. De auctore legis nihil in priſcis monumentis reperio; quamvis juſtiſſima mihi ſuſpicandi cauſa ſit, non alium, ac *Theodoricum I.* Francorum Regem eſſe, qui Francis, Bojariis, Alamannis ſuas leges tradidit. Poſtea *Karolus M.* eam diſtinxit, & auctoritate regia ſtabilivit, ut in Conſtitutione de ſede Regia Aquisgranenſi ipſe fatetur. Illam inter exteros tanto in pretio habuit *Henricus I.* Anglo-

glorum rex, ut non ſolùm multa inde in ſuas transtulerit leges, ſed & iisdem verbis deſcripſerit, ut Spelmannus in Archæologo ſuo oſtendit. In cæteris planiſſimâ convenit legibus Alamannorum, dum rarum, aut nullum capitis ſupplicium graviſſimis delictis imponit, ſed ſcelus omne mulctâ nummorum abſolvit. Plura quoque Salicis decretis reſpondent; qualis illa Lex de *Alodibus* Tit. LVIII. §. IV. *Sed dum virilis ſexus exiterit, fœmina in hæreditatem aviaticàm non ſuccedat.*

XV. LEGEM GOTHORUM duabus de cauſis inter Germanicas refero: quòd gens illa & ſanguine & domo, *Germanis* ſemper accenſita fuerit; quodve numerô ſuo, & armis inclyta, toti ferè olim Europæ infuſa, magnam quoque legum imperiorumque vicisſitudinem in exteriores Germaniæ partes invexerit. Nam quum *Hungariam, Illyricum, Italiam, Hiſpaniam, Galliæ* partem occupaſſet, vetus conſuetudo fori, & priſtina judiciorum forma paſſim per Europam immutata eſt; factumque vicinià & cognatione gentis eſt, ut in multis Germaniæ locis majeſtas Gothicæ legis comiter coleretur. Primus illam tulit rex *Erudicus*, Æra Gothicâ CCCCCIV. id eſt, An. Ch. CCCCLXIV. ut Iſidorus in Chron. Gothor. teſtatur: ſed poſtea Reges *Levigildus, Chendaswindus*, & *Recaswindus* inveteratam collapſamque renovârunt: donec tandem *Egica* rex totam recenſuit, & auctoritate concilii Toletani XVI. confirmavit, ut pluribus Lindenbrogius demonſtrat. Appellata eſt plerumque *Wiſigothica*, quum *Wiſigothi* Gothos Occidentales, & *Hiſpaniam* habitantes notarent: ſicut *Oſtrogothi*, id eſt, Orientales dicebantur, qui in *Pannonia, Hungaria, Illyrico*, vicinisque regionibus conſederant. Præterea *Bellaginum* nomine innotuit, quomodo ipſi *Gothi* leges ſuas ac jura appellare ſolebant. De quo ita Jornandes de rebus Geticis cap. II. *Diceneus Gothis phyſicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conſcriptas Bellagines nuncupant.* Sed & LEX DANORUM, quæ in Legibus Eduardi Confeſſoris *Noricorum* ſeu *Norwegienſium* appellatur, iiſdem de cauſis inter Germanicas cenſenda eſt, quum & ad genium atque ſimilitudinem Teutonicarum Legum accedat, & per Septentrionales Germaniæ partes, latiſſimè ab iis divulgata ſit, quos & ſtirpe, & Imperio Germania ſibi vindicaverat. Poſtquam enim *Dani*, Germanica gens, domitis expulſisque *Anglorum* copiis, *Britanniam* ſubjugaſſent, non ipſum modò Septentrionem & *Sueciam* armis laſsârunt, ſed mare Balthicum transgreſſi, *Livoniam, Eſthoniam, Curetes, Boruſſiam, Vandaliam* victoriis peragrârunt, vaſtosque illos terrarum tractus in imperia, mores, leges-

que

que ſuas impulêre.

XVI. LEX APPARENS, *Aperta, Paribilis, Simplex*, jam propriè de *Duellis* dicta eſt, ubi dubiis in judiciis, in arenam dimiſſi pugnabant; jam pro *aquæ & ferri candentis* judicio ſumta, quod *Ordalium* vocarunt; jam latiùs uſurpata pro omnibus examinum probationumque generibus, quæ uno nomine *Judicium Dei*, ſive *Judicium divinum* dixêre. Legis *Apparentis* ac *Paribilis* frequens mentio eſt in Conſtitutionibus ac Legibus Siculorum, Scotorum, Normannorum, Anglorum: ſed *Judicium Divinum* ſæpius in Francorum atque Alamannorum monumentis priſcis legitur. Sic apud Turonenſem lib. XI. *Adſingulare certamen, judicio Dei, his duobus confligentibus cognoſcatur verum.* Et apud Agobardum in libello de impietate duelli: *Quid eſt, quòd — cauſa divino judicio committuntur?* In formulis ſolen. Lindenbr. n. CLXXII. *Fuit judicatum in ipſo placito, ante ipſum vicarium, ut ad crucem, ad judicium Dei, pro ipſa terra, in noctes XLII. in ipſo placito, pro hoc deberet aſtare.* Sed *Judicii Divini*, ſeu *Legis Apparentis* diverſæ erant ſpecies, quarum primæ habebantur *Duellum, Ferrum candens, Aqua Frigida, Aqua fervida, Sacra Euchariſtia, ſymbolum Crucis, Jusjurandum:* inde *Offa Judicialis, Panis hordeaceus, Caſeus execratus, Sortes*, numerabantur. Ex prioribus potiſſimùm priſcæ leges commendarunt *Jusjurandum, Duellum, Ordalium*, ſive ejus ſpecies, *Aquam frigidam*, & *Aquam gelidam & ferrum candens*: *Crucis* enim atque *Euchariſtiæ* ſacræ rarior uſus fuit. Primum appellabant *Purgationem Canonicam*; ſecundum *Legem Duellionum*, tertium *Purgationem Vulgarem*, ut paſſim ex legibus priſcis patet. Sed poſtulat inſtituti noſtri ratio, ut ſingulas Examinum ac Probationum ſpecies paullò altiùs conſideremus, quum à Majoribus noſtris inter leges habitæ receptæque fuerint.

XVII. Primum & ſimpliciſsimum Probationis genus erat *Jusjurandum*, ſive *Purgatio Canonica*, cujus uſum ſanctisſimum voluntas & opinio gentium, tum decreta Principum fecêre, quum nullum vinculum ad ſtringendam fidem arctius putaretur. Sed diverſis ritibus ſacramentum dicebatur. Apud *Francos* juraturus, ſtipulas ſive faſciculum ſegetum manu dextrâ tenebat, iisque cœlum verſùs projectis, Deo Angelisq; innocentiam ſuam commendabat. *Alemanni* gladii, ſeu *ſpatha*, ut vocarunt, prehenſo capulo jurabant; *parati manu etiam tueri veritatem, quam ſemel affirmaſſent*, ut Vadianus ait. Sed poſtea mos inolevit, ut ſuper ſanctorum hominum reliquias & tumulum, aut poſitis ſuper altare manibus jusjurandum diceretur. Hinc Capitul. lib. VI. cap. CCIX. *Omne ſacramentum in Eccleſia ſuper reliquias juretur.* Et Turonenſis lib.

III. cap. XIV. *Tunc Argefilus poſitis ſuper altare manibus juravit ei, ut ſecurus egrederetur.* Item de ſe ipſo lib. v. cap. XLIX. quum accuſatus eſſet, quòd Reginam adulterii inſimulâſſet: *Tum cunctis dicentibus, Non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotem credi, reſtitit ad hoc cauſa, ut dictis tribus Miſſis, in tribus altaribus me de his verbis exuerem ſacramentô.* Ipſe reus, qui ſacramentum jurabat, *Jurator, ac Sacramentalis*, in antiquis legibus nominatur: cæteri, qui ad confirmandum ipſius juramentum accedebant, *Compurgatores* & *Conjuratores* appellatiſunt. Nec enim ſolus reus, vitandi perjurii causâ, ad jurisjurandi religionem & ſanctitatem admittebatur; ſed duodecim inſuper *Compurgatores* plerumque adhibiti, qui una voce communique teſtimoniô innocentiam hominis aut aſſererent, aut ſceleris ſuſpicionem firmarent. Decretum Childeberti Regis: *Duodecim perſonis ſe ex hoc ſacramento exuat.* Leges Burgund. Tit. VIII. §. I. *Cum XII. juret.* Leges Bojor. Tit. VIII. §. III. *Cum XII. Sacramentalibus juret de lite ſua.* Leges Friſonum Tit. XIV. *Sua duodecimâ manu juret.* Sic Feudor. lib. Tit I. §. Si autem: *Si vero probare non poterit*, (feudum paternum fuiſſe) *prædicto modô, dabitur ei defenſio cum XII. Sacramentalibus.* At ipſum jusjurandum, uti verbis ſimpliciſſimis liquidiſſimisque concipiebatur, ita pejeranti, aut utenti verbis trepidis, ac per ambiguas ſignificationes ſententiam animi diſſimulantibus, pœna humana dedecus perpetuum inferebat: ſicut à Divina vindicta exitium certiſſimum incumbere perjurio credebatur, quôd fidem religioſæ affirmationis, quaſi Deo teſte & arbitro promiſſæ, protervè neglexiſſet. Sed & manum Leges abſcindi pejeranti jubebant; de quo præter *Friſionum* & *Alemannorum* Leges, Capitularium liber III. cap. X. *Si quis convictus fuerit perjurio, perdat manum aut redimat.*

XVIII. Poſt *Jusjurandum*, frequentiſſimum clariſſimumque probationis genus erat Duellum, ſive *Lex Duellionum*: ut nimirum dubiis in judiciis, quum utrinque argumenta eſſent obſcura, armis litigantium crederetur, victusque pro nocente haberetur. De quo Leges Alamannicæ Tit. XLV. §. I. *Si quis liber libero crimen aliquod mortale imp ſuerit, & ad Regem, aut ad Ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt, niſi quod ipſe dicit, liceat illi alio, cui crimen impoſuit cum tracta Spatha.* ſtricto gladiô) *ſe idoneare contrà illum alium.* Pariter Leges Bajoar. cap. XV Tit. V. §. I. Leges Anglior. & Werin. Tit XV. & XVI. Leges Friſionum Tit XIV. §. IV. & V. Leges Longobardicæ Tit. CXII. & alibi paſſim; quibus & recentior Ottonis Lex accedit. Nec populo tantùm ea fuit facultas, ut innocentiam

tiam ſuam gladiô defenderet; ſed & Principes, Proceresque ſingulari certamine lites in campo diſcernebant. Itaque *Otto* Bavariæ Dux, quum vitæ *Henrici III.* Imperatoris inſidiatus argueretur, juſſus ab Imperatore eſt, *ut objectum crimen congreſſus cum accuſatore ſuo, manu propriâ refelleret*, uti Albertus Schaffnaburgenſis de reb. German. loquitur. Unde apud Turonenſem Hiſt Franc. lib. VII. cap. XIV. Guntheramnus Boſo Dux Regem Guntheramnum ita affatur: *Inſontem me de hac cauſa profiteor. At ſi aliquis eſt ſimilis mihi, qui hoc crimen impingat occultè, veniat nunc palàm & loquatur. Tu, ô Rex piiſſime, ponens hoc in Dei judicio, ut ille diſcernat, cum nos in unius campi planitie viderit dimicare.* Dimiſſi in arenam *Campiones* dicebantur, quos plurimùm Judex excuſſis veſtimentis ſcrutabatur, ne herbis, quæ veneficio aptæ creduntur, vires ſibi circumponerent, aut adverſario illuderent. Leges Longobard. Tit. CXII. §. 1. *Nullus Campio præſumat, quando adpugnandum contra alium vadit, herbas quæ ad maleficia pertinent, ſuper ſe habere.* Sed de modo rituque duelli ineundi, juxta morem Saxonum, operosè agit Speculum Saxonicum lib. I. art. LXIII. ex quo illa tantum adſcribere lubet: *Judex cuique duos præbere debet, qui videant, quod ſecundùm conſuetudinem præparentur. Quantum voluerint de corio & lineo induant, dummodo frontes, id eſt, capita atque pedes permaneant nudati. In manibus non niſi ſimplices habeant chirotecas: nudum in manu quilibet habeat gladium, & cum uno vel pluribus, ſecundùm cujusque arbitrium, præcingatur. Clypeum ligneum coriô tectum, & non niſi umbonem ferreum in manu ferant, & unam tunicam induant, cujus manicæ usque ad cubitum ſe extendant. Judex circulo pacem, ne quis eos impediat, debet ſub pœna capitis demandare.* Et paullo poſt: *De vaginis ferrum non auferant, niſi hoc eis à Judice concedatur. Ante Judicem accedere debent præparati & jurare, alter videlicet, quod illa accuſatio vera ſit, & reus, quod innocens ſit, ut ſic eos Deus adjuvet in ſuo Duello. Splendor Solis eis dividatur, quando procedunt.* Sic inſtructi, ſic armati, veluti gladiatores venales ad arenam legibus damnati, judicium rerum ſuarum armis committebant: victor inter acclamantium applauſus, cauſam ſuam cœlo hominibusque approbâſſe videbatur: victus autem ſuccumbensque, licet ictibus mutilus, licet exanguis, & animam exire cupientem vix retinens, *Judicio Principis quod vitam, membra, bonorum confiſcationem & terrarum ſiſtebatur.* Immanis ac truculenta lex à ſævis gentibus, *Gothis, Vandalis*, aliisque ab Borea venientibus populis profecta eſt; inde à *Longobardis, Francis, Alamannis, Saxonibus* tantô ſtudiô arrepta,

repta, ut & Sacerdotes ac Monachi à ſacris altaribus profugi, Martem litium ſuarum facerent arbitrum, & in mutuam perniciem deſævirent. Infeliciſſimô ſanè, atque iniquisſimô Juſtitiæ fato, quum fallax ſæpe arena hauriret innocentem ſanguinem, & quicunque feliciùs, ille & juſtiùs arma ſuſtuliſſe videretur. Unde nefariam conſuetudinem gravisſimis verbis accusârunt veterum ſeculorum Theologi, quorum ſententiam *Agobardus* peculiari libro ad Ludovicum Imp. defendit: ſicut & impium morem *Nicolaus* Pontifex Decretali ad *Karolum* epiſtola inhibuit, & poſtea Concilium Tridentinum Seſs. xv. vehementiùs damnavit.

XIX. *Ordalium* Saxonibus & Anglis dicebatur probatio per *candens ferrum, aquam fervidam, & gelidam*: quod Siculi Normannique *Purgationem* ſive *Probationem Vulgarem* vocarunt. Prima *Ordalii* ſpecies erat *Ferrum candens*, de quo in Synodo Trib. cap. XIII. *Si quis fidelis libertate notabilis tanto talique crimine publicatur, ut criminoſus à populo ſuſpicetur, per ignem candenti ferro, cautè examinetur.* Igitur ignitam ferri laminam ſive reus, ſive rea, in conſpectu Judicum, & circumſtante populi concione, manu prehenſam circumferebat verſabatque, aut nudis pedibus calcabat. Ipſa lamina, pro ratione criminis indagandi, aut ad unam libram aut ad tres libras apud Anglo-Saxones formabatur: quod ipſi *Ladam ſimplicem*, & *Ladam triplicem* appellârunt. Sed Apud Alamannos grandior plerumque erat, & ſæpe in novem ac plures partes diſſecabatur, ut latiùs ſparſa, calcantem corriperet: quemadmodum Lex Werinorum Tit. xv. de Muliere veneficiis infami ſancit, ut *ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur.* Quod ſi innoxiè ferrum premeret aut tangeret reus, à ſuſpicione criminis abſolvebatur: ſi toſtus ac læſus foret, tanquam culpæ manifeſtus, ad ſupplicium tollebatur. Ferrum ipſum à Sacerdote conſecratum ſolenni ceremoniâ devotumque; cujus formula in Tom. II. Antiquit. Alaman. apud Goldaſtum talis invenitur: *Benedic Domine, per invocationem ſanctiſſimi nominis tui, ad manifeſtandum verum judicium tuum, hoc genus metalli: ut omni damonum falſitate procul remota veritas judicii tui fidelibus tuis manifeſta fiat, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem. Amen.* Atque hoc judicium ſubiit *Emma*, mater Regis *Eduardi Confeſſoris*, quæ narrante Ranulpho Ceſtrenſi lib. VI. cap. XXIII. quum conſuetudinem liberiorem cum Epiſcopo Wintonienſi habuiſſe inſimularetur, novem ignitos & candentes ferri vomeres, pleno premens veſtigio ſingulos, illæſis pedibus ſupergreſſa eſt. Ita quum *Haquino*, Norvvegiæ regi quæſtio mo-

vere-

veretur, num regii eſſet ſanguinis, mater ejus *Inga* nobilitatem filii tractatione ferri igniti probare juſſa, flammiferam laminam impavida arripuit, & illæſa manu circumtulit, ut in Chron. Norvveg. legitur. Quo id numine factum ſit, ambigere me fateor; præſertim quum ſimilia miracula in Romanorum hiſtoriis apud Strabonem lib. v. Geograph. & Plinium hiſt. nat. lib. vii. cap. ii. memorentur. Sanè quum ſuſpectum id probationis genus plurimis eſſet, quòd aut præſtigiis ſuis Diabolus illudere videretur hominum ſuperſtitioni, aut manus medicamentô aliquo adversùs ignis violentiam, ut experientiâ comprobatum eſt, præmuniri poſſe exiſtimaretur; tandem *Stephanus V.* Papa, judicium omne, ſive ut ipſe loquitur, *adinventionem ſuperſtitioſam* damnavit, ut Can. ii. q. v. cap. xx. habet. Pariter *Fridericus II.* in Conſtit. Neapol. lib. ii. Tit. xxxi. *leges paribiles*, ut ait, *in perpetuum* inhibuit: ubi & ſententiam iſtam ſuam de *Iudicio ferri candentis* ſubjunxit: *Eorum ſenſum non tam corrigendum duximus, quàm ridendum, qui naturalem candentis ferri calorem tepeſcere, imò quod eſt ſtultius, frigeſcere nulla juſta cauſa ſuper veniente confidunt.*

XX. Altera *Ordalii* ſpecies eſt *Probatio per Aquam calidam*; de qua Capitular. lib. iv. cap. xiii. *Si ſervus hominem in Eccleſia interfecerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo feciſſet. Et ſi manus ejus exuſta fuerit, interficiatur.* Scilicet in ferventem & ignis vehementiâ bullientem aquam nuda immittebatur manus, & per certum temporis ſpatium immota detinebatur: ambuſta hominem nocentem, ſalva & illæſa innoxium pronunciabat. Quibus autem ceremoniis, quibusve verborum imprecationibus aqua illa per ſacerdotem fuerit devota, priusquam manus inſereretur, prolixè ex Ordinatione Ludovici Pii Imperatoris apud Goldaſtum Tom. iii. Rer. Alam. fol. 254. & 255. videre eſt. Imprecationis formula talis fuit: *Exorcizo te creatura aqua, nomine Dei Patris Omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti filii ejus Domini noſtri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & omne phantaſma Diaboli, ut ſi hic homo manum ſuam in te miſſurus eſt innocens, unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum: & ſi quod abſit, culpabilis eſt, & præſumtuosè in te manum mittere auſus fuerit, ejuſdem omnipotentis virtus ſuper eum hoc declarare dignetur.* Probationem ſuperſtitioſam & fallacem primus *Stephanus. PP V.* una cum *Ferri candentis* examine damnavit: cujus verba inter cætera locô ſuperiùs citatô ſunt: *Ferri candentis vel aqua ferventis examinatione confeſſionem extorqueri á quolibet, ſacri non cenſent canones: & quod ſanctorum Patrum documentô ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum.*

XXI. Tertia *Ordalii* ſpecies erat *Examen per Aquam frigidam*, in quam accuſatus, criminisque ſuſpicione oneratus mittebatur: ſi ſupernataret, reus judicabatur: ſi ſubmergeretur, innocens habebatur. Priuſquàm immitteretur, Sacerdos obteſtabatur aquam, *ut nullo modo ſuſciperet hominem, ſi in aliquo culpabilis exiſteret; ſed per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti rejiceret ex ſe, & illum natare ſuper ſe faceret*, veluti in Ordinatione Ludovici Pii operoſiùs perſcribitur. Id Examen, ut & duo priora *Ludovicus* rex ſubiit, ut demonſtraret, paternam eſſe hæreditatem, quam *Carolus Calvus* Imperator per ſummum nefas invaſiſſet. Aimoinus lib. v. cap. XXXIV. in An. DCCCLXXIV. *Ludovicus autem Ludovici regis Filius, x. homines cum aqua calida, & x. cum ferro calido, & x. cum aqua frigida ad judicium miſit coram eis, qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus illo judicio declararet, ſi per jus & æquum ille habere deberet portionem de regno, & c. —— qui omnes illæſi reperti ſunt.* Sunt, qui hoc probationis genus. *per Aquam frigidam*, certiſſimum firmiſſimumque hodie in examinandis veneficis ſagisque habent, quarum ſcelerata corpora putant aut aërea Dæmonis mali adſpiratione, vel ſpirituali levitate librari atque ſuffulciri, ne aquâ hauriantur: aut Dei permiſſione juſtoque judicio teneri, ut dignam facinorum pœnam Magiſtratui præbeant. At ſi hæc probatio eſt certiſſima, ſi perpetua, cur non ſemper eadem, ſibique conſtans eſt? cur ſæpe variat, & jam ſagam vorticibus aquæ circumagit, hauritque, jam ſupernatantem oſtentat, ut multis documentis experientia quotidiana demonſtrat? Et ſi *Dei digitus eſt*, ut loquuntur, quo hic examinis ritus inter Chriſtianos regitur; unde ſimilia in Ethnicorum hiſtoriis miracula, & ſimiles probationes, quibus juſtitia & innocentia hominum defenſa ſtetit? Nam & *Artemidori* fontem fuiſſe Euſtachius lib. XI. de amorib. Ismenii auctor eſt, qui pellucidâ limpidaque aquâ intactam virginem exciperet, corruptam turbidâ lutoſâque deſtitueret: & propè *Epheſum* ſimilem extitiſſe fontem Achilles Tatius de amorib. Clitoph. lib. VIII. memorat, qui verum virginis jusjurandum immotâ aquâ adprobaret, perjurium intumeſcente alluvie, & ad collum ſceleratæ ſe extollente detegeret. Quibus conſentanea ſunt, quæ Ariſtoteles, Diodorus Siculus, Stephanus de *Palicis* ſcribunt; quæve apud Solinum de *Sardiniis* occurrunt, ubi juraturi tingebant aquâ oculos, ut manifeſto indicio fidem ſuam probarent. Scio à multis objici, Hebræis *aquam amaram* ad purgationem Zelotypiæ, & adulterii inveſtigationem fuiſſe à Numine imperatam, ut Numerorum Cap. v. obſervatur: ſed exemplum illud planè diſſimile diverſumque

que esse, jam satis clarissimi Theologi ostenderunt. Quod jam olim animadvertens *Lotharius* Imperator, & ambiguum noxiumque probationis genus detestatus, in Leg. Longob lib. II. Tit. LV. l. XXXI. sive in Capit. Lotharii cap. XXV. prudenter ista sanxit: *Examen aquæ frigidæ, quæ hactenus fiebat, à Missis nostris omnibus modis interdicatur, ut non ulterius fiat.*

XXII. Post Ordalium erat *Purgatio per Sacram Eucharistiam*, quæ probatur in Concilio Wormatiensi cap. XV. cujus formula ex illis Gratiani verbis Can. II q. V. cap. XXIII. cognoscitur: *Sæpe contigit, ut in Monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debuerint, Missa ab* Abbate *celebretur, vel ab aliquo, cui ipse* Abbas *præceperit, præsentibus fratribus; & sic expletâ Missâ omnes communicent in hac verba: Corpus Domini sit mihi in probationem hodie.* Eo examine *Adrianus II.* Papa *Lotharium* Regem Lotharingiæ, quum pellicis Waldradæ amplexibus inhærere diceretur, urgendum probandumque putavit, simulque proceres & ministros ejus exagitavit; quorum *unicuique*, ut Regino Chron. lib. II. narrat, *communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine fautorem non præstitisti, neque consensum præbuisti, & Waldradæ aliisque ab hac sede* Apostolica *excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit Tibi in vitam æternam.* Addit Sigonius de regno Italiæ lib. V. justo Dei judicio factum, ut *Lotharius* Româ egressus, animam brevi effunderet, reliqui proceres ante anni illius exitum variis casibus extinguerentur, & populus ipse sævissimâ pestilentiâ correptus, ingenti internecione deleretur. Simili examine apud Turonensem hist. Franc. lib. X. cap. VIII Cautinus Episcopus Arvernæ urbis Eulalium Comitem, quum parricidii accusatus esset, ad confessionem urget, & alloquitur: *Rumor populi parricidam Te proclamat esse. Ego verò, utrum perpetraveris hoc scelus, an non, ignoro: idcircò in Dei hoc & beati Martyris Juliani statuo judicio. Tu verò si idoneus es, accede propiùs, & sume Tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo; erit enim Deus respector conscientiæ tuæ.* Sed hæc criminis purgandi explorandique ratio, quum & dignitatem tanti violare sacramenti, & dubiô sæpè miraculô stupefacere mortales videretur, paullatim in desuetudinem abiit: inhibuitque eam *Alexander II.* PP. dum *cujuslibet populari inventionis*, ut ait, purgationem abolendam decerneret.

XXIII. *Judicium Crucis* apud Francos, Saxones, Longobardos, Frisones potissimùm vigebat; unde sæpius in eorum antiquis Legibus deprehendas: *Ad crucem cadere, crucem evindicare, ad crucem stare, cruce con-*

tra-

tenderet, Capitulare Ludovici Imperatoris ad Leg. Salic. cap. I. *In ſeculari cauſa hujuscemodi teſtium diverſitas, campò comprobetur: in Eccleſiaſticis autem negotiis, crucis judicio rei veritas inquiratur.* De eodem Teſtamentum Karoli M. cap. VII. Si confinia regnorum, hominum teſtimonio determinari non poſſunt, *Tunc volumus ut ad declarationem rei dubiæ, judicio crucis, Dei voluntas, & rerum veritatis inquiratur.* Formulam illius probationis deſcribit Spelmannus è Friſonum legibus, Tit. XIV. *De homine in turba occiſo:* ſed eâ lex ad *ſortes*, de quibus mox dicturus ſum, tantùm trahenda & explicanda videtur. Id ex Beda comperi, priſcos *libratâ cruce* conſuêſſe jurare; planè ut eadem ferè ratio *Judicii Crucis*, ac *Euchariſtiæ ſacræ* eſſet, cujus utriuſque religio, & ſanctiſſimâ Servatoris noſtri recordatione, & nocentium conſcientiâ, ac offuſo animis metu conſtabat. Totum judicium, ut temerarium & dubium, *Lotharius* in Longob. Legg. lib. II. Tit. LV. l. XXXII. eâ lege ſuſtulit, quæ perperam *Karolo M.* in Capitularium lib. I. adſcribitur: *Sancitum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio, qua glorificata eſt, cujuslibet temeritate contemtui habeatur.*

XXIV. Inter minora Probationum genera habebantur *Offa judicialis* & *Caſeus execratus*; cujus utriusq; clariſſima mentio in priſcis Germanorum monumentis, ſed præſertim in Saxonum, & Anglorum antiquis conſtitutionibus occurrit. De *Caſeo execrato*, ejusque origine ac virtute longam fabulam contexit Gloſſa vetus, cui ex ingenio ſuo quisque demat fidem, vel addat. Hoc compertum eſt, *Caſeum* diris à ſacerdote devotum, unde *execratus* dictus ſit: inde reo manducandum præbitum, ut efficaciſſimâ vi, aut hominis ſcelerati vexaret conſcientiam, animamque expelleret, aut ſuarum oblitus virium, innocentiam miſeri confirmaret. Par ferè ratio *Offæ Judicialis* erat, quam & *Panem hordeaceum* Franci, Saxones autem *Corsned* dixére: quam certo carmine execrabatur Sacerdos, ſuſpectoque hauriendam porrigebat. Haud arceſſam ejus originem à *Romanis*, apud quos, teſte Acrone ad Horatii lib. I. Epiſt. X. furti reus accepta a Sacerdote cruſta panis carmine infecti edebat, ejusque vi tortus, crimen ac ſcelus prodebat. At minùs dubito, quin ab Hebræorum *aqua amara*, quam in Zelotypiæ remedium, atque adulterii inquiſitionem Sacra Scriptura Numeror. V. verſ. XXX. præſcribit, ritus ille probationis in has regiones venerit, & obtinuerit: inprimis quum eandem fere vim ſuæ *Offæ Iudiciali* adſcribant veteres Germani, quam Hebræi *aquæ amaræ* tribuunt. Nam ut Paulus Fagius in Thargum

gum Onkeli ex Rabbinorum ſcriptis refert, ſi mulier in adulterii ſuſpicionem prolapſa, ad bibendam aquam amaram à marito adigeretur, Sacerdos primùm ſolenni verborum ritu eam adjurabat: inde potum ex aqua, pulvere, abſinthio, aliisque amarulentis herbis compoſitum, diris ceremoniis devovebat, ſorbendumque tradebat. Si polluta, ſi criminis rea erat, protinus expalleſcebat ejus vultus, oculi proruebant, venter intumeſcebat, femur flacceſcebat & concidebat; ipſaque extrà templi fores protracta, infelicem animam cum miſero ejulatu abjiciebat. Parem ferè vim *Offa Iudiciali* adfuiſſe reperio, ſi illam reus potâſſet: quæ quidem ſi vera ſunt, illud tamen dicere de iis vereor, quod Theologi noſtri de *aquis amaris* ſtatuunt. Facile enim conceditur, aquas illas à Deo præſcriptas, non vi ac virtute ſua, ſed ſola ſupernaturali & divina virtute elevatas, & idoneas ad effectum miraculoſum producendum factas eſſe; ſed illius cæleſtis virtutis nec *Offa Iudicialis*, nec *Caſeus execratus*, nec aliæ probationes participes erunt, quas paucorum invexit ſuperſtitio, & ſimpliciſſimis ſeculis impoſuit.

XXV. Porrò inter criminis explorandi examina magnum locum obtinuère *Sortes*, quarum conſuetudo vetuſtiſſima ac religioſiſſima apud Germanos extitit. Accipiſcam quidem *Sortium* rationem Tacitus in lib. de morib. Germ. his verbis deſcribit: *Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant; eosque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temerè ac fortuito ſpargunt. Mox ſi publicè conſulatur, ſacerdos civitatis, ſin privatim, ipſe pater familiæ, precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit: ſublatos ſecundùm impreſſam ante notam interpretatur.* Quæ tota ferè Sortium ratio à poſteris Germanis retenta eſt, quamvis jam in Chriſtianum nomen cooptati forent. Recitabo ipſam formulam ex Legibus Friſonum Tit. XIV. qui eſt, *De homine in turba occiſo, §. 1. Tunc ducendi ſunt ad baſilicam, & ſortes ſuper altare mittendæ, vel, ſi juxtà Eccleſiam fieri non potuerit, ſuper reliquias Sanctorum. Quæ ſortes tales eſſe debent. Duo tali de virga præciſi, quos tenos vocant; quorum unus ſigno Crucis dignoſcatur, alius purus dimittitur; & lanâ mundâ obvoluti ſuper altare ſeu reliquias mittuntur: & presbyter ſi adfuerit, vel, ſi presbyter deeſt, puer quilibet innocens unum de ipſis ſortibus de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, ſi illi ſeptem, qui de homicidio commiſſo juraverunt, verum juràſſent, evidenti ſigno oſtendat. Si illum, qui cruce ſignatus eſt, ſuſtulerit, innocentes erunt, qui juraverunt: ſin verò alterum ſuſtulit, tunc unusquisque illorum ſeptem faciat ſuam ſortem, id eſt, tenum de virga, & ſignet ſigno ſuo, ut eum, tam ille, quàm cæteri, qui circumſtant,*

cumſiant, cognoſcere poſſint: & obvolvantur lanâ mundâ, & altari ſeu reliquiis imponantur. Et presbyter ſi adfuerit, ſi verò non, ut ſuperiùs, puer innocens unumquemque illorum ſigillatim de altari tollat, & ei, qui ſuam ſortem eſſe cognoverit, rogat. Cujus ſortem extremam eſſe contigerit, ille homicidii compoſitionem perſolvere cogatur, cæteris quorum ſortes priùs levata ſunt, abſolutis. Non ſequar eorum opinionem, qui totam illam ſortium rationem à *virga Aaronis*, cujus Sacra ſcriptura meminit, dimanâſſe in noſtras regiones putant: quum vetuſtiſſima & à primis poſt diluvium ducta temporibus, illa divinandi è virgis conſuetudo apud Aſiaticas Europæasque, gentes vigu erit. Quomodo *Scythæ* è virgis ſalignis divinare ſint ſoliti, docet Herodotus lib. IV.; cui convenit, quod de *Alanis* Am. Marcellinus ſcripſit. Et refert Nicandri Scholiaſtes, non *Medos* ſolum & *Scythas*, ſed alias quoque gentes, plurimis in locis, è virgis vaticinari: qualis illa quoque apud *Græcos* virga Circes & Mercurii, Poetarum verſibus decantata eſt. Erat & alia *ſortium* ratio apud priſcos Germanos, quæ ex ſacris literis ad exemplum *ſortium Virgilianarum* inſtituebatur: cujus exemplum Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. IV. cap. XVI. affert, *ubi*, ut ait, *poſitis Clerici tribus libris ſuper altarium, id eſt, Prophetia, Apoſtoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret, oſtenderet; aut ſi ei felicitas ſuccederet, aut certè ſi regnare poſſet, Divina potentia [illegible]ret. Simulque unam habentes conventiam, ut unusquisq; in libro, quod primum aperiebat, hoc etiam ad Miſſas legeret. Aperto ergò primum omnium, Prophetarum libro, reperiunt: Auferam maceriam ejus, & erit in deſolationem: pro eo quod debuit facere uvam, fecit labruſcam &c.* Damnavit illas ſortes Lex Caroli M. in Capitulari Comitiorum General. cap. IV. *De Tabulis vel Codicibus requirendis, & ut nullus in Pſalterio, vel Evangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec divinationes aliquas obſervare.*

XXVI. Atque hæ Leges, hæc Jura fuère, quibus ferè ad ſeculum usque tertium decimum *Germania* uſa eſt: feliciſſima per tantum ævum & beatiſſima, ſi beata ſecundùm Platonem dicenda eſt Civitas, in qua pauciſſimæ breviſſimæque Leges regnant. Quæ lætiores etiam pulchrioresque in populo fortiſſimo viſæ ſunt, quum ſanctiſſimis judiciorum auſpiciis, invictiſſima Judicum æquitate, promtiſſimâ litis deciſione agitarentur, & breviſſimo proceſſus ambitu continerentur. Nondum enim peſſimus ille invaluerat mos, ut Leges in vaſtam diffuſamque molem extenſæ, aut interpretum diſcordiis intricatæ ſtarent, magnoq; aditu ſufficerent ad lites, aut per legum lejorum rabularumque nequi-

tiam

tiam, fata cauſarum traherent, forumque perpetuis rixis implerent. Ipſos Legum Interpretes Judicesque ſenilis prudentia, & pietas, & juſtitia tanto muneri commendabant; plerisque etiam è populo deſumtis, qui legendi ſcribendique imperiti, ſolam patriæ conſuedutinem callebant. Majores controverſiæ in aulis Regum diſceptabantur, quod *Comitum Palatinorum* officium apud Francos erat: cæteras lites conſtituti in ſingulis pagis Judices inſpiciebant finiebantque. Princeps per Pagos Judex erat *Comes*, ſive *Gravio*, quem foro præſidentem Epiſcopus ſacris in cauſis adjuvabat, errantemque & ab æquitatis tramite ſecedentem, auctoritate & vi coercebat. *Gravioni* adjuncti erant Aſſeſſores, & Vicarii ſubſtituti, quos Longobardi in legibus ſuis *Gaſtaldios* & *Sculdaſios*, Wiſigothi *Thyuphados* & *Gardingos*, Saxones ac Weſtphali *Scabinos* & *Gegravios*, Franci *Rachinburgos*, *Sagibarones*, *Tunginos*, *Centenarios*, *Decanos* appellant. Hi ſacramentô religioſiſſimô ad altaria D.i immortalis obſtringebantur, nunquam ſe paſſuros, ut juſtitia ac leges violentur, veluti Capitul. Addit. lib. IV. cap. LXXV. & LXXVI. habetur. Hinc jejuni ac ſobrii matutinis temporibus ad diſceptandas controverſias conveniebant, tum poſthabitis cæteris, cauſas hominum pauperum, Viduarum, Orphanorum, primùm decernebant: quod utrumque in Capit. lib. III. cap. LIII. ſeverè mandatur. Ac quum ſæpe Judices ad prava facinora incendat egeſtas, aut avaritia ad ſceleratas artes ſtimulet, prudenter ſancitum erat, ut illis certa & determinata pecunia ex diſceptatis cauſis eveniret. Sic in Legg. Bajuv. cap. III. tit. II. *Judex partem ſuam accipiat de cauſa quam judicat, de ſeptem ſolidis tremiſſem, de novem ſolidis unum. De omni compoſitione ſemper nonam partem accipiat, dum rectum judicat.* Præter iſta legum vincula, quibus Judicum conſtringebatur innocentia, Regum ſanctiſſima cura fuit, ut quater in anno, in Januario, in Aprili, in Julio, in Octobri, certi expedirentur Legati, *Miſſi* vulgò & *Stolizazi* appellati, qui judicia, tribunalia, centenas obirent, in vitam & actiones Judicum inquirerent, querelas plebis audirent; ut prolixè in Capit. lib. II. III. IV. præcipitur. Ad hos provocare adversùs Comitum Judicumque vel negligentiam, vel illatam injuriam plebi licebat; præſentiſſimô legum auxiliô, quum ſæpe Comites munere ſuo, & officii dignitate deſpoliarentur: imô ſi quid atrocius ſuperbiusque commiſſum erat, laqueô torti, aut ſecuri percuſſi necarentur.

XXVII. Jam quanti erat, ipſa Judicia in templis inſtitui, ut teſte ac arbitro Deo, ſanctiùs ac religioſiùs Judices ſententiam dicerent?

Neque enim alia de cauſa Germani hunc morem accepêre à Romanis; apud quos, auctore Suetonio in Aug. cap. XXXV. *Auguſtus ſanxit, ut prius quàm conſideret, quisque thure ac mero ſupplicaret, apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur.* Quam conſuetudinem quum poſtea abrogaſſet *Karolus M.* id tamen tunc libertati religionique Judiciorum datum eſt, ut ſub Jove dio, nudoque cœlo, in patente campo, quo omnibus liber eſſet aditus, ipſa haberentur: donec tandem molliora ſecula intra curiarum domuumque parietes juſtitiam clausêre, & lictorum terribili turbâ fores obſepsêre. Nec minor in totius judicii proceſſu ſanctitas, ſeu civiles res tractabantur, ſeu diſcrimen capitis intendebatur. Indicto Judicii conſeſſu, quem *Mallum*, ſive *Placitum* dixerunt, partes litigantes in jus vocabantur: quod *mallare* & *mannire* appellabant. Abſentem graviſſimæ manebant pœnæ, niſi eum *Sunnis*, hoc eſt, juſtum impedimentum domi detinuiſſet: qualia impedimenta valetudo adverſa, legatio publica, exequiæ domeſticæ habebantur. Adductus in judicium Reus aut Actor Judices adjurabat, ut juſtitiam redderent: quod in antiquis legibus *tangano* dicitur. Lex Salica Tit. LX. §. I. *Tunc dicit ille, qui cauſam requirit: Ego vos tangano, usque dum inter me, & contrà cauſatorem meum legem judicetis.* Item Leg. Ripuar. tit. LV. *Ego vos tangano, ut mihi legem dicatis.* Aderant in judicio *Advocati*, quos *Clamatores* & *Ferendarios* priſcæ leges vocant; qui cauſas litigantium nudâ ſimplicique oratione, ſine ullo verborum circuitu, tractare jubebantur; corrupti autem pecuniâ, aut ingenii temeritate ad defendendam pravam cauſam pellecti, in numero impiorum ac ſceleratorum ponebantur. Sed in cauſis criminalibus, ubi ſuper graviſſimo ſcelere periclitabatur hominis vita, ipſe reus ſubmotis Advocatis cauſam ſuam agere cogebatur, uti in Capit, libro IV. iſtis verbis jubetur: *Si quando in cauſa capitali, vel in cauſa ſtatus interpellatum fuerit, non per procuratores, ſed per ipſos eſt agendum.*

XXVIII. At in omni judicio ad probandam rem ſummum adjumentum in *Teſtibus* ſitum erat, quum eâ tempeſtate, ut Vadianus ſcribit, lite motâ plus teſtibus, quàm tabulis actum fuerit. Sed neque iis teſtibus locus concedebatur, neque honos ullus tribuebatur, qui aut vitiis & flagitiis cooperti eſſent, aut perjurio infames, aut, in ſordibus & vilitate jacentes; quum optimus quisque, & criminis ejus vacuus, cujus alter inſimulabatur, ad teſtimonium dicendum ex ſingulis pagis arceſſeretur; quemadmodum paſſim ex Capit. lib. III. cognoſcitur.

tur. Jam ubi cauſa per teſtes comprobata, per Judices examinata fuerat, ſententia conſeſtim ex Legibus dicebatur; quæ celeriter, & ſine mora executioni mandabatur, ne ullâ cunctatione vis decretorum eluderetur. Neque enim fas erat, per *Appellationes* trahere executionem, & tergiverſatione ſuſpendere; niſi probare reus poſſet, iuſtitiam protervè à Comitibus & Scabinis conculcatam, miſeroque denegatam fuiſſe. In cæteris illa lex obtinebat, Capitular. lib. III. cap. XXXI. *Si quis cauſam judicatam repetere præſumſerit in mallo, ibique teſtibus convictus fuerit, aut XV. ſolid. componat, aut XV. ictus à Scabinis, qui cauſam prius judicaverunt, accipiat.* In rebus verò criminalibus nullam planè Appellationem Leges admittebant; veluti in Capit. Addit. lib. VII. cap. CXXIX. ſancitur: *Homicida, adulteri, maleſici convicti, ſi appellare voluerint, non audiantur.* Sed rariſſimum capitis ſupplicium *Germano* damnato infligebatur, ſive illud nobilitati ac libertati gentis debebatur; ſive dicendum eſt, quod Livius de ſuis Romanis gloriatur, *nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas.* Sæpe etiam fatalis ſententia reſciſſa & impedita fuit, quum iam reus ad infelicem arborem ſtaret; inflictâ tantùm illâ pœnâ, ut opes ſuas fortunasque omnes Fiſco relinqueret: ut pollutâ nominis exiſtimatione ingloriam & vacuam honoribus vitam traduceret; denique ut nunquam in poſterum arma geſtaret; quod ea tempeſtate, ut ex Capit. lib. III. cap. XLVII. XLVIII. liquet, ſummæ pœnæ atque ignominiæ ducebatur. Interdum quoque graviora crimina vindicabantur per *proſcriptionem*, quæ aquam & ignem, ut veteres loquebantur, reo interdicebat: quod *bannire*, ſive *forbannire* vocabant, uti in illo apud Petrum de Vineis lib. V. Epiſt. XVII. *Propter contumaciam forbannimus eum in perſona & rebus.*

XXIX. Hæc dum ſcribo, dum Majorum noſtrorum integritatem, ac felicitatem mecum volvo, venit mihi in mentem ſententia eorum, qui primùm leges illas priſcas ruditatis & ineptiarum eſſe plenas, & barbaris tantùm ſeculis dignas opinantur: inde invalidas imparatasque adverſùs peccantium flagitia cenſent: denique imperfectas adeò, & illepidas putant, ut neceſſum fuerit, introductô Jure Romano, abolere eas, quum nec genium ætatis noſtræ, nec juſtitiam fori ſuſtinere ampliùs poſſent. Haud abnuam, antiquas gentis noſtræ Leges barbaricâ impuraque horrere dictione, plenasque ruris eſſe, quum iis promulgatæ ſint temporibus, quibus Majorum noſtrorum verba allium & cæpe olebant, ut Varro de Romanis priſcis loquitur. At num

faſtidimus gemmas, annulos, tabulas, nummos, ſi opere impolita ſunt, ſi vetuſtate ſquallent, ſi relicta à magnis regibus, inclytisque populis in ſeram poſteritatem veniunt? Et ſi quorundam ſtudium in conſervandis ac conquirendis exuviis eorum, qui ſanctitatis opinione excelluerunt, minimè improbatur; cur non germanæ & veræ Parentum noſtrorum reliquiæ, nimirum piæ conſtitutiones de religione, de moribus, de Republica, æſtimari colique debent? Nec verba & dictio perpendenda ſunt, quum ab illis provenerint, quia juſta facinora patrare fortiter, quam ſcribere eleganter maluêre; ſed conſideranda Legis hominumq; pietas, ſed reſpicienda animorum æquitas, laudanda integritas, quibus rebus illi templa ac domos ſuas decorârunt. Jam nequicquam lenitas ac indulgentia legum incuſanda eſt, quum ea tempeſtatis illius probitas & innocentia fuerit, ut leviſſima illa ſupplicia tantum terrorem cruciatumque injicerent animis, quantum hodie graviſſimæ pœnæ imponunt. Nec magis ſuggillanda Germanorum lex, quòd capiti vitæque ſuorum parcens, mitiſſimas pœnas infligat, ac illa Romanorum lex Porcia, quæ virgas & lictorem à tergis civium ſuorum ſubmovit. Ad id facilè concedi poteſt, intempeſtivas & invalidas noſtro ſeculo illas eſſe leges, dum nos à Majorum ſimplicitate, innocentia, æquitate ivimus præcipites, & duram morum diſciplinam, ac rude Parentum vitium, ingenioſis peccandi flagitiis illuſimus. Illi non ſonum modò linguæ, veſtitumque, & habitum, ſed ante omnia mores, & Leges, & ingenium ſincerum integrumque à contagione accolarum ſervârunt, & ne avaritia luxuriaque in Rempublicam immigrarent, maximum paupertati ac parſimoniæ honorem fecère: in cæteris civitatem ſuam fortitudine, promptaquè animorum magnitudine curabant. Sed nos, ignaviſſimi mortales, in mores vicinorum proni facilesque, veterem animorum ſinceritatem contactu exterorum polluimus; avaritiâ occæcâti, & ſimul voluptatum deſiderio exagitati, per libidinem pereundi perdendique, omnia conturbamus: denique ambitione ad omne ſcelus rapti, patriæ caritatem, amicorum fidem, Dei immortalis honorem, proterve fœdamus; ut minùs mirum ſit, ſi invalidis ad tot flagitia priſcis legibus, contumacia ac nequitia noſtra novis alienisque edictis conſtringenda fuerit. Interim liceat mihi, dum ad finem propero, de priſcis Germanis, eorumque legibus & æquitate dicere, quod vatum maximus de Latinis cecinit:

Neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam,
Sponte ſua, veteris Dei ſe more tenentem.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA QVARTA, DE RE MILITARI VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIVM.

§. I. *Germanorum veterum gloria & fortitudo bellica.* §. II. *Quis militum delectus.* §. III. *Vasallorum institutio & conditio in bello.* §. IV. *Quæ ætas in milite observata.* §. V. *Præcipuum exercitus Germanici robur in pedite. Nec minor Equitis Germani gloria. Quæ militum stipendia.* §. VI. *De Ducis bellici electione & potestate.* §. VII. *Quibus armis telisque Germani in bello usi sint.* §. VIII. *Tum Franci.* §. IX. *Tum Alamanni.* §. X. *Bombarda Germanorum inventum.* §. XI. *De signis militaribus, sive vexillis.* §. XII. *De tubis & tympanis.* §. XIII. *Disciplina egregia exercitus in hostem ambulantis.* §. XIV. *Modus indicendi bellum.* §. XV. *Quomodo castra locata sint, quæve eorum forma.* §. XVI. *Varia aciei struendæ ratio, & forma diversa.* §. XVII. *Modus dimicandi, ritusque in prælio observati.* §. XVIII. XIX. *Quibus artibus, quibusque machinis Germani oppida oppugnaverint. Quomodo obsessi se defenderint.* §. XX. *Quid partâ victoriâ factum.* §. XXI. *Præmia & honores, quibus fortes viri donati.* §. XXII. XXIII. *Pœnæ eorum, qui aut bello abfuerant, aut in eo hostem fugerant.* §. XXIV. *Quòd Germani cunctas nationes robore, fortitudine, scientiâ bellicâ anteceſſerint.* §. XXV. *Etsi hodie varias ob causas vix fines tueantur.*

GErmanorum veterum Legati, quum, teste Tacito XIII. Annalium, Romam profecti, & Pompeii theatrum ingressi, quosdam externo cultu in sedibus Senatorum advertissent, simulq; intellexissent, earum gentium legatis in honoris datum, quæ virtute & amicitiâ Romanâ præcellerent: NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamârunt, digressique inter Patres consederunt. Mihi quidem res veteres legenti, & mecum consideranti, quibus rebus Majores nostri ad famam & gloriam surrexerint, id quo-

quoque dicendum eſt, nullam gentem aut armorum ſtudiô, aut facinorum bellicorum magnitudine ante priſcos Germanos eſſe: ferox enim natio, & armorum avida, vitam omnem in ſtudiis militaribus exigebat: audaciâ & fortitudine ſe ſuamque Rempublicam curabat: hoſtem ferire, periçula, labores, dubias atque aſperas res tolerare, ſpolia ex prelio referre, ſolitudinem & vaſtitatem facere, eam demum gloriam ingentem, magnamque nobilitatem putabat. Hinc de illis Cæſar in Commentar. lib. VI. *Vita omnis in venationibus atq; in ſtudiis rei militaris conſiſtit.* Et Senaca lib. I. de ira cap. XI. *Germanis quid animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque? quorum unicùm illis cura eſt, in alia negligentibus.* Sed fuſiùs Tacitus lib. de morib. Germ. *Si civitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat; plerique nobilium adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt; magnumque comitatum non niſi vi belloque tuentur. Exigunt enim Principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemq; frameam: nam epulæ, & quanquam incomti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella & raptus. Nec arare terram, aut exſpectare annum tam facilè perſuaſerit, quàm vocare hoſtes, & vulnera mereri: pigrum quin imò & iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare.* Adjuvabat iſtam animorum ferociam regio terris informis, aſpera cœlô, triſtis cultu aſpectuque, ut idem Tacitus *Germaniam* noſtram deſcribit: unde duriora genti corpora, ſtricti artus, horridus minaxque vultus, & ruendi.

In ferrum mens prona viris, animæque capaces,
Mortis.

Nec ab illo bellorum amore ſtudioque poſteri receſsère, quamvis & ipſi diſciplinis emolliti, & regio ad cultum decusque mitigata fuerit: neque fortaſſe ullum è Majorum virtutibus grandius ornamentum nobis remanſit; quum in campum adferamus virtutem à natalibus, & bella ſuſcipiamus fortiter, & adminiſtremus conſtanter, & debellemus feliciter, ut Scaliger pater inter laudes gentis noſtræ ſcribit. Prodigi animarum, circumferimus venalem ſanguinem per omnem fere Europam, & ut in militari gloria noſtram expleamus libidinem, nec patriæ noſtræ gladios intentare erubeſcimus. Sed pulchrius illud elogium eſt, quod Octavius Ferrarius, facundiſſimus Italus, in Proluſione XVIII. de Germ. laudibus, nobis tribuit: *Nullum per tot ſecula aut memorabile bellum, aut inſignis victoria ſine gentis hujus armis peracta eſt: nulla acies ſine Germanorum tô-*

bore

boreſtetit; & ſive ſuorum ductu, ſive alienis ſtipendiis mererent, in qua exercitus parte conſpecti ſunt, ibi victoria fiducia & inſtrumentum fuerunt. Nuda quandoque pectora provallo objecere, ante vitam, quàm fidem deſerere parati; ut ipſi olim Romani Cæſares, & ſecuti inde exteri Reges ac Principes, damnat à popularium fide, ſolis Germanis corporis cuſtodibus ad hanc diem animas credere conſueverint. Verùm quum antiquiſſimam Majorum noſtrorum militarem gloriam *J. Cæſar* & *Tacitus*, eorumque interpretes *Rhenanus*, *Bebelius*, *Wimphelingius*, *Cluverius* exactis deſcriptionibus celebraverint, præſentem autem gentis noſtræ fortitudinem, resque bellicas, omnium gentium linguæ ac literæ deprædicent; nos operæ pretium facturi ſumus, ſi inſtituto & more noſtro, ad media & obſcura ſecula converſi, paullò accuratiùs inquiremus, quomodo Majores noſtri dilectum militum Ducumque egerint; deinde quibus armis telisque uſi fuerint; poſtremò quomodo bellum ſuſceperint, diſciplinam habuerint, aciem ſtruxerint, oppida defenderint, aut oppugnârint.

II. In dilectu militum vetuſtiſſimos *Germanos* haud conveniſſe reperio: nam alii in concilium armatum omnes puberes armatos convenire cogebant, quod initium erat belli; alii, quum centum habèrent pagos, ex iis quótannis ſingula millia armatorum, bellandi causâ ſuis è finibus educebant; quod de *Suevis*, gente longè maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium, Cæſar de bel. Gal. lib. IV. ſcribit. Sed nec poſteris una eademque dilectus ratio placuit, quum alii cogerent militem, non legerent; alii neceſſitatem militandi ad certum hominum genus adſtringerent; quidam promiſcué ignotos inter ſe ignorantesque ex omni regione ad bellum abigerent. *Hunni*, fortiſſima Germanorum gens, omnes maſculos recens natos, militiæ bellisque devovebant: unde tenellas eorum genas cultris lacerabant, ut ad armorum tolerantiam horroremque cicatricibus ac vulneribus, maturi aſſuefierent; cujus moris Claudianus, & Sidonius meminerunt. *Saxones* ingruente belli neceſsitate, omnes pariter puberes, tam ex agris, quàm oppidis, ſub graviſſima pœna convocabant, brevique temporis ſpatio ingentem exercitum conficiebant. Sic *Henricus I.* Imperator, quum *Hungari* in *Saxoniam* irrumperent, capitali ſententiâ edixit, ut omnes armis ferendis idonei poſt tertium diem in campo adeſſent: factumque eſt, ut quatridui ſpatio validiſſimum exercitum colligeret, veluti Luitprandus Hiſt. lib. II. cap. VIII. teſtatur. Pariter poſtea *Saxones*, quum ab *Henrico IV.* bellô premerentur, omnem multitudinem ad ſacramentum militare adegerunt:

de quo coævus Poeta in Hist. de bello Saxon. lib. II. canit,

Denique per patriam mittebant nuncia totam,
Cunctus ut ad bellum populus properaret agendum:
Indiscreta ruunt, è cunctis agmina villis:
Rusticus abjecto qui vis discedit aratro;
Pastores pecorum, custodes atque domorum.
Prapositure suis pugnæ discrimina curis.

Eandem delectus rationem apud *Longobardos*, Saxonum progeniem fuisse, indicat Ligurinus de gestis Friderici I. lib. II., ubi de gente illa ait:

Ille, suis omnem depellere finibus hostem
Possit, & armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Iudicat, accingi gladio concedit equestri.

Non dissentiunt hæc cumiis, quæ Paulus Diaconus scribit, nullum in bello inter ingenuos servosque discrimen esse, quum sola virtus, manuumque robur ordines militares faciant. Quòd verò Ligurinus dicit, Gallorum genti esse turpitudini, si humile vulgus ad militiam accersatur, id de *Francis* intelligendum est, apud quos nemo ad bellum atque arma admittebatur, nisi liber & ingenuus esset, Regisque beneficio obnoxiam animam duceret. Hi enim populi, quum domitâ maximâ *Germaniæ Galliæque* parte, amplissimum instituissent imperium, multos agros oppidaque inter nobiliores ac fortiores viros divisêre, aut alios libertate donârunt ut illis obstricti beneficiis militarent, quoties Rex inferret bellum, aut illatum propulsaret. Quod institutum quum Regibus utile, populis fructuosum videretur, ab omnibus ferè *Germaniæ* populis paullatim quoque receptum ac introductum fuit; sepositis ad militiæ usum clientibus quibus ob sacramentum & clientelas veteres maxima ac religiosissima pugnandi necessitudo esset, quive non fortitudinem magis, quam fidem colerent.

III. Atque hi clientes peculiari *Militum* nomine veniebant: quos & eadem de causa *Arimannos*, *Fideles*, *Vassos*, *Ligios*, *Leudes*, *Liberos* dixêre. Quorum conditionem *Fridericus I.* apud Ligurinum lib. VIII. ita describit:

Publica militia vasallus munera justa.
Non renuat, Dominique libens in castra vocatus.
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum.

Arbi-

Arbitrio Domini, vel quem laudaverit ille.
Compenſet, redimatq; ſuum mercede laborem.

Sed antiquiorem eorum fortunam, dilectumq; oſtendit Lex illa Ludovici Regis apud Goldaſtum: *Volumus atq; jubemus, ut Miſſi noſtri diligenter inquirant, quot liberi homines in ſingulis comitatibus maneant. Hinc verò eâ diligentiâ & ratione examinetur per ſingulas centenas, ut veraciter ſciant illos, atq; deſcribant, qui in exercitalem poſſint ire expeditionem.* Ac ne quisquam liber aut ingenuus, ſive publici officii obtentu, ſive alia excuſatione fretus, à bello abeſſet, definitus numerus eſt, quem quisque educere in campum cogeretur. Qua de re, quum prolixè Lex Francia lib. IV. cap. III. agat, nos ea tantum recitabimus: *Ut omnis liber homo, qui quatuor manſos veſtitos de proprio ſuo, ſive de alicujus beneficio, habet, ipſe ſe præparet, & ipſe in hoſtem pergat, ſive cum ſeniore ſuo. Qui verò tres manſos de proprio habuerit, huic adjungatur unus, qui unum manſum habeat, & det illi adjutorium, ut ille pro ambobus ire poſſit. Qui autem duos manſos tantùm de proprio habet, jungatur illi alter qui ſimiliter duos manſos habeat, & unus ex eis, altero illi adjuvante, pergat in hoſtem.* Eſt autem *manſus* certus agri diſtrictus, qui uno hominis alendo ſufficit: unde *Manſuarius* eſt, cui ad incolendum datus eſt *manſus*, cujus Conſtit: Karoli Calvi mentionem faciunt. Porrò, quum poſtea plurimi aut bellorum pertæſi, aut metu concuſſi ad ſacerdotium confugerent, aut opes ſuas agrosq; ſacrarent Monachis, ut militiæ vocationem, omniumque bellorum immunitatem haberent; graviter injunctum *Comitibus* eſt, ut vel ab altaribus retrâherent ignavos, vel devota bona ſub cenſum aliis traderent, *ne ſtatus & utilitas regni hujusmodi ab inventionibus infirmetur*, ut Lex Francica loquitur. Similiter quum à Regibus compertum eſſet, plurimos hominum liberorum à *Comitibus* detineri domi, ut aut ſplendidum ſatellitium circumponerent uxoribus, aut aliis domeſticis rebus pompam adderent; ſancitum eſt, ut duo tantùm ad ſervitia uxoris, & duo alii ad cætera miniſteria domi relinquerentur: quod & *Epiſcopis*, *Abbatibus*, *Abbatiſſis*, pariter injunctum, eadem Lex Francica lib. IV. cap. III. ſignificat. At ſicuti apud vetuſtiſſimos *Suevos*, quum quotannis ſingula millia armatorum ex ſingulis educerentur pagis, reliqui domi manebant, ut rurſus in vicem annô poſt in armis eſſent; ita *Francis* viſum eſt, ut qui Principem priore anno in bellum ſecuti forent, domi anno ſequenti remanerent, ſubſtitutis in eorum vicem aliis, ne aut agricultura, aliaque domeſtica opera, aut ratio atque uſus belli intermitterentur. Hinc illa Lex in Legg. Franc. lib. IV. cap. III. *Sed & ipſi domi re-*

maneant, vel in ſervitiô Dominorum ſuorum, neq; heribannum revvadiare jubeantur illi homines, qui anno præterito vobiſcum fuerunt. Sic inſtituto formatoq; perpetuo militum delectu, ſi bellum gerendum erat, omnes edictô citabantur: quod *bannire*, tanquam ſub Bandô id eſt, vexillum venire, vocabant. Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. IV. *Juſſu Sigeberti omnes Ducles Auſtraſiorum in exercitu gradiendum banniti ſunt.*

IV. Ex *Romanorum* inſtituto miles legebatur ab anno ætatis decimo ſeptimo, finisque militiæ ſexto & quadrageſimô annô ſtatuebatur: ſed apud priſcos *Germanos* initium faciebat ipſa pubertas, finem ipſa mors, vel exſanguis tandem ſenectus præbebat. Tacitus de morib. Germ. *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quàm civitas ſuffecturum probaverit:* ſive ut alibi ait, *ut primùm adoleverint;* quod viceſimô demum annô cenſebatur, quum, teſte Melâ, longiſſima apud eos pueritia eſſet. Sed modum & ritum, quo veteres Germani in probanda ætate uſi fuerint, idem Tacitus mox ſubjungit: *Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos, ante hoc, domus pars videntur; mox Reipublicæ.* Qui mos per poſtera quoque ſecula viguit, & in noſtram usque tempeſtatem apud Principes, & in nobilitate duravit: ubi ritum iſtum patrio ſermone appellamus Einen wehrhafft machen; ipſos verò juvenes, priusquam armis ornati ſunt, *pueros, tyrones, armigeros,* Jungen/ Buben/ Knaben/ mox *milites* & *viros* Kärlen ſive Männer nuncupamus. Tangit eum morem Paulus Diaconus in Hiſt. Longobard. lib. I. cap. XV. *Scitis non eſſe apud nos conſuetudinem, ut Regis Filius cum patre prandeat, niſi priùs à Rege gentis exteræ arma ſuſceperit.* Nec forſitan aliâ de cauſa Legati *Irenes* Imperatricis Byzantinæ apud Ligurinum lib. VI. poſcunt à *Conrado* Imperatore.

ut Princeps puerum præſentibus illis,
Accingi gladio Fridericum ritè juberet.

Quando autem apparatu, quave ſolenni pompâ ritus iſte inter Principes viros peragi conſueverit, narrat Otto de S. Blaſio in Append. ad lib. VII. Ottonis Friſingenſis, ubi *Fridericus* Imperator *Henricum* filium, & *Fridericum* Sueviæ ducem, indictis comitiis, convocatis regni proceribus, ſolennitate magnâ, milites creavit. Inter ipſos ritus erat, ut aut *per cingulum*, quod militare vocabant, aut *per colaphum*, militaris ordo tyroni conferretur. De primo extat Conſtitutio Conradi IV. Imperatoris, *De cingulo militari per Principem concedendo;* ubi legibus priſcis ſancitum dicit Cæſar, *Ne milites fieri poſſent, qui degenere militum non naſcerentur.* Sed

de

de altero ritu *per colaphum* ejusque ratione prolixè disserit. Magister Emundus in Magno Chronico Belgico, quando describit *Regulam ordinis militaris*, præscriptam *Wilhelmo* Hollandiæ Comiti, quum in Comitiis Colonienſibus Rex Romanorum eligeretur: ubi quum Rex Bohemiæ collum tyronis manu percuſſiſſet, *Ad honorem*, inquit, *Dei Omnipotentis militem te ordino, ac in noſtrum collegium gratanter accipio: ſed memento, quoniam Salvator Mundi coram Anna Pontifice colaphiſatus & illuſus coram Pilato Præſide eſt, ——cujus opprobria meminiſſe te ſuadeo, cujus crucem acceptare te conſulo; cujus etiam mortem ulciſci te moneo.* Verùm quum iſte arma ſumendi mos, peculiariter ad homines illuſtres pertineret, diverſa apud cæteros erat ratio, quum alii maturi ad caſtra propellerentur, alii grandiores ætate, & veterani legerentur. *Longobardi* inter decimum octavum & nonum annum, aptos militiæ viros cenſebant; quòd illa legitima videretur ætas, ut in iſtis Legum Longobard. verbis, Tit. xv. §, 1. firmatur: *Hoc proſpeximus, ut intrà decem & octo annos non ſit legitimus homo.* Ac paulo poſt §. III. *Et in XIX. anno, ſit homini Longobardo legitima ætas.* At *Saxones* militarem ætatem decimo tertio anno definiebant; de quo Liutprandus Hiſt. lib II. cap. VIII. *Eſt enim Saxonum mos laudandus, atq; imitandus, quatenus annum poſt unum atq; duodecimum nemini militum bello deeſſe contingat.* Ab his diverſi *Franci*, juſtam ætatem & armis ſuffecturam judicabant, quæ annis virilibus valida potensque foret: damnosô fortaſſe conſiliô, quum juxta Vegetium, non longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradat, ſed continua exercitationis meditatio, quæ non tantùm celeriùs, ſed etiam perfectiùs diſcitur à pueris, obſervaturque.

V. Sed præcipuus militum delectus circà *Pedites* apud antiquiſſimos Germanos verſabatur, quòd in iis maximum exercitus robur conſtere putarent: ſive quòd equi apud eos nati, nec formâ, nec velocitate conſpicui eſſent, ut Cæſar & Tacitus memorant; ſive regionis inculta facies, & ſylvis paludibusque aſpera, illud militiæ genus commendabat. Tacitus de morib. Germ. *In univerſum æſtimanti plus penes peditem roboris, eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum.* Sic *Catti*, fortiſſima Germanorum natio, quos ſolos Tacitus in bellum ire ait, omne robur in pedite ponebant; magis, opinor, ſitu loci, quàm illâ ſcriptoris Romani ratione permoti, *equeſtrium virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere.* Ea tempeſtate Germani pedites potiſſimùm ob celeritatem celebrati ſunt; ſicuti noſtrâ ætate peculiaris eorum & propria laus eſt, quòd robore cæteras omnes præcedant natio-

nationes. Neque tamen ſuus *Equitibus Germanis* deerat honos, quum teſte Cæſare, parvos & deformes equos quotidiana exercitatione ad ſummum laborem aſſuefacerent, & in rectum, aut uno flexu dextros agerent, ita conjuncto orbe, ut nemo poſterior eſſet; quod magnum iis haberi affirmat Scaliger pater, qui in re equeſtri exercitati ſunt. Sanè Julius Cæſar hoſtium Equites, tum lectiſſimos robore, tum frequentes multitudine, paucis Germanorum equitum turmis & invaſit confidenter, & feliciter disjecit; ut mitiùs à Taciti amatoribus accuſandus ſit Strabo, quod Germanorum robur in militia equeſtri ſtetiſſe memoraverit. Jam cadentibus Romanorum rebus, equeſtri gloriâ apud Germanos viguêre *Alamanni*, de quibus Aurelius Victor in Caracalla ſcribit: *Alamannos gentem populoſam ex equo mirificè pugnantem propè Mœnum amnem devicit.* Parem famam equitatu ſuo meruêre *Hunni*, quos Claudianus & Sidonius fortiſſimos agillimosque equites appellat; quod & hiſtoriarum monumenta de *Saxonibus*, *Thuringis*, *Weſtphalis* teſtantur. Sed crevit equeſtris militiæ gloria, quum penes *Francos* ſumma rerum ſtaret; plane ut ipſa homini nobili & ingenuo propria videretur, & clarum illud *Equitum* nomen viris illuſtri ſtirpe procreatis imponeret. Inde ambitioſa circà equos militares cura, quos phaleris, & ephippis, & ferreis loricis ad pompam diligenter ornabant; unde *Phalerati* apud Scriptores, & adjuncto plerumque nomine *Dextrarii* ac *Palafredi*, ſive *Parafredi* appellantur. Chronicon Colmarienſ. Dominicanor. in Rudolphi Cæſaris geſtis: *Debebat rex Bohemorum——trecentos milites cum equis phaleratis in exercitu regis ducere, quando vellet.* Et paulò ante: *Epiſcopus Baſileenſis ſedens in dextrario phalerato decentiſſimo, armis indutus, ad bellum libentiſſimè proceſſiſſet, ſi regia voluntas permiſiſſet.* Cæterùm quod ad utriusque, & *Equitis*, & *Peditis* ſtipendia attinet, primis temporibus, ut Tacitus auctor eſt, nullis pecuniis merebant, ſed Comitibus Principum Ducumque *epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus pro ſtipendio* cedebant; reliquis communis præde diviſio præmium periculorum laborumque erat. At poſtquam *Vaſalli*, ut loquuntur, inſtituti ſunt, *qui feudi beneficio fruentes, ſervitium deberent*, decretum eſt, ut ipſi illuſtres nobilesque clientes, Principes Ducesque, Regem ſuum *cum militari apparatu*, ceu leges jubent, promti comitarentur; tum ſancitum, ut in dimidium annum neceſſariis ad expeditionem rebus ſibi ipſis providerent. De cæteris militibus, quomodo ſuſtinendi ſint, pluribus agit Diploma Karoli M. datum Wormatiæ A. DCCXC, ubi inter reliqua Imperator ait: *Qui autem*

autem per hominum ſive liberi, ſive famuli Dominis ſuis adhæſerint, quot decem mansos in beneficio poſſideant, tot bruniis cum duobus ſcutariis ſingulas marcas accipiant, & ſic eundo & redeundo hoc ſtipendio, ſine omni Dominorum damno vel expenſa, niſi quantum ipſis Dominis placuerit, fideliter ſerviant. Et paullo poſt *de Eccleſiarum filiis vel domeſticis, id eſt miniſterialibus, vel quorumcunque Principum clientela: Ipſis & aditincris præparationem quinque libræ ſuæ monetæ in ſtipendium tribuantur, & duo equi, unus currens, alter ambulans addatur, ac duobus ſotiis ſoumarius victualibus bene oneratus comitatur, qui ab ipſis ad opus dominorum diligenter cuſtodiatur. Ipſi quoque in Dominorum tamdiu vivant procuratione, quamdiu in incepta vadant expeditione, & quicquid à rebellibus regni pugnando acquiſierint, partes duas ad Dominos deferant, tertiam ſibi pro conſulatione retineant. Quos autem non paſcunt Domini, ad ipſos reportent tertiam partem ſui acquiſiti.*

VI. Poſt militum delectum *Duces* dicendi ſunt, qui exercitum & copias regebant. Apud veteriſſimos Germanos, in Civitatibus liberis, quæ in Principatum tranſiverant, dux belli primarius erat ipſe Princeps: ſin verò Respublica ſine Principe ac Rege agebat, *Dux ſumebatur ex virtute*, ut Tacitus affirmat. Quod & poſteris ſeculis obſervatum invenio, ubi Dux in concilio totius populi, ſuffragiis omnium, legebatur: veluti de *Saxonibus*, eorumque ſobole *Anglis*, Leges Eduardi Confeſſ. teſtantur. Sed Ducibus antiquiſſimis non libera, non infinita poteſtas erat: nam ut Tacitus lib. de morib Germ. inquit: *Exemplo potiùs, quàm imperiò, ſi promti, ſi conſpicui; ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. Cæterùm neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt.* A qua conſuetudine nec poſteros abhorruiſſe *Germanos* video, qui ducum poteſtatem circumſcriptam arctamque voluêre; tum quòd prudenter exiſtimarent, ſuæ periculoſum ſemper libertati fore, ſi exercitum & militem ampliſſima cum poteſtate paucisſimis hominibus traderent; tum quòd anxia timidaque ſuperſtitione turbati, auctoritatem Sacerdotum in bello quoque pollere, inter regnandi inſtrumenta haberent. De *Rugianis* Helmoldus ſcribit: *Flaminem ſuum, non minùs quàm Regem venerantur.* Et de *Sclavis*: *Rex apudeos modicæ æſtimationis eſt, comparatione flaminis.* Sed uti Romanis Imperatores belli inſigniebantur Ducum nomine, quòd exercitum ducerent: ſic eadem de cauſa *Saxones*, aliique *Heretochios* ab her ſive heyr / & togen trahere, dixerunt: *Franci* verò diſſimili ratione *Ma-*

re-

reſchallos, Conſtabulos, Coneſtabulos vocárunt. Quanquam non ſolus ſemper *Mareſchallus* militiæ Francicæ præerat, quum & *Seneſchallus*, qui *regiæ menſæ præpoſitus, & Princeps coquorum* Regioni dicitur, ſæpe exercitum in hoſtem duceret; ut in vita Karoli M & Annalibus Fuldenſibus refertur. Nec mirandum, menſæ regiæ præfecto curam exercitus commiſſam, quum & poſtea *Dapiferis* vexillum committeretur: quod Falcetus Orig. l. 1. cap. x. affirmat. Poſt Ducem *Centuriones, Standiferi, Decani* in legibus priſcis inter militiæ Principes numerantur: ex quibus *Centurio* centenis præerat militibus: *Standifer*, quaſi *Standardum* Ⓔtandart/ ferens, vexillum ſtatarium portabat: *Decanus* caput erat contubernii, in quo decem milites morabantur. Alia quoque nomina recenſet Radevicus lib. 1. de geſtis Friderici I. cap. xxxii. ubi ſcribit: *Fridericus ad obſidionem civitatis, (Mediolani) ducens exercitum, omnes copias ſuas in vii legiones partitur præficiens ſingulis de principibus rectores ordinum, quos antiqui centuriones, hecatontarchos, ſeu chiliarchos appellare conſueverunt, cum ſignis, feris aliisque diſciplinæ & ordinis cuſtodibus.* In omnibus, quum plùs reponeretur in ducibus, quam in exercitu, id potiſſimùm ſpectabatur, ut longo rerum uſu, multisque ſtipendiis & per omne belli genus exerciti, ſcientiam militarem callerent, & induſtriâ, providentiâ, labore animorum validi noſſent, quantus urgendo trahendoque bello modus ſervandus eſſet. Hinc viris canitie, & gravi ætate inſignibus, plerumque imperia mandata atque exercitus commiſſos lego, quod illos per cunctas belli artes exercuiſſet fortuna, & longa experientia ſcientes ſecundarum ambiguarumque rerum feciſſet: rejecto ſeculi noſtri more noxioſiſſimo, ubi ſæpe adoleſcentuli, qui nullas per provincias ſtipendia explevêre, aut hoſtem viderunt, muniis officiisque militaribus delegantur: qui illud Taciti IV. hiſt. veriſſimum plerumque faciunt; *Feſtinatum temerè prælium pari formidine deſerunt.*

VII Nunc ad *Arma* venire lubet, quibus Majores noſtri in bellis uſi fuere: quæ tantò diligentiùs à nobis memoranda, quanto religioſiùs illa à priſcis Germanis ſemper habita ſunt: Non enim ſolum ea, quum profanis adhuc ſacris litarent, ſanctiſſima habuere; ſed poſtea quoquoque ad religionem Chriſtianam converti, illa religione arma coluêre, ut nihil neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armati agerent; quod Tacitus de Germanis ſua ætate ſcripſit. Armati in conciſilium veniebant, ad convivia procedebant, in templa ingrediebantur: armati etiam jusjurandum dicebant, fœdera jungebant, pactiones firmabant.

Jornan-

Jornandes hiſtor. Goth. de fœderibus Gothorum: *Gladius barbarico ritu figitur nudus, eumq; ut Martem colunt* De Danis M. Adamus cap. xxx. *Cæſari miſerunt gladium, videlicet capulo tenûs aureum, & alia multa; pacem firmant ritu gentis per arma juraverunt.* Item Aimoinus de fœdere inter Dagobertum Francùm & Saxones lib. IV. cap. XXVI. *Hoc pactum ſacramento quidem ſuper arma, (ut mos eis erat) jurantibus.* Sed inprimis in jurejurando obtinebat armorum religio, quum ſacramentum omne vel armatâ dextrâ, vel ſuper armis honoratioris viri conciperetur. Formula vetus, quæ apud Lindenbrogium extat num. CXIX. *Veniens jam dictus ille, adprehenſa manu prædicti judicis, vel armis, ſicut mos eſt apud omnes, XII. manu ſua XIII. dextratus vel conjuratus pixit, quod, &c.* Quin arma ex more conſecrabant; & ſi conſecrata non eſſent, ea priùs ſacranda præbere juraturus cogebatur, ut ſanctiore ritu ſacramentum diceret. Leges Bojar. cap. XXII. Tit. IV. *Tunc ſolus juret cum ſua manu, poſtea donet arma ſua ad ſacrandum, & per ea juret ipſum verbum cum uno ſacramentali.* Non igitur mirandum, veteres lege prohibuiſſe, *ne quis Spatham ſuam, (gladium,) in ipſam capitis redemptionem dare cogeretur;* quum hæc libertatis vindex & præſidium haberetur: ſicuti ademptio ejus, aliorumque armorum in gravisſima pœna ponebatur, quâ & *Saxones* libertatem adimebant. Sed ut exactius arma conſideremus, lubet ſeorſim *Francos* & *Alamannos* intueri, quum ab iis populis aut cuncta armorum genera per cæteras gentes Germaniæ diſpertita ſint, aut certè his paria eademque fuerint.

VIII. *Francorum* vetuſtiorum arma deſcribit Agathias lib. II. ubi de Francis inquit: *Huic nationi tenuis eſt, & negligentior armatura, & qua non varia ad ornatum indigeat opificum arte, niſi eorum, qui eâ utuntur, ſi quid fortè, ut fit, corrumpatur. Non enim thoraces hi vel ocreas norunt: pleriq; in bello detecta ſunt capita, perpauci caſſide operti armis decernunt, ſed pectore nudato, & tergo ad infimos renes, amiculo præterea lineo partim, partim è corio ſuccincti, & tibias contegunt. Enſis à femore lævo, ex latere ſcutum dependet. Arcus, funda & tormenta ejusmodi cætera, tela ſaxaq; torquentia, inſueta his ſunt. Sed dolabras ſecuresve ancipites geſtant, & brevia pro patria conſuetudine tela, quæ ipſi Ancones, ut diximus, vocant, & quibus res magnas, cum opus eſt, gerunt.* Ubi quæ de *Ancone* dicit, mox latiùs explicat, dum teli hujus partem majorem ferrô obductam, & aciem ipſam recurvis utrinque hamis exaſperatam narrat; unde Rhenanus appellat Einen Fränckiſchen Hacken/ *lanceasque uncatas* apud Apollinarem *Ancones Francicos* interpretatur. In ipſis Francorum hiſtoriis vocitatur *fuſtis anceps*; de quo Lex illa in Capit. lib. III.

cap. LXXXIX. *Conſtituimus, ut —— noſtri ob reſiſtendam impietatis malitiam armati veniant, id eſt, qui poteſt habere, cum lorica, & ſcuto, ancipite atque fuſte.* Quod armorum genus antiquiſſimum fuit, & non tam à priſcis Germanis, quam à primis mortalibus introductum, quos rudi illo ſeculo clavis & fuſtibus pugnâſſe conſtat, dum teſte Horatio lib. I. Sat. III.

Unguibus & pugnis, dein fuſtibus atque ita porrò.
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus.

Sed poſt Agathiæ tempora uſus paulatim aptiora & concinniora invexit arma, inter quæ primo loco dicenda eſt *Brunia*, præcipuum armaturæ genus, cujus frequentiſſima mentio in priſcis legibus occurrit. Leges Francicæ lib. III. cap. V. §. de armatura in hoſtem habenda: *Omnis homo de duodecim manſis bruniam habeat; qui verò bruniam habens, eam ſecum non tulerit, omne beneficium cum brunia pariter perdat.* In libro Heroum, quod Helden-buch vocant, patrio ſermone eine Brinne appellatur: ſed & alio nomine *Halsberga* in priſcis monumentis vocatur. Diploma Karoli M. Wormatiæ datum A. DCCXC. *Hoc in arbitrio Dominorum pendeat, à quibus ſtipendia accipiant, quibus halbergas concedant.* At quale armaturæ genus *Brunia* ac *Halsberga* fuerint, ab eruditis viris diſceptari video; nam Vitus Amerbachius per *Brunias* intelligit domunculas, Voſſius pater *bruniam* interpretatur galeam, Lazius *halsbergam* eſſe arcum exiſtimat. Nos iis accedimus, qui *bruniam* ſumunt pro *lorica*, quemadmodum eſt in Gloſſario Latino Theotiſco: *Thorax, militare munimentum, lorica, brunia.* Et in Legibus Norvvegicis: Panſſar ǫ̀de Bryniu; quod politiſſimus Loccenius *Loricam* vel *Bruniam* vertit. At *Halsberga* vox Saxonica eſt, quæ propriè ſignat thoracem ferreum, ſive armaturam colli & pectoris, ab Hals *collum*, & Bergen *tegere, protegere, munire*, ut Goldaſtus & Lindenbrogius rectè obſervant. Poſt *bruniam* ſive *loricam* inter nobiliora arma numerabantur *Scutum* & *Lancea*; de quibus Leges Franc. lib. III. cap. IV *De armis infra patriam non portandis, id eſt, ſcutis, & lanceis, & loricis.* Et in Capit. Karoli M. cap. I. *Ut nullus ad mallum vel ad placitum infrà patriam arma portet, id eſt, ſcutum & Lanceam.* Præterea telum erat, quod Marcellinus *ſecurim*, Sidonius *bipennem*, poſteriores *malleum ferreum*, vernaculè Streythammer appellarunt; quod telum, quia in hoſtem dejiciebatur, *miſſile* à Scriptoribus vocatur. Quæ cætera Francorum arma fuerint, liquet ex deſcriptione Leudaſteris armati apud Turonenſem lib. V. cap. XLVIII. de quo inquit: *Qui aſſumpto, ut diximus, comitatu, in tali levitate elatus eſt, ut in Domo Eccleſiæ cum gladiis, thoracibus atque loricis, præcinctus pha-*

retra,

retra, & contum manu gerens, capite galeato ingrederetur.

IX. Nec alia ferè arma veteribus *Alamannis* cæterisque Germanis fuêre: nam *fuſtibus* primùm ſudibusque ac clavis pugnâſſe eos, veteres paſſim hiſtoriæ loquuntur: unde & exercitum Klubboheer/ ſive Knubboheer/ id eſt, *fuſtuarium*, apud Septentrionales Germanos vocatum fuiſſe, Pontanus in Hiſtoria Danica, & Loccenius in Antiquit. Sueo-Gothicis tradunt. Sed & *loricâ* ſive brunia tectos, & *lanceâ, ſcutô, galeâ* inſtructos in bello fuiſſe conſtat; quæ non tam ab ipſis Alamannis, aut Francis inventa, quàm à vetuſtiſſimis Germanis relicta poſteritati fuêre. In libro Heroum, Heldenbuch/ quatuor potiſſimùm arma memorantur, *galea, ſcutum, gladius, brunia*; de quibus ipſe rythmus ad milites armatos:

Nun legen von euch das Streitgewandt
Helm und Schild wohl von der Hand:
Die Schwerdt und auch die Brinne gut/
Ihr ſeyd vor ſchaden wohl behut,

Galeam Leges Ripuariæ *helmum* appellant: novum capitis munimentum, & priſcis Germanis inſuetum, quum teſtibus Herodiano lib. VI. & Dione lib. XXXVIII. capitibus nudis pugnarent, aut pellem ferarum hiante ſuper frontem rictu induerent. *Scuta*, more veteri, primùm ex viminibus texta, aut ex levi ligno compoſitâ erant: oblonga, & ad corporis amplitudinem porrecta, ut omnem gladiorum ictum exciperent averterentque; donec paullatim breviora, & magis rotunda facta ſunt, poſtquam, auctore Sidonio, *ludus Francis, Alamannisque fuit, clypeos rotare.* Qui *ſcutum* portabat, *Scutarius* in legibus antiquis dicitur: ſicuti *Scutagium* ibidem eſt auxilium, ſive ſervitium, quod quisque ſcuto præſtare Regi tenebatur. Sed inter cuncta armorum genera principem locum obtinebat *Gladius*, quem *Spatham* Alamanni dixêre; ſive *quod ſpatio ſit, id eſt, lata & ampla*, ut Iſidorus putat; ſive Celticum vocabulum eſt, veluti hodie inſtrumenta ferrea fodiendis hortis apta, Spade &/ Spate patriâ linguâ vocamus. Erat autem *Spatha* gladius ingens, prælongus, anceps, mucrone carens: quem utraque manu ſublatum in hoſtium corpora dejiciebant, tantâ lacertorum vi & robore, ut quod ſuprà fidem videri poteſt, totum hominem equumque à capite uſque ad calcem diſſecarent. De *Karolo M.* refert Turpinus conſiliarius ejus & Archi-Epiſcopus Rhemenſis, cap. XX. *Tanta fortitudinis erat, quòd militem armatum ſedentem ſuper equum à vertice capitis uſque ad baſes, ſimul cum equo, uno ictu, propria ſpatha ſecabat.* Idem de *Rolando*, Karoli M. ex ſorore nepote cap.

XXII. in bello Saracenico: *Vidit quendam inter alios, qui erat ſtaturâ major aliis, & uno ictu ſecuit illum & equum ejus propriâ ſpathâ, à ſummo uſque deorſum. ita quod pars Saraceni & equi ejus cecidit ad dextram, & alia ad ſiniſtram.* Quæ minùs in fortiſſimis viris, & priſca Germanorum duritie, ac vaſta corporis proceritate pollentibus, incredibilia videbuntur, ſi nobiſcum reputemus, quantas res parentum noſtrorum memoriâ *Scanderbegus*, clariſſimus ille Epirotarum Princeps, gladio patraverit. De *Brunia*, Brynne/ jam ſuperiùs dictum eſt, quæ lucem capere poſſunt ex verbis illis Chronici Dominicanorum Colmarienſium ad Annum MCCXCVIII *Rex Adolphus contrà Ducem Auſtriæ cum magna multitudine venientem, in occurſum currit, cum hominum armata multitudine copioſa. Armati reputabantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui Wambaſia, id eſt, tunicam ſpiſſam ex lino & ſtuppa, vel veteribus pannis conſutam, & deſuper camiſiam ferream, id eſt, veſtem ex circulis ferreis contextam, per quæ nulla ſagitta arcus poterat hominem vulnerare. Habebat & multos, qui habebant dextrarios, id eſt, equos magnos, qui inter equos communes quaſi Bucephalus Alexandri inter alios eminebant. Illi equi cooperti fuerunt cooperturiis ferreis, id eſt, veſte ex circulis ferreis connexa. Aſſeſſores dextrariorum habebant loricas ferreas, habebant & caligas, manipulos ferreos, & in capitibus galeas ferreas, ſplendidas & ornatas.* Præter iſta arma magno in uſu erat *Lancea*, à quâ licet poſteri Germani, judice Cluverio, *Peditem* vocitârint Landsknecht/ quaſi *lancearium militem*, proprium tamen & peculiare *Equitum* fuiſſe telum videtur. Lego apud Radevicum, Friſingenſem Canonicum, de geſtis Friderici I. lib. 1. cap. XXVI. ubi arma Equitis deſcribit: *Si autem fidens in dextrario, & habens ſcutum in collo, lanceam in manu, ad caſtra acceſſerit, ſi quis eum læſerit, pacem non violavit.* At magis ex pactione *Rolandi* & *Ferraculi* apud Turpinum eluceſſit, *lanceam* inter propria Equitis arma habitam fuiſſe: quippe quum illi primùm equeſtri certâſſent pugnâ, mox inter ſe convenerunt, ut poſtero die *pedites, ſine equo & Lanceis* dimicarent. Sed & *malleum ferreum*, ſive *ſecurim*, & *arcum* atque *ſagittas* inter Germanorum arma reperio, quorum primum uſum *Gothi* inter noſtrates monſtrarunt; nam eorum inventionem falsò ſibi *Franci* vendicant. In Antiquitatibus Sueo-Gothicis Joh. Loccenii exſtat lex Helſingica, à priſcis ducta moribus, quæ expreſſiſſimis verbis jubet: *Quilibet vegetus miles octodecim annorum habebit quinque arma, gladium vel ſecurim, galeam ferream, clypeum, thoracem ferreum aut loricam, & arcum cum triginta ſagittis.*

X. Et

X. Et hæc fuêre veterum arma, quæ ad ſeculum usque decimum quartum viguerunt; quum *Germani* novam belli machinam, incertum iratis ex provocatione, an propitiis diis excogitarunt. De *Bombardâ* loquor, terreſtri fulmine, ac cœli tonantis imagine, quâ intra cavum æs exiguo pulveri demerſa flammæ ſemina, ubi admotum ſpiraculo ignem concepêre, cum horribili ſonitu erumpunt, effuſisque ferreis globis non unam mortem inferunt. Ac ſævius *Tormentorum* ac *Mortariorum*, ut vocant, ingenium, quæ in Urbium ſtragem, & naturæ trepidantis terrorem ſolvuntur: non qualia veterum bellica tormenta, ætatis hujus ludibrium, quæ funibus tenta, poſt longas moras ſtridente nervô lapides, aut haſtas ignavo pulſu emittebant: ſed immanes pilæ, aut ingentia ſaxorum pondera, ubi cæcis ignium conceptaculis emiſſa ſunt, ingentes turres atque immania funditùs convulſa propugnacula evertunt, & picea caligine cœlum, virorum ac mœnium ſtrage, altoque cinere, ſubjectos latè campos obruunt. Ut nec vanè, nec falsò Germani apud Julium Cæſarem Scaligerum jactent: *Pace tua dicam Jupiter: etiam fulmina commenti ſumus; non tinnitus dementiam Salmonei cujusdam Græculi vanam, neque ſonitum potiùs, quanquam & hunc ipſum quoque, ſed vim illam terrificam, impetum, impreſſionem, disjectionem, denique vaſtationem non tàm imitati ſumus, quàm expreſſimus.* Non tamen deſunt, qui hoc Germanorum inventum execrentur, qui humani generis, ſublatò fortis atque ignavi diſcrimine, perniciem, ſævamque latrocinationem appellent. Equidem quum iſtos de malignitate *bombardarum* querentes audio, venit mihi in mentem, quantò faciliùs omnia alia accuſent homines, quam ſemet ipſos. Tormenta iſta urbium atque hominum tutelæ reperta ſunt; ſed nos vitæ peſtem fecimus, nos illa ad exitium & cladem noſtram detorſimus. Ita & reliquum ferrum, quò carere non poſſumus, ad cædem noſtram paravimus, & ex eo gladios ſicasque in jugulum noſtrum ſtrinximus. Sed nihil bombardâ nocentiùs: capitalis perfidiæ telum eſt, dira machina eſt, quâ deſtituti veteres, & ſanctius & mitiùs pugnarùnt. Tanquam non eadem ſit ſagittarum miſſiliumque omnium invidia, eoque acrior, quum tingerentur venenô, & aliquid nocentius ferrò & pulvere nitrato adderetur. Et ſanè ſi vires illius noſtræ machinæ inſpiciamus, illud omninò dicendum eſt, non tantùm nocentioribus in bello telis uſos eſſe veteres, ſed & majore ſtrage ipſos cecidiſſe homines, quoties acie concurrerent.

XI. Luſtratis explicatisque armis ad *Signa militaria*, ſive *vexilla*

tranſeo, quæ majores noſtri, teſte Diacono Paulo, *Banda* appellabant: ſive à Bandt/ vinculo & nexu, quo ſub eodem militantes *bando* ligabantur, ſive à faſcia quadam de vexilli pertica dependente, quæ & *bandum* dicebatur. Ab eo eſt *bannerium*, Bannier/ Pannier/ & *Banderefius* Banner-Herr/ qui bandum ſeu vexillum portabat. Auctor vitæ Ludovici Regis, filii Ludovici Groſſi: *Illa die faciebat antegardam Gaufridus de Rancome —— qui gerebat Regis banneriam.* De *Banderefio* Platina in Gregorio II. PP. *Urbis cuſtodiam totamque Reipublicæ adminiſtrationem & curam Banderefii tum gerebant. Banderefii enim appellati ſunt Germanico verbo à vexillis, quibus in bello utebantur.* At prætorianum totius exercitus vexillum, quod Romani inferiores *labarum* appellant, *Standardum* dicebatur, à veteri Teutonica voce Stanta/ & Stånda *ſiſtere*, quòd humi defixum ſtaret: unde & judicium militare Standrecht/ vocatum, quod in eo vexillis in terra defixis jus diceretur. Plerumque autem *Standardum* ſive vexillum ſtatarium in curru caſtrenſi, quem *carrochium* appellarunt, ſuper pertica figebatur, ut longè oculis pugnantium capeſſeretur. Hinc Brito Armoricanus lib. XI. de *Ottone* Imperatore præliaturo;

Erigit in carro palum, paloque draconem
Implicat, ut poſſit procul hinc atque inde videri,
Quem ſuper aurata volucer Jovis imminet alâ.

Et Sigonius in Friderico I. *Tandem Fridericus ordines Mediolanenſium viperrupit, atque ad carrocium penetravit: ac ſolutis bobus vexillum detraxit, & contumeliæ cauſa currum in proximam foſſam dejecit.* Cæterùm diverſas effigies, ac non unam imaginem, in vexillis ſuis adumbrabant *Germani*; more à *Romanis* alieno, qui poſt Marii tempora *Aquilam* omnibus legionibus dicaverunt. Vetuſtiſſimi *Germani* depromebant è ſylvis ferarum imagines, & effigies luporum, equorum, aprorum detractas nemoribus, in prælium ferebant, ut Cæſar & Tacitus annotârunt. Sed *Francis* vetuſtioribus, quum primùm *Alemanniam Galliamque* armis corriperent, *leonem* & *ſerpentem* in armis vexillisque fuiſſe, oſtendit Trithemius de Orig. Francor. in vaticinio illo Hildegaſti: *Magnus ecce Deus dabit Franco lupanaria caſtra, Et franget Aquilam Leo Serpente colliſam.* At *Gothi*, Germanica gens, tempore belli imaginem *Draconis contorti*, tempore pacis figuram *Agni* in ſignis ſuis circumferebant, quemadmodum Joh Loccenius in Antiquit. Sueo-Goth. lib. III. cap. II. ex priſcis monumentis probat. *Otto* Imperator *Draconem*, cui *Aquila* ſuper volitabat, in vexillis publicisque inſignibus depictum poſuit, ut ex Britonis Armoricani verſibus ſu-

perius

periùs citatis, & ex alteris illis ejusdem Auctoris lib. XII. de Othone victo constat:

Currus quo reprobus erexerat Otho Draconem,
Quem super auratis aquilam suspenderat alis,
Cogitur innumeras in se sentire secures.

Sed Conradus II. Imp. imaginem sacræ crucis in vexillo prætoriano ostentabat: cujus exemplum posteri imitati, aut idem salutare signum, aut effigiem alicujus Divi, qui ad sanctimoniam Superorum commigraverat, in prælium ferebant. Augebat religionem Signorum, quòd summæ infamiæ duceretur, ab iis recessisse; quod inprimis de *Stantardo*, sive vexillo prætoriano valebat, *cui omnis populus adhærere, cum quo stare, quod locò motum sequi jubebatur*, ut Walsingamus Hist. Angl. in Eduardo II. loquitur.

XII. Huc pertinent *tuba, cornua, buccinæ*, quibus animi ad bellum accenduntur. De *Tubis* priscorum Germanorum, Vangionum ac Batavorum, Lucanus lib. I.

Vangiones, Batavique truces, quos ære recurvæ
Stridentes acuêre tubæ.

Ubi rectè monet vir summus Ph. Cluverius, magis poeticè, quàm propriè formam *tubæ* à Lucano descriptam: nam ut Vegetius lib. III. cap. V. ait: *Tuba, quæ directa est, appellatur: buccina, quæ in semet areo circulò flectitur.* Sed *tubam* posteri *Salpigem*, sive *Salpictam* vocarunt, ut ex iis Athelmi verbis de Virginitate liquet:

Cornua rauca sonant, & salpix classica clangit.

Ac classicum quidem per tubas canebatur, quæ quum incultæ rudesque essent, & ingenti barbaricoque spiritu inflarentur, *horridum bellicoque terrori convenientem sonum edebant*, velut de vetustissimis Germanorum Gallorumque tubis Diodorus lib. V. memorat. Celebratur in historiis Francorum *Tuba eburnea Rolandi*, quam ipse heros in bello inflâsse dicitur: de qua Turpinus Archiepiscopus, quod fabulæ propius videtur, in rebus gestis Karoli M. cap. XXII. refert, morientem in montibus Pyræneis *Rolandum* tanta virtute occinuisse tubæ, ut & ipsa per medium scinderetur, venæque intumentis colli nervique rumperentur: sonus autem ad aures *Karoli M.* qui octo milliaribus versùs Gasconiam aberat, illæsus integerque perveniret. *Buccinam* quoque tribuit Germanis Marcellinus, ubi de *Gothis* Adrianopolin oppugnantibus agit: nec diversus ab ea fuit *lituus*, quem idem auctor

ctor Gothis adſcribit: *Tympanis* haud utebantur Romani in bello, ſed in Cybeles ſacris eorum tantùm uſus erat; neque illa apud *Germanos*, niſi collabente Romanorum Imperio, inter arma ferri audirique cæperunt. Fuit illis & aliud inſtrumentum, tympano non abſimile, quod *Macariam* Sugerius in vita Ludovici Groſſi vocat: *Tympanis, & macariis, & aliis ſimilibus reſonabant.* Ad quæ verba vir ingentis eruditionis Joh. Voſſius Meurſium laudat, quòd pro *macariis* legerit *anacariis*; putatque *anacaria* fuiſſe tympani genus, parte inferiori rotundum, quale hodie *Germanis* eine Heerbaucke/hoc eſt, *Dominicus venter* vocetur.

XIII. Nihil adhuc de diſciplina militari dixi, quâ exercitus Germanorum ſtetit, & principatum Europæ imperio noſtro peperit. Neque mihi Romani tantis laudibus extulerint ſuam caſtrorum diſciplinam, quòd illa antiquior Parentibus Romanis, quâm caritas liberorum fuerit; quum nihil veteri diſciplinâ Germanicâ durius, nihil ſanctius ſit, ſive exercitum, & militarem ordinem, ſive continentiam & modeſtiam militis reſpiciant. Quanta illa *Cattorum* veterum diſciplina, qui militem, teſte Tacito, *ſuper arma ferramentis quoque & copiis onerabant*, ut ad omnem belli patientiam erudiretur? A quorum tolerantiâ nec poſteri abiêre Germani, qui loricas pondere ingenti graves, quas hodie vix de terra levamus, non plùs in onere numerabant, quàm milites *alii humeros, lacertos, manus*, ut Ciceronis verbis utar. Atque illi fortiſſimi mortales, quum victoriarum frequentiâ modum bellis conſtituiſſent, quod otii ſupererat, propterea quòd eſſet è prælîis ortum, ad easdem contentiones comparare ſtudebant: qua de re, ut quæcunque evenire in acie atque prælîis poſſunt, in campeſtri meditatione prænoſcerent, ſæpè inter ſe, in modum juſtæ pugnæ concurrebant, & aut in ordine ambulantes, aut decurrentes, aut pondera portantes, ad omnem patientiam belliçam, & peritiam ſe præparabant. Scilicet, ut Theodoricus Gothorum Rex in Conſtitutionibus ſuis prudenter ſentit: *Ante diſtribuenda ſunt arma, quam poſſit flagitare neceſſitas: ut cum ea tempus exegerit, paratiores ad imperata ſufficiant. Ars enim bellandi, ſi non præluditur, cùm neceſſaria fuerit, non habetur. Diſcat miles in otio, quod proficere poſſit in bello. Animos ſubitò ad arma non erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſa exercitatione confidunt.* Jam quanta modeſtia, quæ abſtinentia militis ad bellum ambulantis? qui quum nec auro argentoque, ſed ferro & ære fulgeret, nullius innocentis opes rapiebat, nullius ſegetem deterebat, nullius domum incendiô delebat: ſed tranſitu per vicos pagosque innoxio

noxio, omnem ferociam in armatos hoſtes reſervabat? Sanctiſſima illa *Regis Gothici* oratio ad *Gepidas* eſt, quum eos ad cuſtodiam Galliæ per Liguriam profiſci juberet: *Movete feliciter, ite moderati. Tale ſit iter veſtrum, quale decet eſſe, qui laborant pro ſalute cunctorum. Primus proſperitatis gradus eſt, ſuis non eſſe damnoſum; ut pro quorum compendio laboramus, eorum non videamur fortunas afflixiſſe.* Exempla habeo, ſæpe graviùs in eos animadverſum, qui pacato cuiquam in expeditione bellica nocuerant, quàm qui ferrum in Parentem aut dominum ſtrinxiſſent. Qui incendia in villas aut agreſtes caſas ſparſerat, detonsâ comâ, quæ ſumma ignominiæ nota erat, é caſtris vapulans ejiciebatur: de quo Lex Friderici Barbaroſſæ apud Ligurinum lib. VII.

Si quis pacifica plebis pillasve domusve
Uſſerit; abraſis ſignabitur ora capillis,
Et pulſus caſtris poſt verbera multa recedet,

In eadem lege ſacris ædibus ſua ſtatuitur ſecuritas, quas qui effringeret, aut deſpoliaret, tanquam Dei hominumque contemtor, & nomine militis indignus, aut in furcam tollebatur, aut ſagittis eminus configebatur. Segetem in agro vaſtare, frumentum proterere, facinus infame judicabant: unde in prævaricatores ſevera pœna, quæ in Leg. Franc. lib. IV. cap. XCVIII. habetur, promulgata eſt. Furtum *Bojoarii* hac pœnâ vindicabant, quæ in Legib. eorum Tit. VII. §. I. & II. eſt; *Si quis inexercitu aliquid furaverit, paſtorum capiſtrum, frenum feltri, vel quæcunque involaverit, & probatus fuerit, ſi ſervus eſt, perdat manus ſuas, Dominus verò ejus ipſam rem ſi habet, aut ſimilem reddat. Si autem liber homo hoc fecerit, cum XL. ſolid. redimat manus ſuas, & quod tulit, reddat.* Atque hac abſtinentia modeſtiaque, quum Germanus miles alios devincire cogeretur, ſe ipſum continentiâ in Cibo & Venere firmare ac commendare jubebatur: prudentiſſimô conſiliô, quum & aſſuetudo libidinum indomitos etiam animos enervet, ſolvatque, & luxuriosi conviviorum apparatus omnem ardorem ferociamque popinis & commeſſationibus deterant. Hinc ſalutaris illa conſtitutio in Legg. Franc. lib. IV. cap. LXXIII. *Ut in hoſte nemo parem ſuum vel quem libet alium hominem bibere roget, & quicunq; in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo ſolâ aquâ utatur, quouſque ſe malè feciſſe cogноſcat.* Eadem de cauſa, apud primos *Francos*, more Romano, intrare caſtra fœminis non licebat, nec inter illa libidinum inſtrumenta occupatus miles à robore & virtute denegeraret; quamvis poſtea, quum *Juſtinianus* Cæſar peſſimo exemplo indulſiſſet militibus

Romanis, ut ſecum uxores ducerent, paullatim in caſtra quoque *Francorum* mulieres irrepſerint: quâ de re Turpinus in rebus Karoli M. cap. XXI. graviſſimam querelam contexit. Revocavit tamen priſcam caſtrorum ſanctitatem Imperator *Fridericus Barbaroſſa*, qui fœminæ caſtra ſequenti nares abſcindi juſſit: ſicuti ipſe apud Ligurinum lib. VII. ſancit:

Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris;
Qui reus extiterit, ſpoliis nudatus; abibit
Turpiter, & naſô mutilabitur illa reciſô.

XIV. Sed jam tempus eſt, ut ſagô explicatô in aciem prodeamus, & Majores noſtros in campo, in prælio, in obſidione Urbium contemplemur. Jam primùm ubi expeditio inſtituenda erat, miles conclamari ſolebat ad arma; quod Saxones peculiari illâ voce *Jadute*, vel *Jodute* factitabant. De cujus vocis origine & ſenſu Krantzius Saxoniæ lib. V. cap. XXXVI. inquit: *Eam, quæ hodie exſtat, conclamationem ad arma & auxilium non ab idolo aut vano Deo, ſed eſſe vocem Italicam aut Gallicam*, Jo adjute mi, *doctiores arbitrantur*. Inde remanſit illud apud Inferioris Saxoniæ populos: he röpt jodut/ quod de multùm vociferante & clamante dici, Johannes Loccenius, vir ad illuſtrandas res Suecicas natus, in Antiquitatibus Sueo-Gothicis obſervat. Sed & miles per vexillum publicum in turri, aut alio excelſiore loco ſuſpenſum, ad expeditionem ciebatur; quod in urbe Spira factitatum à Karolo Quarto comperio, quum latrones Neoſtadium Palatinorum arcem inſiderent. Albertus Argentinenſis in A. MCCCXLIX. *Carolus rex hoc audito ſtatim bannerium ſuum, quod dicitur* Sturmfahn/ *ſuper turrim Eccleſiæ Spirenſis conſtituit, & populo civitatis ad arma mandari per Magiſtros civium præcepit, & egreſſus civitatem cum ſua gente armatus, populo eum ſequente cum bannerio ante caſtrum prædictum, ipſum funditus deſtruxit.* In magnis tamen juſtisque bellis, priusquam arma moverentur, more Romano bellum denunciari indicique ſolebat: unde de *Friderico I*, Cæſare, quum irarum plenus Mediolanum urbem circumvallari juſſiſſet, Guntherus Ligurinus, Poeta coævus lib. VII. canit:

Sed ne præcipiti quicquam prudentia motu,
Regia, neglecto præſumeret ordine juris,
Primùm propoſitis legalibus eſſe citandos.
Hoſtes edictis, juris ſuaſêre periti.

Illi autem, qui indicebant bellum, aut res repetebant, *Heraldi* dicti ſunt, quales apud Romanos *Fetiales* & *Patres patrati* fuêre. Qui *Heraldi*, quum veteri

veteri gentium jure ſancti haberentur, inſuper coronari & conſecrari apud *Francos* ſolebant; tum torque aureo, & inſignibus Regiis ornati, ſacratas in manu virgas ferebant. Meminit ejus moris præter alios Gregorius Turonenſis lib. VII. cap. XXXII. *Poſt hæc miſit iterum Gundebaldus duos legatos ad Regem cum virgis conſecratis, juxta ritum Francorum, ut ſcilicet non contingerentur ab ullo.* ipſa clarigatio, & verborum formula ad morem ferè veterum Romanorum compoſitæ erant, quorum ritus in bello indicendo Livius lib. I. recenſet: nam & haſtam in fines hoſtium immiſſam, documento eſt *Otho* Magnus, qui quum Daniam armis invaderet, projectâ in ſinum Codanum haſtâ, & bellum, & poſſeſſionem regionis capesſivit.

XV. Egreſſi in campum, primum laborem putabant, capere idoneum metandis *caſtris* locum: quod *heribergare* ab her ſive heir/ *exercitu*, & bergen/ *cuſtodire, ſervare, continere* vocabant. At ipſa exercitus ſedes, & locus caſtrorum dicebatur *Heriſtallus*, ab heyr exercitu, & Stall/ quod ſtabulum aut ſtationem notabat. Paderbornenſis Monachus in Annal. de vita Karoli M. lib. I.

Nomen heriſtalli dederat cui barbara lingua.

Idem locus, quia foſsâ præcingebatur, *foſſatum* etiam vocabatur; ut me Henricus Spelmannus, maximi ingenii Eques in Archæologo ſuo docet. Sed & carris, vehiculis, impedimentis, in orbem connexis, caſtra claudebantur, ac circumvallabantur: quod Marcellinus, Vopiſcus, Trebellius Pollio, aliique *carraginem*, ipſi Germani patriô vocabulô eine Wagenburg dixère: veteri atq; utili *Germanorum* inſtituto, qui teſtibus Cæſare, Vegetiô, Oroſio carros pro vallo objiciebant. Verùm quæ forma caſtrorum, quæ ſtatio, quæve militum deſcriptio mediis ſæculis fuerit, juvat audire ex Radevico de geſtis Friderici I Imp. lib. II. cap. II. ubi caſtra Germanorum in campo Roncaliæ ita deſcribuntur: *Antiquam Romanæ militiæ conſuetudinem Romani miles imperii adhuc obſervare ſolet, ut videlicet quotieſcunq; in hoſtilem terram intraverint, caſtrorum primò munitioni ſtudeant. Quæ quidem neque iniquo locô erigunt, neque inordinate deſcribunt, ſed in plano & campeſtri; & ſiquidem inæquale ſolum fuerit, quoad fieri poteſt, complanatur. Dimenſio autem ſæpiſſimè vel in orbem, vel in quatuor angulos deſignatur. Nam & fabrorum, & opificum multitudo, & mercatorum copia, quæ quantum uſus poſcit, ſequitur exercitum, cum ſuis papilionibus ac ergaſtariis, aut ſuburbiorum, ſi in quadro; aut ſi in gyro, ambitus eorum extrinſecus muri faciem præfert. Intus autem caſtra vicis apte diſtinctis dirimunt, plateasq; & portas aſſimilant, tam ju-*

mentis aditu faciles, quàm ipsis si quis urgeat, intrò currentibus sufficienter latas, ut quasi repentina quædam civitas existat. Medio autem Ducis vel Principis tabernaculum, templo simillimum, circaque rectorum & primatum, ut quemque decet suo ordine: armisq; septi milites per contubernia cum decore & lætitia in tentoriis agunt.

XVI. Imminente hoste *Acies* struebatur, prout ipsa campi temporisque ratio exigebat; neque enim unam certamque aciei struendæ legem à Majoribus nostris observatam video. Antiquissimi *Germani* teste Tacito, aciem per *cuneos* componebant; quos *Franci* postea imitati sunt, quum in Italia cum Narsete confligerent. De quo Agathias lib. II. *Erat iis forma aciei instar cunei, △ litera figuram referens: anteriore sui parte in acutum desinens.* Sed *Karolus M.* adversùs Saracenos pugnaturus, *quadratis aquisq; lateribus dispositi exercitum suum in tribus turmis, quarum prima militum probatissimorum fuit, secunda peditum, ultima verò equitum,* Ut Turpinus cap. XVIII. memorat. Alium ordinem instituit *Fridericus I.* quum ad obsidionem Mediolanensem condenderet: quem his versibus Liguri-nus lib. VII. describit:

Totaq; septenis distinguens agmina turmis
Ductorem cuneo præfecit providus uni
Cuiq; suum: nunc cornicines sonitusq; tubarum
Prælia terrificò committere prima tumultu,
Signiferosq; loco, vel læta, vel aspera primo,
Laturos, acies æquè dispergit in omnes.
At qua Cæsarea, signum Latiale, cohortis
Regia fulget avis, magnorum densa virorum
Agmina, ceu magni glomeravit viscera regni.
Hinc famulûm succincta manus, vulgusq; pedestre
Pondera jumentis ingentia portat onustis,
Quæq; expugnandis creduntur idonea muris.
Ultima ceu modico subitura negotia voto
Ære dato conducta cohors.

Rem totam Poeta, ut solet, ex Radevico de gestis Friderici I. Imp. lib. I. cap. XXXII. desumpsit, apud quem paullò distinctius legitur: *Fridericus ad obsidionem civitatis ducens exercitum, omnes copias suas in septem legiones partitur. Præmissi milites cum stratoribus viarum, qui aggerum maligna corrigerent, ac de via complanarent, obstacula præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circùm Aquilam & signa alia tubicines & cornicines. Servi*

singulo-

singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisq; jumentis advehentes militum sarcinas. Hos sequebantur, qui expugnandis civitatibus machinas, & cetera tormenta portarent. Omnium verò agminum postrema erat mercenaria multitudo. Sed in sequentibus annis in tres plerumque partes divisum exercitum reperio, quum acies instruenda erat; ita ut flos & robur exercitus loco postremo staret, agmenque reliquum dispositis ad latera ejus alis muniret. In prælio, quod *Rudolphus* Romanorum Rex cum *Ottocaro* Bohemiæ Rege prope Viennam, A. MCCLXXVIII. commisit, copias omnes in tres partes diviserat: in prima pedes Germanus cum quindecim millibus Hungarorum stabat: secundam ipse in hostem ducebat: in tertia trecenti equites, aliique, quorum virtuti maximè confidebat, collocati, reliquam aciem premebant à tergo, muniebantque. In Chronici Colmarienf. Dominicanor. Parte secunda, *Albertus* Austriæ Dux, quum *Adolphum Nassovium* Romanorum regem sibi explicatâ acie occurrentem videret: *Exercitus meus*, inquit, *in tres partes dividatur, & Regis exercitus ad medium mei venire, sine obstaculo permittatur: cùm autem in nostra pervenerit, à nostris circumdetur.* Qui componendæ aciei ordo à Romanis priscis acceptus videtur, apud quos Hastati per manipulos stabant primi, inde Principes, loco postremo Triarii, robur exercitus, veluti incomparabilis Salmasius docet; consiliô sanè prudentissimô, quod & J. Lipsius omnibus aciei struendæ modis, in illo Homerico antepositit:

Atque Equites posuit cum Curribus ordine primo:
At Peditum à tergo floremque & robora, belli
Munimen, septumque: sed in medio agmine viles
Ignavosque, uti vel nolentes depugnarent.

XVII. Instructâ & compositâ acie, Duces exercitum obequitantes, aut in celsiore consistentes loco, oratione animos militum incendebant; qualis inter alias gravissima illa *Friderici Barbarossæ* oratio ad Germanos apud Ligurinum est;

Nunc age Teutonici fortissima robora regni,
Imperii vires, totius gloria mundi,
Magnifici proceres, magnis intendite cœptis
Pectora, sitq; palàm, nullam sub limite mägni
Esse poli, nostris quæ tutò viribus obstet,
Legibus aut Latiis impune recalcitret urbem:

Quin ut animi in omne fatum paratissimi essent, Sacerdos Eucharistiam sacram supplicibus offerebat, tantoque sacramentô, & promissô

cœlitum præſentiſſimô auxiliô animos obfirmabat. Inde clamore maximo, divinam implorantes opem, in hoſtes procurrebant; more ab antiquiſſimis Germanis recepto, qui clamoribus horrendis, truci cantu, terribili fremitu, prælium auſpicabantur. Cujus cauſam iſtam refert Tacitus in libro de Germania: *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium in prælia ituri canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos, futuræq; pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur, terrent enim trepidantve, prout ſonuit acies, nec tam vocis ille, quàm virtutis concentus videtur, affectatur præcipuè aſperitas ſoni, & fractum murmur, objectis ad os ſcutis, quo plenior ac gravior vox repercuſſa, intumeſcat.* Hunc clamorem ſua ætate Marcellinus talem fuiſſe refert, qui ipſo fervore certaminum exoriens, & paullatim adoleſcens, ritu fluctuum cautibus illiſorum extolleretur. Sed nec *Teſſera militaris* deerat, quam maxima voce pugnantes ingeminarent; quemadmodum in prælio *Henrici I.* contra Hungaros, *Germanorum* teſſeram Κύριε, *Hungarorum* autem *Hui, Hui*, terribili ululatu auditam, Liutprandus Hiſt. lib. II recenſet. Jam in ipſo prælio antiquiſſimi pro re, pro loco, pro tempore, punctim, cæſim, cominùs, eminùs, eodem telo hoſtem petebant; quod in hiſtoriis etiam ab hoſte conſcriptis maximam admirationem habet. At poſtea primùm ſagittis, inde haſtis, & denique gladiis pugnatum eſt: quod Ligurinus de exercitu Friderici I. ſic lib. VII innuit:

Prima volatilibus mandantur bella ſagittis:
Protinus excuſſis avidè concurritur haſtis:
At ſimul ad gladios, & ſtrictas cominùs iras
Incaluit virtus, iunc verò horrendus ubique
Clamor.

Igitur poſt exploſas ſagittas, vibratasque haſtas, ad gladios itum, quibus maxima hoſtium ſtrages edebatur: unde *Henricus I.* Imperator apud Liutprandum gladios potiſſimùm militibus commendans, ait:

Sumite nunc animos more virili,
Membra ſecare, precor, vique ferire
Sit furor, heus, ardens, ſancta cupido.

De Turcis, ab *Alemannis* ac *Francis* in Aſia cæſis, ita ſcribit Nicetas Choniates, in vita Manuelis Comneni: *Alii namq; haſtis confodiebantur; plures alii prælongis gladiis medii diſſecabantur.* Quod ſi hoſtis magno incumberet impetu, telorumque tempeſtate aciem perfringeret, more Romanorum, teſtudine ex ſcutis facta, *procedebant ſimul turris in modum compoſiti*

pōſiti confertiq; ; ut eodem loco Nicetus de Germanis loquitur. Sed tota acies ſi perrupta & turbata inclinaret, retrò ad carrorum munimenta ſe recipiebant, ut inde collectis viribus in hoſtem rurſus erumperent; quod idē ſcriptor de Gothis tradit. Cedere locô, dummodo rurſùs inſtes, conſilii quàm formidinis arbitrabantur veteres Germani, ut Tacitus auctor eſt: ſed milites *Ottonis I.* apud Liutprandum lib. IV. c. XI. *Ridiculum ſuæ eſſe nationi inquiunt, fortes viros, non reſiſtendo, mortem fugere, aut ſe hoſtibus tradere, & ſupplicandi opprobrium pati.* Quæ animorum magnitudo in victis quoque eminuit, ubi fatali neceſſitate ſuccubuerant: nam ut de priſcis *Cattis* apud Tacitum legimus, crinem barbamque ſubmittebant, nec niſi hoſte cæſo, ſuper ſanguinem & ſpolia exuebant votivum obligatumque virtuti, oris habitum, ac frontem revelabant. Id quoque de Saxonibus, quum à Suevis profligati victique eſſent, tradit Turonenſis lib. v. cap. XV. ubi ait: *Illi quoque qui ex Saxonibus remanſerant, deteſtati ſunt, nullum ſe eorum barbam, neque capillos inciſurum, niſi priùs ſe de adverſariis ulciſcerentur.*

XVIII. Ex campo *ad Urbium obſidionem* contendo, quam Romani duobus potiſſimùm modis, *Coronâ* & *Operibus* peragebant. Sed priſcis Germanis ſola placuit *corona*, ſpretis aut ignoratis operibus; quemadmodum ex illo Taciti Annal. lib. XII, conſtat: *Nihil tam ignarum barbaris, quàm machinamenta, & aſtus oppugnationum at nobis ea pars militiæ maximè gnara eſt.* Verùm poſteriore ætate partim machinæ à Romanis acceptæ, partim induſtriâ propriâ inventæ excogitatæque ſunt, inter quas *Cancrum, Catium, Manganum, Petrariam, Talpam, Vulpeculam, Trebuchetam*, memorari potiſſimum invenio. Quid *Cancer* fuerit, in Chronici Colmarienſ. Monachor. parte altera, ubi de obſidione Bingæ oppidi agunt, his verbis explicatur: *Fuit cancer inſtrumentum magnum, forte pariter & ponderoſum. In eo erat trabs magna, pariter longa, in una parte groſſa, in altera parte parva. In groſſiori parte, ſive in capite fuit ferro forti circumdata, & in fronte ipſius Cancri fortiſſimè colligata. Trabs hæc ſuper quædam inſtrumenta jacuit, quòd faciliter moveretur. Hic cancer cum ad murum perveniſſet, & octo in circulos, qui in trabe erant, funes immiſiſſent, ex paucis ictibus pro magna parte cadere coegerunt.* Ex quibus verbis conſtat, *Cancrum Germanicum* haud diverſum ab *Ariete Romano* inſtrumentum fuiſſe; unde & Gregorius Turonenſis lib. VII. hiſt. Franc. *Arietem* vocat, & Florentinus Monachus de expugnat: Acon: *arietem* pro *cancro* ponit:

Noſtri turres ligneas facere capêre,
Gattos & Arietes fieri juſsêre.

De

De *Catto* ſive *Gatto* frequens mentio apud Othonem Friſingenſem de rebus geſtis Friderici I. & apud Radevicum in ejuſdem Friderici vita occurrit: ſed quale fuerit inſtrumentum, ex illis ſuperiùs citati Chronici Colmarienſis verbis cognoſci poterit: *Expugnavit Rex Albertus hanc civitatem,* (Bingam) *per duo vaſa concava, quæ faciebant artifices ſapientes. Unum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vaſa longa, quadra, demiſſa, ex omni parte laterum clauſa.* Et paullò poſt: *Cattus leve vas erat, & faciliter trahebatur. Cum hoc vas ad civitatem fuiſſet perductum, tigna quædam pro pedibus ſibi fecerunt, ut ad murum per foſſatum poſſent faciliter pervenire. Manganum* ſive, *Mangana, Mangonella,* & *Manga,* ut Radevicus lib. II. vocat, machina bellica, ſeu catapulta erat, quâ lapides grandiores & ſaxa in urbem jaciebantur. Ejus formam uſumque oſtendit his verbis Abbo lib. I de Obſid. Lutetiæ:

Conficiunt longis æque lignis geminatis
Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus jaciunt ingentia, ſeu jaculando
Alludunt humiles ſcenas.

Nec alia machina eſt, quam Munſterus *balliſtam tractoriam* ſeu *catapultam* vocat, cujusve figuram Stevvechius in commentario ad Vegetii lib. IV. cap. XXII. nobis exhibet: quâ non mœnia ſolùm, ſed domos & alia ædificia intra muros conſtituta quaſſare ſolebant. Quippe ejus fabricam mœnibus admoventes, per Hypotenuſam graviſſima ſaxa, aut fœtida beſtiarum cadavera in altum projiciebant: quæ conſummato curſu, è ſublimi per præcipitium, in ſubjecta cadebant loca, & impetu vel fœtore obſeſſos infeſtabant. Notat dictus Stevvechius, eâ machinâ ad deditionem coactos, qui munitiſſimam arcem in medio Rheni collocatam, juxtà oppidum Rheinfeldenſe tenuêre. A *Mangano* paullùm diverſae at *Petraria,* quæ petras & ſaxa ad muros diruendos projiciebat: cujus præter Paullum Diaconum meminit Turpinus de rebus Karoli M. cap. X. *Aptatis juxtà murum petrariis, & mangatellis, & Troiis, & arietibus. Talpa* & *Vulpecula* nomen reperitur apud Othonem Friſingenſem de rebus geſtis Friderici I. cap. XXIII. ubi verba iſta: *Cæſar omnem reliquum apparatum, quem ad oppugnationem civitatis fecerat, Talpas, Vulpeculas, Ericios, Catto, (talibus enim cenſentur nominibus) juſſit exuri.* Sed quæ propriè machinæ fuerint, apud idoneos auctores non reperi; niſi forte ſtatuendum eſt, eaſdem cum *Muſculo* Romanorum fuiſſe, quem J. Cæſar in Com-

men

mentariis ſuis accuratè deſcribit. *Trebucchetta*, vulgò Trybock/ machina bellica, & ad proruendos muros facta, inventa fuit ab *Ottone* Imperatore, uti Nauclerus Generat. XLI. teſtatur, & in veteri fragmento Hiſtorico incerti Auctoris his verbis ſcribitur: *Anno Domini CIↃ CCXII. Otto Imperator ab Apulia & Italia reverſus obſedit oppidum Witzenſe: quod ſimiliter expugnavit usque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi uſus inſtrumenti bellici, quod vulgò* Trybock *appellari ſolet.* Sed & alias in Chronico Leodicenſi ad An. CIↃ CCXIII. machinas invenio, quæ *Fuſtibula*, *Sues*, *Vineæ*, *Biblia* dicuntur: verùm quum hæ cum *Manganis* convenerint, aut parùm diſcrepaverint, à nobis ſilentio transmittentur. Id tantum ex Ligurino adjiciendum, non ſolùm ſaxa machinis illis vibrata, ſed & incendia in turres ſparſa, igneasque projectas pilas, quas idem Poeta *inextinctas vivaci ſulphure flammas* appellat.

XIX. Neque tamen poſteriores *Germani*, quum ad Romanorum morem operibus & machinis quaterent mœnia, urbes coronâ præcingere negligebant: ſed ſæpius tam laborioſo ambitu inſtituebant obſidionem, ut caſtris inſtar urbium extructis, muros hoſtiles circumvallarent, & perpetuâ militum ſerie, ab omni parte clauderent. Id *gyrare urbem* vocabant, ut Radevicus de obſeſſo per *Fridericum I.* Mediolanô loquitur. Ex eodem auctore conſtat, quo ordine, quove modo miles impetum inſultumque in mœnia facere ſolitus ſit: nam ubi de obſidione Cremonenſi lib. II. cap. LIX. agit, *Imperator*, inquit, *cernens oppidanos neque ſe ipſos miſereri, neque civitati parcere velle, generalem aggreſſionem fieri ſtatuit. Electos ergo de ſingulis agminibus viris fortiſſimis, intra machinas turrium eos collocat, variis quidem locis, alios ſuperiores, alios inferiores, ut dum inferiores civitatem per murum ingreſſuri pontes applicarent, ſuperiores eos jaculis & ſagittis, quo minùs ab hoſtibus læderentur, defenderent. Erant turres ipſæ nimia proceritate mirabiles, ſupra C. pedes, in altum erectæ, multorum hominum per ſingula diverſoria capaces. Reliquum exercitum circa muri ambitum diſtribuit, præcipiens, quando pontes admoveri cepiſſent, ipſi quoque ſinguli contra quem ſtarent locum aggredi, murumq; vel tranſcendere vel irrumpere conarentur.* Ubiquæ de *Turribus* dicit, eleganter explicantur à Ligurino, qui machinas illas mobiles, rotisque impoſitas, lib. X deſcribit: ſed uberior earum deſcriptio, quum ad Romanarum turrium ſimilitudinem acceſſerint, ex Vegetii libro IV. petenda eſt. Cæterùm reliqui, qui turrium præſidiô nudati, impetum in mœnia inferebant, *clypeis cratibusque catervatim operti* iverunt; quod de *Arnulphi* militibus urbem invadentibus Liutprandus

Hiſt. lib. 1. cap. VIII. prodit. Qui pugnandi mos à *Romanis* acceptus, apud quos connexio ſcutorum & ſeries nomine *Teſtudinis* inclaruit: de qua Livius lib. LIV. *Scutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis, & quartis poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatam ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant.* Et hæc obſidentium arma, hic oppugnandi modus erat. In ipſa urbe nihil ab obſeſſis intermittebatur, quo vel hoſtium eluderentur machinæ, vel aggredientium impetus copiæque ſubmoverentur. Ac machinas quidem bellicas, *igniſo ferri pondere, & adunco attentabant*; quod in obſidione Cremonenſi Radevicus lib. II. annotavit. In ipſos viros vaſa lapidibus plena devolvebant: aut *cuppas cum pice & adipe accenſas*, ut Turonenſis lib. VI. c. XXXVII. loquitur, in irruentes projiciebant.

XX. Partâ victoriâ antiquiſſimi *Germani* prædam potiſſimùm ſectabantur: captivos primarios ad aras e viridi cæſpite conſtructas, *Marti* & *Mercurio* mactabant; inde feſtis epulis, læto cantu, vagis tripudiis diem noctemque proximam tranſigebant: veluti prolixiùs ex Tacito aliisque Ph. Cluverius, vir nunquam ſine laude dicendus, demonſtravit. Nec poſteros *Francos*, quum nondum Chriſtiana ſacra amplexi eſſent, abhorruiſſe à dira iſta conſuetudine video; dum, teſte Trithemio, inter feſtos applauſus, *Jovi* maſculos, *Veneri* fœmellas ſacrando, omnes pariter occidioni dederunt. Sed mitiores poſtea pœnas manſuetudo Chriſtiana Germanis commendavit: qui quantâ pervicaciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ adversùs ſupplices utebantur. Unde ſæpè laudabilem illam Principum vocem lego, *ferirent equos, hominibus parcerent*; nondum veſanâ iſta opinione introductâ, fortitudinem militis, aut gloriam Imperatoris in multa ſanguinis humani effuſione, ac ingenti mortalium clade conſiſtere; multò minùs belli jus inter Chriſtianos appellari poſſe, ſi poſt multarum urbium funera, ac diri fati exempla, quæ ætas noſtra videt, nemo eas captas credat, niſi conceſſo velut barbaræ feritatis jure, ſexus omnis, omnis ætas infanda patiatur. niſi ſtupris cædes, cædibus incendia miſceantur. At *Alaricus* Gothorum Rex, quum ex ipſa *Scythia* barbarie veniſſet, captæ Româ capitis pœnam interminatus eſt, ſi quis hominem cæderet, & ſanguine humano ſuum adſpergeret triumphum, aut templorum religionem violaret: in quo facinore celebrando maximum illud Chriſtiani nominis lumen, & ſanctioris ſapientiæ decus deſudavit, dignumque habuit, unde Dei civitatem auſpicaretur. Sic *Karolus M.* quum *Saxones* longæ rebellionis reos

os, diutino tandem bello fregiſſet. præter injuriæ licentiam, victis nihil eripuit, ſed cunctos in jura ac leges civitatis Francicæ adſcivit. Diverſæ autem conditiones, dum vitæ parcitur, victis imponi ſolebant; quæ plùs infamiæ, quàm ſupplicii habebant. Inter pacis conditiones quas *Cremonenſibus* divictis injunxit *Fridericus I.* iſtas fuiſſe Radevicus lib. II. cap. LXII. refert: *Civitatem dederent; ipſi vitâ ſibi indultâ cum conjugibus & liberis exirent: de rebus ſuis, quantum quisq; ſemel humeris efferre poſſet, ſecum exportarent.* Idem *Fridericus*, quum primùm Mediolanenſes ad deditionem coegiſſet, ſupplicibus imperavit, ut *abjecta veſte, pedibus nudis, exertos ſuper cervice gladios ferentes*, à victoribus exciperentur: inde quum ſecunda vice rebellaſſent, *res eorum direptioni, perſonas ſervituti adjudicavit.* Sed *Pipinus* Rex Francorum fuſos *Saxones*, & veniam precantes, in has conditiones ſuſcepit, *ut ſingulis annis equos trecentos darent*; ut Annales Rer. Geſtar. à Pipino ad An. 758. habent. Graviſſima illa & maxima ducebatur pœna, ſi projectis in exilium perpetuum civibus, & infamiâ notatis, urbs ſolo æquaretur; quod ſupplicium tandem Medio lanenſibus à *Friderico I.* inflictum accepimus. Et ſimile ferè exemplum recenſet Conradus Epiſcopus in Chronico Moguntino, ubi in cives ſeditioſos, qui Arnoldum Epiſcopum interfecerant, illa ſententia à victore lata eſt: *Ab Imperatore proſcripti perpetuo exilio ſunt damnati: ipſa civitas omnibus juribus ac libertatibus, ac privilegiis perpetuo eſt privata. Murus & foſſatum, & alia turrium munitiones ſententialiter condemnata, & deſtructa funditus & everſa, ita ut civitas ipſa deinceps lupis & canibus, furibus & latronibus pateat per via, nec unquam re adificandi habeat facultatem: inſuper & plebs ipſa perpetua infamiæ ſubjaceat.*

XXI Nec minor in ſupplices clementia, quàm ad exornandos milites, qui fortiter ſe geſſerant, munificentia fuit: hos enim non ſolùm ampliſſimis verbis collaudabat Imperator, ſed maximis honoribus evehebat, tum agris, ditionibus, auro, aliisque rebus mactabat. Magnifica illa, & pene ſeculis noſtris invidenda eſt gloria, quâ *Karolus M.* milites ſuos, Francos & Germanos, ſubactis Saxonibus, frui voluit: cujus illa apud Goldaſtum extat Conſtitutio ſancita padrabunni A. DCCLXXVII. *Ite milites mei: vos Heroes vocabimini, ſocii Regum, Judices criminum. Vivite poſthac laboris expertes, conſulite Regibus publico nomine, favete Orphanis, juvate pupillos, conſilio circumdate Principes: ab his victum, & veſtitum, & ſtipendium petite: ſi quis negaverit, inglorius infamisque eſto. Si quis injuriam vobis intulerit, reum ſe majeſtatis agnoſcat. Vos autem cavete, ne tantum decus, tantum-*

que privilegium, juſto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut ſcurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis, ne, quod largimur vobis, ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis ſumendam, ſi forte exceſſeritis, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Regibus perpetuò reſervamus &c. Similiter apud Radevicum *Fridericus Barbaroſſa* milites prælio defunctos pro concione laudat, militiæſocios vocat, ſingulos, qui in periculis patraverant fortia facinora, nomine appellat: & ut Ligurinus lib x. canit:

Munificaque manu meritis benè munera magna
Erogat, argenti multùm largitur & auri,
Crateras, pelves, diſcos, paterasque capaces,
Addit equos celeres, galeas, thoracas & enſes,
Textaque multimodis operosè picta figuris
Atq; figuratam latè ſe fundere monetam,
Diſtribuitque ſuis regale numiſma maniplis.

Quibus qvidem virtutum incitamentis fortitudo bellica per eam tempeſtatem viguit, & juventutem Germanicam ad res præclaras inflammavit: ignotis adhuc pravis illis artibus, quibus hodie nequiſſimi & ignaviſſimi homines ad honores graſſantur, & virtus ſuis deſpoliata præmiis languet, ac ſpreta contabeſcit. Nunc magna pars in bellum ruit, dum aut domô exacta, flagitium & ſcelus armis tueri geſtit, aut ſpoliis ſtipendiisque avaritiam exſatiare cupit: at priſcâ illa tempeſtate non prædæ cupido, non animus conſcientiâ vaſtatus, non ſtipendiorum dulcedo, ſed libertatis patriæ amor, ſed promptum in Dominum obſequium, ſed pulcherrima gloriæ ambitio fortiſſimos viros armabat. Quare non ſine cauſâ ſibi gratulatur *Fridericus I.* apud Ligurinum, dum de Germanis ſuis ait:

alii venalia caſtra,
Et mendicatas certâ mercede cohortes
Alliciunt: ego gratuitis ultroque paratis
Fidens auxiliis, ad magna negotia rerum
Tutus eo, fidas ducens in bella catervas.

XXII. Verùm ſicut clariſſimis honoribus afficiebantur illi, quos virtus bellô præclaros & egregios commendaverat; ita gravibus pœnis mulctabantur, quos aut ignavia contemptusque à bello averterat, aut metus fugitivum ex caſtris diſpulerat. Nam primùm cuncti apud *Francos* & *Germanos*, qui ad bellum evocati, juſto die & loco haud acceſſerant, ſexaginta ſolidis mulctabantur; quam pœnam *Herebannum*, ſi-

ve

ve *Aribannum* dixêre. Leges Francicæ lib. IV. cap. LXXI. ſive Capitul. Karoli lib. II. cap. LXVII. *Quicunque liber homo in hoſtem baniitus fuerit, & venire contempſerit, plenum heribannum, id eſt, ſol. LX perſolvat. Aut ſi non habuerit, unde illam ſummam perſolvat, ſemetipſum pro Wadio in ſervitio Principis tradat, donec per tempora ipſe bannus ab eo fiat perſolutus: & tunc iterum ad ſtatum ſuæ libertatis revertatur.* Sed de eo, qui *Regales honores habebat*, ſtatutum eſt Legib. prædictis lib. III. cap. LXIII. ut *quot diebus poſt placitum conditum veniſſe comprobatus fuerit, tot diebus abſtineat à carne & vino.* At qui imperatori Romam proficiscenti haud aderant, poſtquam acciti eſſent, ipſis feudis privabantur: quod pœta Ligurinus ſæpiùs nobis citatus, libro II. bellè deſcripſit. Graviorem pœnam *Longobardi* irrogabant, in quorum legibus lib. III. Tit. XIII. Imperator *Lotharius* ſic ſancit: *Quicunque liber homo à Comite ſuo fuerit ammonitus, aut miniſtris ejus, ad patriam defendendam, & ire neglexerit, & exercitus ſupervenerit ad iſtius Regni vaſtationem, vel ad contrarietatem fidelium noſtrorum, capitali ſubjaceat ſententiæ.* Mitiùs tamen in iiſdem Legibus ſtatuitur ab Imp. *Guidone*, qui hominem liberum, ſi juſſus in exercitum haud veniret, *tertia parte ex ſuis mobilibus mulctandum, ſervum autem* LX. *ictibus* percutiendum ſancivit.

XXIII. At gravior iis ſemper pœna illata eſt, qui in prælio ſcutum amiſerant, aut turpi fugâ exercitum deſeruerant: nam vetuſtiſſimis temporibus non ſolùm eis concilia interdicebantur, verùm etiam ſacris publicis arcebantur: ut qui milites eſſe noluiſſent, ne cives quidem liceret eſſe eis, & qui non profuiſſent patriæ, eorum quoque patria nulla eſſet. Inde Tacitus de morib. Germ. *Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium: nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas: multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finiverunt.* Nec mitiorem pœnam poſteri *Franci* atque *Alamanni* impoſuêre fugitivo, quum is aut diſcrimen capitis incurreret, aut perpetuâ ignominiâ pollutus infamem contemtamque vitam agitaret. Lex Francica lib. IV. cap. LXXIII. quæ in Conſtitutionibus *Conradi I.* Franci Imp. repetitur: *Quicunque abſque licentia vel permiſſione Principis de hoſte reverſus fuerit, quo factum Franci & Alamanni* Heriſchlitz *dicunt; volumus ut antiqua conſtitutio, id eſt, capitalis ſententia ergà illum puniendum cuſtodiatur.* Vel ut alia editio habet: *Qui Eriliz fecerit, ipſe ut reus majeſtatis, vitæ periculum incurrat, & res ejus fiſco ſocientur.* Sic Capit. lib. VI. cap. CCLIII. conſtituitur, ut *Omnis qui de exercitu fugit, teſtimonio dignitatis ſuæ ſit irrevocabiliter carens:* & ut paullo poſt dicitur, *teſtificandi vel accuſandi nullam habeat licentiam.* Planè Romanorum veterum more, qui quum

omnia ſibi per armorum potentiam arrogarent, ſi per ignominiam dimiſſi eſſent, neque munia obibant civilia, neque in numero hominum cenſebantur, neque neceſſitudinibus perfruebantur. Sed & *Longobardi* periculum capitis intendebant fugientibus, aut malâ fide pugnantibus; ut ex Legib. eorum lib. I tit. I. §. VII. patet: *Si quis contra inimicos pugnando, collegam ſuum dimiſerit, aut Aſtalium fecerit, id eſt, ſi eum deceperit, & cum eo non laboraverit, animæ ſuæ incurrat periculum.* Quæ pœna in Deſertores renovata eſt à *Conrado I.* Imperatore, cujus illa conſtitutio ad A. 915. exſtat; *Quicunq; absq; permiſſione Principis de exercitu aufugerit, quod factum Franci periſchliz dicunt, aut caſtra deſeruerit, aut clamores fecerit, ut ad terrorem alii fugerent, aut ſtationem & vigiliam ſuam non habuerit, jubemus ut capitalis ſententia in eum ſine venia detur.*

XXIV. Sic hoſtibus ſubjugatis, patriâ defensâ, milite locupletato ab armis recedebatur; quod *Scaſtlegum* appellabant. Capitulare Kar. & Lud. Addit. lib IV. tit. LXXXII. *Poſtquam Comes & Pagenſes de qualicunque expeditioni hoſtili reverſi fuerint, ex eo die, ſupra XL noctes ſit bannus reciſus, quod linguâ Theotiſcâ Schaſtlegi, id eſt, armorum depoſitio vocatur* Quanquam rara genti bellicoſæ ab armis quies, quum veteri animorum fortitudine ſummum decus in armis poneret, vitamque omnem, nil niſi militiam putaret. Et quamvis tardè ac cunctantibus conſiliis in juſta bella, grandesque tumultus exarderent, incenſos tamen, & excitos longa tempeſtas, viris digna exercebat. Huc accedebat ingens belli materia, quam diſcordia inteſtina, vetus malum, & noſtris ſemper rebus grave, quotidie ferocibus animis præbebat. Sed & regio viris abundans, ſibi gravis, exonerare in bello multitudinem geſtiebat: unde facillimè breviſſimô temporis intervallô trecenta hominum millia ad bellum mittebantur; ut nec ſupra fidem, nec rei veritatem videri debeat, quod Hiſtorici noſtri memoriæ prodidêre, *Unum Fuldenſem Abbatem Cæſari ſexaginta millia bellatorum in hoſtem præbuiſſe.* Atque hoc armorum perpetuo exercitiô, hoc bellorum amore, quum ſe fortiſſimos vellent, robuſtiſſimos agnoſcerent, peritiſſimos efficerent, facilè obtinuerunt, ut fortitudine ac robore omnes orbis terrarum nationes anteirent. Nam *nullos armis ante Germanos eſſe*, ut olim gentis noſtræ legati dicebant. tam æquo animo humanæ ſemper gentes paſſæ ſunt, quàm eorum imperium tulêre. Nec falſus aut vanus fuit *Rudolphus I.* Auſtriacus, quando referente M. Albertô ex ipſo ævo, *jactare & dicere ſolebat: Si in qualibet Mundi parte, cum electis quatuor*

tuor galeatorum & quadraginta peditum armatorum de Alemannia millibus, ſtare invictum: exiſtimans, hos omnem multitudinem aggreſſuros. ut minùs mirandum ſit, quod Hiſtoriarum annales tradunt, *triginta millia Italorum à quingentis Moguntinorum & octingentis Cæſareanorum cæſos eſſe*; quod facinus Juſtus Lipſius omnibus *Romanorum* triumphis anteponendum cenſet. Neque heic mihi tantum animi, aut otii ſupereſſe video, ut invictæ gentis Martium robur anguſtâ oratione ſtringam; ut recenſeam, *Romam* illam inclytam, orbis dominam, gentiumque deam, *Germanorum* armis faſtigio rerum humanarum detractam, concuſſum *Capitolii* culmen, *Rheno Tiberim* famulantem, victrices illas Aquilas, gentis *Juliæ* ſacraria, nomen atque reliquias fortunæ *Romanæ*, in *Germanicam* gentem translatas; denique Orbem totum, quâ vi, quâ metu ſubactum, aut in veneration nem compoſitum, poſtquam primùm ad *Saxones* virtus invicta regnum tranſtuliſſent, & inde ſub beatiſſimo *Auſtriacorum* imperio requieſcere juſſiſſet.

XXV. Sed hæc dicentem, ſubit admiratio, cum hodie, quum olim orbis ſpolia victoribus *Romanis* detraxerint *Germani*, *& Italiam, Galliam, Hungariam, Poloniam, Daniam* armis ſubegerint, victrix illa natio vix ſuos tueatur fines, & invaſioni exterorum ac injuriis obnoxia jaceat? Majores noſtri, homines ſanctiſſimi & fortiſſimi, adeò etiam ferventibus bellis ſecuri agitaverunt, ut nullo ſepti muro, viculis, iisque ſparſis contenti, non vallo aut foſsâ, aut fluvio, aut monte, ſed formidine hoſtes arcerent. At nos circumfuſi & muniti validiſſimis arcibus, & operibus machinisque ac telis circumvallati, injurias hoſtiles, & opprobri gentis noſtræ ſegnes timidique ferimus; quumve olim Parentes noſtri libertatis nomen omni vitâ dulcius chariuſque putarent, nos illud ignavo animo conculcari patimur. Nec tamen virtus bellica nobis deeſt, non à fortitudine Parentum receſſimus; non vulnera & cladem metuere didicimus. Detur enim hoc æterno gentis noſtræ honori, nullum eſſe populum, qui bellum tantâ animorum confidentiâ aggrediatur, tantâ peritia admiſtret, tantâ conſtantia perducat; plane ut in noſtris militibus hodie ipſe belli uſus & experientia comprobet, quod *Marius* quondam de ſe & milite ſuo jactavit: *Eos ego tos eſſe hoſtem ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpem famam, hyemem & æſtatem juxta pati, humi requieſcere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare*. Scilicet ſola diſcordia eſt, quæ noſtris temporibus ſolito atrocior, nos furialibus inter nos factionibus collidit, hoſtiumque invaſioni ac ludibriis opportunos reddit: quâ agitati

in

in viſcera noſtra pereundi libidine ruimus, & à nobis ſuperati, hoſtium-que oblectamento cadentes, regionem illam noſtram, quæ par toti *Europæ* eſſe poterat, enervare ac lacerare amamus. Uſque adeò dirum illud nobis incumbit fatum, quod Romanus Scriptor in libello de morib. Germ. Majoribus noſtris imprecatus eſt; *Maneat quæſo duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui; quando urgentibus Imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quàm hoſtium diſcordiam.* Sed nos cum bonis potiùs omnibus votisque finiamus, & quod olim *Fridericus Barbaroſſa* Imperator *Saladino* Præſidi Saracenorum ſcripſit, pro gentis noſtræ gloria & magnitudine ſemper aſſeramus: *Norunt hæc reges, & tu quidem in ipſa rerum experientia intelliges, quid noſtræ victrices Aquilæ, quid cohortes diverſarum nationum, quid furor Teutonicus, etiam in pace arma capeſſens, quid caput indomitum Regni, quid Juventus, quæ nunquam fugam novit quid procerus Bavarus, quid Svavus aſtutus, quid Francia circumſpecta, quid Albania, quid Cimbria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Thuringia, quid Weſtphalia, quid agilis Brabantia, quid neſcia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Friſonia in armento prævolans, quid Boemia ſuis ferio ferior, quid Auſtria, quid partes Illyricæ, quid Lombardia, denique quid dextera noſtra poſſit.*

DISSERTATIO HISTORICA QVAINTA, DE NVPTIIS VETERUM GERMANORUM

BREVIARIVM.

§. I. *Sanctiſſima & caſtiſſima Germanorum veterum conjugia* §. II. *Quæ uxores ducere licuerit, quive gradus prohibiti fuerint.* §. III. *Quæ legitima nubentium ætas.* §. IV. *Legibus etiam & pœnis imperatum, ut quiſq; ſuæ ſortis ordiniſq; uxorem duceret. Legitimæ nuptiæ per conſenſum Parentum. Pœna eorum, qui uxores raperent.* §. V. *Virtus potiſſimùm, & facinorum bellicorum gloria in ambiendo ſpectata.* § VI. *Quæ Dotis ratio.* §. VII. *Quid Morgengabia, Faderfium, Meta.* §. VIII. *Quo modo, quibusve ritibus Sponſalia celebrata & de annulo conjugali.* §. IX. *Cur & quando benedictio Sacerdotalis inſtituta.* §. X. *Orna-*

Ornatus ſponſæ & pompa nuptialis, §. XI. Feſtum & convivium nuptiale. §. XII Deductio Sponſæ ad thalamum. Quid ſit marcheta mulieris in priſcis legibus. §. XIII. Quantus amor uxorum erga maritos, quantum obſequium, quæ maritorum fides. §. XIV. XV. Laus pudicitiæ fœmineæ inter Germanos. §. XVI. XVII. Variæ graveſq; pœnæ in adulteros, & ſcortatores. §. XVIII. De laudabili liberorum educatione.

NEque inſtitutum ullum Naturæ aut præſtantius eſt, aut magis neceſſarium, quàm Conjugium; neque ullius populi conjugium eſt, quod cum matrimonio veterum *Germanorum*, aut ſanctimoniâ, aut caſtitate, aut amoris puriſſimi bonis exemplis contendat. Nam ſi inevitabili Naturæ lege factum fuit, ut omnia orta occiderent, aucta ſeneſcerent, & nihil infrà Lunam, præter animas hominum, divino munere conceſſas, immortale foret; dubitare de conjugii præſtantia ac neceſſitate nemo poteſt, quum hoc Fatorum furorem & imperium eludat, leges miſeræ mortalitatis mitiget, fragilitatem noſtram reſtituat, & fœcundâ generatione, novaque ſobole labentem ac præcipitem hominum ætatem reparet. Ut non ſine cauſâ *Mercurius Triſmegiſtus*, vir Sapientiſſimus, matrimonium rem maximè divinam appellet, & in Pymandro ſuo fateatur: *Liberorum procreationem apud ſapientes præſtans ſtudium invita eſſe; in extrema verò omnium calamitate & impietate eos verſari, qui abſque liberis decedant.* De ſanctiſſimis autem priſcorum Germanorum matrimoniis, nec ego pro rei dignitate ſatis dicam, nec alii juſtas unquam laudes referent; reputantibus nobiſcum, quantâ ſanctimoniâ, quave animorum puritate celebratum conjugium, habitumque fuerit. Itaque quum *Numidæ*, *Perſæ*, *Scythæ* in vagos amplexus effuſi, innumeris ſe uxoribus alligarent; quum *Britanni* denas duodenasque fœminas inter ſe haberent communes; quum *Romani* Spurio Carvilio auctore divortia, lectíque genialis vicissitudinem inſtituerent; quum alii aut inceſtis matrum ſororumque inhærerent amplexibus, aut puerorum fœdis amoribus ſe ingurgitarent: ſoli *Germani* ſanctiùs ad Oceanum ſuum vivebant, ſoli ſingulis uxoribus contenti erant, & priſca Naturæ inſtituta ſanctiſſimis auſpiciis, ſeveriſſimâ continentiâ, invictiſſimâ animorum caſtimoniâ in conjugiis retinebant; eundemque matrimonii, ac vitæ finem ſtatuebant. Ad quod ipſum agendum, quum hac tempeſtate ex ſanctioribus præſcriptis multi mortales animum appulerint, ita intelligant, quum ipſi juſſibus & præceptis Chriſtianis boni facti ſint, *Germanos* Majores noſtros eam ſapientiam ex Dei Opt. Max. tacito pectore

hauſiſſe inde continentiam, inde illibatum illum amorem accipiſſe, ut nequeanimos perturbari ætate, neque cupiditate flecti paterentur. Utar hèic *Taciti*, ſummi Romanorum ſcriptoris teſtimoniô, quiGermanis in libello de moribus eorum, invidendam iſtam laudem tribuit: *Severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris, nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Ac paullò poſt: *Melius quidem adhuc ea civitates, in quibus tantùm virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam; ne ulla cogitatio ultrà, ne longior cupiditas: ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament.* Sed juvat & poſteriorum temporum inſpicere ſanctitatem, & ex priſcis repetere monumentis, quomodo Majores noſtri conjugium iniverint, quibus ritibus, quibusve legibus nuptias habuerint. Id enim memoriæ Parentum dandum eſt, ut quum ex ſanctiſſimo illo hominum connubio vitam ſpiritumque hauſerimus, eorum quoque continentiam, caſtitatem & amorem mutuum cognoſcamus, & ſimul admiremur.

II. Poſtquam Majores noſtri privis uxoribus contenti eſſe voluiſſent, quod fere ſoli ex barbaris gentibus, præter *Egyptios*, ex Dei rerum omnium conditoris præcepto, primis mortalibus impoſito, hauſerant retinuerantque; ea primùm in nuptiis ineundis cura fuit, quibus in gradibus matrimonia contrahere, quibusve minùs liceret. Nam quum magna *Græcorum* pars, eodem patre natas, uxores duceret, quumve *Perſa*, *Arabes*, *Britanni*, aliique matres, aut filias, aut ſorores ſecum miſcerent; Germanis nefas viſum fuit, temerare proximum ſanguinem inceſtis connubiis, earumque perſultare thalamos, in quibus & pudor, & ſtirpis neceſſitudo cultum noſtrum, & reverentiam repoſuiſſet. Id non tam ex Legibus Romanis, quæ præclaræ & ſalutares ſuper hac re conſcriptæ ſunt, quàm ex Dei ipſius voluntate acceperunt; ſive quum ille principes homines ſuis componeret præceptis, ſive quum poſtea *Hebræorum* genti leges ſuper nuptiis illicitis præſcriberet. At vetuſtiſſimos *Germanos*, non ſolùm à *Perſarum Græcorumq;* abominando more abhorruiſſe, ſed nec fratrum quoque filias in matrimonio habuiſſe, ſummus Geographus *Ph. Cluverius* eruditâ conjectura aſſeruit; verùm manifeſta magis, & luculentior poſteriorum temporum ſanctitas ex ipſis gentis legibus eluceſcit. Ac primùm quidem, quas *Longobardi* uxores ducere non licuerit, Rex Rotharis in Legg. Longobard. lib. II. tit. VIII. *De prohibitis*

nuptiis

nuptiis Leg. 1. ſic edicit: *Nulli liceat novercam ſuam, id eſt, matrinam, quæ fuit uxor patris; neque privignam, id eſt, filiaſtram; neque cognatam, quæ fuit uxor fratris, ducere uxorem; & ſi ea conſenſerit, vir qui eam duxerit uxorem, componat pro culpa in curte Regis ſolid. C. & mox ſeparetur ab ea diſtrictus à Rege.* At *Alamanni* latiùs illicitos in matrimonio gradus extendunt, dum filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, & uxoris ſororem viro interdicunt, neque filios fratrum, filiosque ſororum inter ſe jungi volunt. Lex Alamannica Tit. XL. §. 1. *Nuptias prohibemus inceſtas; itaque uxorem habere non liceat ſocrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, uxoris ſororem. Filii fratrum, filii ſororum, inter ſe nulla præſumtione jungantur. Si quis contrà hoc fecerit, à loci judicibus ſeparetur, & omnes facultates amittat, quas Fiſcus adquirat. Si minores perſonæ ſunt, quæ ſe illicita conjunctione polluerunt, careant libertate.* Idem *Bojoariis* placuit, qui legem hanc Alamannicam in Legibus ſuis repetierunt. Utramque poſtea *Henricus II.* Imperator in Legibus Francicis Tit. IV. *De illicitis nuptiis*, §. 1. confirmavit: ubi poſtquam ſumma religione, & veteres leges, & ſanctos Patrum canones in contrahendis matrimoniis obſervari juſſiſſet, hæreditatem omnem illi quoque adimendam ſancit, qui *propinqui ſui viduam & deſponſatam in uxorem ducat.* Hinc ſæpe matrimonia non ſolùm inter privatos diremta, ſed & inter ipſos Reges Principesque rupta, quæ adverſus leges coiverant; pœna etiam Eccleſiaſtica in Reges irrogata, ſi cognatos & conſanguineos thalamos illicito conjugiô intraſſent. Facit huc illud, quod Albertus Argentinenſis ad An. MCCCXLIX. indignabundus ſcribit: *Carolus IV. autem, quia fuerat viduus, tractaverat cum Rudolfo de Bavaria Palatino, qui Guntherum elegerat, de Sponſalibus cum filia Rudolfi Palatini, quæ unica fuerat filia ex matre de Carinthia, & duxit eam uxorem; quamvis ipſi duo Carolus & Rudolfus, quondam Rudolfi Regis pronepotes fuerant, ipſeque Rudolphus, & quondam uxor ejus mater ſponſæ, ſimiliter fuerunt ejuſdem Rudolfi Regis pronepotes, SUPER QUO NUNQUAM DICITUR FUISSE DISPENSATUM: mater que ſponſa & ſponſus ſimiliter liberi duarum ſororum fuêre.*

III. Magnum ſemper certamen inter priſcos latores legum fuit, quo ætatis anno Mas & Fœmina ad lectum genialem admittendi forent; quum alii decimum quartum annum mulieri, viro decimum octavum tribuerent; alii puellam nubentem ad annos decem & octo, adoleſcentem ad triginta ſeptem reſtringerent; *Plato* etiam, vir divinus, in Legibus ſuis juberet, ut omnino nudos mares, nudas quoque uſque ad pubem fœminas, præſentibus oculis inſpiceret Judex, & de ætatis corporisque

risque ratione decerneret. Sed *Germanis* antiquissimis placuit, ut post vicesimum demum ætatis annum virgo atque mas connubio jungerentur; quòd eam ætatem maximè opportunam justamque putarent, quâ nec Conjuges præmatura Venere frangerent solverentque corpus, nec annis multis desolati, invalidas elumbesque vires ad maritale opus afferrent. Qua de re Julius Cæsar lib. VI. de bel. Gal. dum de Germanorum moribus agit: *Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem, hoc ali staturam, ali hoc vires, nervosque confirmari putant. Intra annum verò vicesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* In eandem sententiam Tacitus libro de morib. Germ. *Sera Juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur: eadem juventa, similis proceritas; pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.* Igitur ante annum vicesimum ætatis, flagitiosum ac turpe fuit, castitatis notam amisisse; quæ animorum divinitas muliebri sexui à pudore, maritandi, & maturioribus annis adstringerent, quàm ut innatam animorum, *Alamannorum Longobardorum* erat, quum legibus definirent ætatem nubendi, & maturioribus annis adstringerent, quàm ut innatam animorum castitatem roburque corporis diutissimè custodirent; deinde *ut valide ex adultis nascerentur*; veluti *Lycurgus* interroganti causam, cur serum nuptiarum tempus statuisset, prudenter apud Plutarchum respondet. Exstat Lex Liutprandi Regis de Ao. regni ejus XX. in Legg. Longob. Tit. C. §. I. quâ matrimonium *Infantis* rescindendum præcipit; *Quia etiam*, ut inquit, *jam matura ætatis fœmina copulabant sibi PUERULOS PARVULOS ET INFRA ÆTATEM LEGITIMAM, & dicebant. Quod vir ejus legitimus esse deberet, quod autem adhuc secum ipsa misceri minime valeret. Nunc itaque providemus, ut nulla fœmina hoc facere præsumat.* Ubi *Puerulus* & *Parvulus* est, qui nondum *ætatem legitimam*, id est, XVIII. annos attigit: sicut lex altera illa ejusdem Reg s Tit. LXXII. §. I. explicat: *Si infans ante X. & VIII. annos, quos nos instituimus, ut sit legitima ætas, sponsalia facere voluerit.* At mulierem Longobardi, quum in Italia paullatim moribus Romanis insuescerent, duodecimò anno habilem maturamque viro judicarunt, ut in Legg. Longob. lib II. Tit. VIII. leg. II. traditur. Religiosi magis, & pertinaces circà veterem Germanorum morem *Saxones*, qui post vigesimum annum ad nuptias demum sese applicare solebant: fortasse quòd post *vigesimum unum annum homo discretionis attingeret annos*. ut Auctor Speculi Saxon lib. I. Art. XLII. loquitur. Neque alia *Francorum* atque *Alamannorum* consuetudo, qui in pubertate longa decus laudemque ponebant: qua re factum

factum est, ut & vires staturamque alerent, fortibusque ac duris corporibus priscam gentis suæ gloriam inter pericula & labores sustinerent. At nos incontinentissimi mortales longè à Majorum continentia secessimus, dum in prima plerumque ætate intempestivis prurimus amoribus; & adolescentulos vix à lacte materno depulsos, ad conjugii onus protrudimus. Inde corporum languor, spirituum torpor, & festinata in primis annis senectus; accisa quoque & defraudata posteritatis spes, dum languorem Parentum liberi referunt, debilesque ac mucosi, & parvi ab infirma matre cadunt. Usque adeò vera illa Aristotelis VIII. Polit. sententia est: *Quibus in civitatibus hoc in more positum est, ut adolescentes cum puellis conjungantur, & minùs absoluta sunt, & parva corpora natorum.*

IV. Igitur post, aut circà vigesimum ætatis annum nuptiæ agitabantur, quas non fortuita amicitia, non casus, non libido contrahebat, sed spectata inter suos virtus, sed Parentum consensus, sed ordinis dignitatisque ratio; quibus rebus nubendi potestas vincta & circumscripta stabat. Jamprimùm legibus & antiqua consuetudine cautum erat, *Ne quis extrà ordinem suum uxorem duceret:* quum & pollui dignitatem hominis ingenui, & turbari ordines civium existimarent, si plebeis aut servilibus connubiis familiæ miscerentur. Hinc severa illa Longobardorum lex tit. LXXXVIII. leg IX. & X. *Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit, sibi in conjugio sociare, anima suæ incurrat periculum. Et illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint.* Et distinctiùs de *Saxonibus* Adamus Bremensis: *Id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis, propriæ sortis terminos transferat: sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam: libertus conjungatur libertæ, & servus ancillæ. Si verò quispiam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat.* Regida admodum lex, sed utilissima, & moribus Germanicis aptissima, quæ nobilium familiarum splendorem conservat, confusionem ordinum in Republica avertit, amorem conjugalem, pari æqualique sorte incensum, perpetuâ flammâ alit. Verissimè *Dejanira* apud Nasonem.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam Juveni magno conjuge nupta minor.

Et mox.

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Nec alia de causa Majores nostri voluêre, ut graviores etiam solitò pœnæ impone-

imponerentur adulteris & ſcortatoribus, ſi aut fœmina libera oſcularetur ſervorum ſordes, & in plebe quæreret, quod armaret; aut ſervus in puellæ ingenue vel viduæ amplexibus jaceret. Lex *Theoderici* Gothorum Regis Tit. LXI. *Si quis (ſervus) verò etiam cum volente & adquieſcente vidua hoc crimen admiſerit, flammis ultricibus exuratur; illa quoque adulterii pœnâ damnanda, quæ non erubuit ſervili ſubjacere libidini.* Dixi, Parentum conſenſu poteſtatem nubendi circumſcriptam ſtetiſſe. Nec enim irritæ ſolùm & illegitimæ habebantur nuptiæ, ſi invitis aut inſciis Parentibus celebratæ eſſent, ſed pœnis quoque illa clandeſtina amandi licentia, exemplô non minùs ſalutari, quàm laudabili caſtigabatur. Sic Leges Francicæ in Capit. lib. VII. cap. CCCLVIII. *Decretum eſt, ut uxor viro legitimè jungatur; aliter enim legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, uxor petatur, & à Parentibus & propinquioribus deſponſetur.* Et Lex Salica Tit. LXX. §. I. *Si quis filiam alienam & conjugium quæſierit præſentibus ſuis & puella parentibus, & poſtea ſe retraxerit ——culpabilis judicetur.* Pariter, ſed magis ſevere Lex Longobardica Regis Liutprandi Tit. LXXXVIII. §. I. *Si puella ſine voluntate Parentum ad maritum ambulaverit, & ei meta nec promiſſa, nec data fuerit, & contigerit, ut maritus ipſe moriatur, antequam de ea mundium faciat, contenta ſit iſta mulier, nec poſſit poſtea wetam quærere ab hæredibus ejus, qui defunctus eſt, pro eo quod negligenter ſine voluntate Parentum ſuorum ad maritum ambulaverit, nec ſint, qui juſtitiam ejus exquirant.* Illis legibus ſubnixus Epiſcopus Burdigalenſis non dubitavit reſcindere conjugium, quod tam triginta per annos ſteterat: nam ut apud Turonenſem Hiſt. Franc. lib. IX. cap. XXXIII. ait, *Quia ſine conſilio Parentum eam conjugio copulaſti, non erit uxor tua.* Atque ut clandeſtinas nuptias divortiô, aut mulctâ pecuniariâ lex coercebat; ita grave ſupplicium raptori infligebat, ſive vi reluctantem puellam, ſive verborum blanditiis expugnatam abſtuliſſet. Sed præſertim *Gothi* diſcrimen capitis intendebant raptori, ut lex illa *Theoderici* Regis §. XVII. oſtendit: *Raptorem ingenuæ mulieris aut virginis, cum ſuis complicibus vel miniſtris, rebus probatis, juxta leges jubemus extingui, & ſi conſenſerit rapta raptori, pariter occidatur.* Quin eadem lege Parentes ac Curatores, ſi raptorem perſequi querelis, aut accuſare negligerent, in exilium projiciebantur: quod intereſſe ipſius Reipublicæ exiſtimarent, ne ejusmodi ſcelera languore aut avaritiâ Parentum impunita eſſent. Quam legem, quum *Alemanni, Bajoarii, Friſones* nummis rapinam æſtimarent vindicarentque, *Otto Magnus* renovavit in illa Conſtitutione, quam ad An. 967. promulgavit: *Vir*

qui

qui virginem rapuit, & eam ſibi poſtea matrimonio copulavit, etiamſi eſſent inſimul concordati raptor & filia, & matrimonialiter inſuper copulati, mandamus tamen, eum coram nobis aut juſtitiario noſtro adduci propter tantum nefas, & ibidem confeſſum decollari: quia matrimonia liberè & non per raptum virginum, nec violentiam fieri oportet.

V. Sed potiſſimùm in ambiendo ſpectabatur virtus, quam in iſta temporum ſanctitate ſolam, à viro puella exigebat; ignotâ adhuc ſeculi noſtri libidine, quâ auri veſanus amor & nuptias conciliat, & formam, cunctasq; animidotes nequiſſimo cuique affingit. Itaque qui caſto in virginem amore exarſerat, præclaris facinoribus domi militiæque ſe commendabat, detracta hoſtibus ſpolia, & pectus cicatricibus inſigne oſtentabat, ipſaque gloriæ pulcherrima ambitione contumaciam virginis expugnabat. Sæpe etiam Adoleſcens à Parentibus vel ipſa virgine jubebatur, deſcendere in ſingulare certamen, hoſtem ferire, aut ferocem belluam luctâ inſigni elidere, ut nomen victoris & exuvias hoſtiles ad Dominam afferret. Quod inprimis apud Septentrionales Germanos in more poſitum fuiſſe, auctor mihi eſt Joh. Loccenius Hiſt. Suecicæ lib. 1. cap. 1. ubi in vita *Heroti* regis ſcribit: *Mos in boreali gente tunc invaluerat, ut illuſtres Juvenes præſertim regii ſanguinis, non externo decore, turpive laſciviâ, aut ingenti vi pecuniæ, ſed dote animi, pulcro facinore ſpectata, ſibi regiarum & generoſarum Virginum nuptias conciliarent.* Igitur quum *Regnerus* Daniæ Rex filiam *Heroti*, Regis Suecorum ambiret, pater duas immanes belluas proco debellandas objecit; quas alii ingentes angues, alii ſevos urſos fuiſſe tradunt, ut idem Loccenius ex Johannis Magni Hiſtoria Sueonum recenſet. Sed uti illam virtutis laudem in proco ſuo exigebat puella, ita viciſſim adoleſcens ſpectabat, ut virgo vitæ integra, ſtirpe honeſta, moribus egregiis ornata eſſet. Vetuſtiſſimis etiam temporibus, ut Tacitus ſcribit, ea in ambiendo ratio habebatur, ut *eadem juventâ, ſimili proceritate, pares miſcerentur.* An quòd electam corporum ſpeciem requirebant, quia eadem æſtimabantur in liberis, ut Q. Curtius lib. IX. de *Indis* memorat? An quòd fortiſſimum amoris conjugalis vinculum putabant, ſi ætatis quoque æqualitas animos ſociaret? Non enim ſola generis fortunæque ſimilitudo flammas amantium nutrit, ſed ipſius formæ, ſed ætatis paritas magnam quoque vim in animis colligandis habet; fortiusq; in matrimonii leges coeunt, quos eadem juventutis cupido, idem deſiderium, eadem ætatis voluntas conſtrixêre. Sanè feliciſſimum illud &c.

pulcher-

pulcherrimum conjugum par erit, cui illud Titi Calphurnii in Eclogis acclamare licet:

Este pares, ob hoc concordes vivite; nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociavit, & ætas.

Æ ætatis quidem, juſtæque corporum valetudinis, adeò curioſi æſtimatores fuêre poſteri *Germani*, ut ſæpe nudas ſibi virgines ſiſti voluerint, ne morbis infeſtatas, aut vitio corporis, & latente labe corruptas ducerent. Itaq; quum *Henricus* Imperator filio ſuo *Johanni Lutzelburgico*, Elſam Wenceslai Regis Bohemi filiam deſpondiſſet, nudari eam, tractariq;, placuit tum quòd vergentis jam ætatis, pravæq; membrorum diſpoſitionis videretur; tum quòd virginitatem furtivo amplexu poluiſſe exiſtimaretur. Nec abhorruit ab ipſo conſilio puella, ſed, *Abſit*, inquit, *quod Dominus rex filium ſuum mihi deneget ex hac cauſa, quia virginitatem meam per aſpectum corporis comprobabo*; uti M. Albertus Argentinenſis in Chronico ſuo prodidit. Quam *Germanorum* in examinanda corporum ſpecie religioſam curam, quum Anglorum Rex intelligeret, petente per legatos *Henrico I.* Imperatore, ut *Ottoni* filio ſororem in matrimonium elocaret, duas ſorores in Germaniam miſit, ut æſtimata corporis formâ, quam vellet, ſponſam eligeret; veluti Hroſuitha, Virgo doctiſſima, de geſtis Oddonum, carmine haud inficeto ſcripſit.

VI. Poſt amantium voluntatem, & Parentum conſenſum SPONSALIA celebrabantur, quibus Parentes ac propinqui intererant, & de DOTE conſtituebant. De vetuſtiſſimis Germanis ſcribit Tacitus de morib. Germ. *Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert.* Quod mirari videtur Scriptor, quum à moribus *Romanorum* eſſet alienum, reddere uxori dotem: fortaſſe quòd cum Strabone lib. III. Geogr. putarent: *morem non quidem belluinum, ſed minùs civilem eſſe*, ſi dos mulieri communicaretur: *habet enim*, ut idem auctor loquitur, *fœmineum quoddam in viros imperium, quod non eſt admodùm civile.* Nec tamen propria hæc *Germanorum* conſuetudo; ſed *Hebræis Græcis, Gallis Cantabris*, aliisque communis, qui uxoribus amplam dotem afferebant. Eſt in Lege, *Hebræis* ab ipſo Deo data, Exod. XXII. XVI. *Dotabit eam, & habebit eam uxorem.* Sic Geneſ. XXXIV. XII. Sichemus Dinam poſtulans in matrimonium: *Augete*, inquit, *dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis.* Apud *Græcos* Solon eam in rem promulgavit legem, quia nolebat μισθοφόρον εἶναι τὸν γάμον & apud Homerum Odyſſ. VIII. *Vulcanus* dotem *Veneri* conſti-

conſtituit, & ab adultera repoſcit: quemadmodum & *Proſerpinam* à *Plutone* dotatam aſſerit Claudianus de Raptu lib. I.

quo dicta ferox Proſerpina curru.
Poſſedit dotale chaos.

Idem Cæſar de *Gallis*, & Strabo de *Cantabris* memorant, qui quantas pecunias ab uxoribus doris nomine acceperant, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicabant. Atque illa conſuetudo poſteris quoque temporibus apud *Germanos* recepta fuit, ut liquet ex pactione *Guntheramni* & *Childeberti* Regum, cujus Gregorius Turonenſis Hiſt. Franc. lib. IX. cap. XX. ita meminit: *De civitatibus verò, hoc eſt; Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gailesvindam Germanam domina Brunichildis, TAM IN DOTE, quàm in Morganegiba, hoc eſt matutinali dono, in Franciam venientem, certum eſt ADQUISISSE.* Sed jam ipſam dotem inſpiciamus, qualis ac quanta fuerit. Tacitus in libro de morib. Germ. *Munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur: ſed boves, & frenatum equum, & ſcutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur: atque invicem ipſa armorum aliquid viro offert.* Ad quæ verba Henricus Spelmannus, maximum Equeſtris ordinis decus, in Archæologo ſuo inquit: *Ejusmodi quidpiam apud Germanorum nepotes Hibernicos, ipſimet aliquando deprehendimus: Equum ſcilicet militarem cum framea inter jugalia munera ſolennius fuiſſe.* Sed & apud boreales Germaniæ populos inferiori ævo *Equus* munus Principum & virorum nobilium conjugale erat, ut ex illis Helmoldi verbis liquet; *Præmiſerat autem Dux munera multa & opima juxta morem terræ noſtræ, EQUOS pulcherrimos ſellatos & veſtitos.* Idem apud *Francos* obtinuiſſe, diſco ex Gregorii Turonenſis Hiſt. Franc. lib. VI. cap. XLV. ubi quum *Chilpericus* rex filiam elocâſſet Hiſpano, Legati Regis *Childeberti* popoſcerunt, *Ut nihil de civitatibus, quæ de regno Patris ſui tenebat, aut de theſauris ejus in aliquo filiam muneraret, ac non Mancipia, non EQUOS, non JUGA BOUM, neque aliqua hujuscemodi auderet contingere.* Etiam *arma* iis ſeculis Sponſæ donata eſſe invenio; quibus nonnulli *Cytharam* addebant. At quorſum illud donationis genus? Id eleganter explicat Tacitus dictô locô: *Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne ſe mulier extrà virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque, hoc junctі boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Cæterùm quum inferiori ævo apud plerasque Germaniæ gentes obtine-

ret, ut pro arbitrio & voluntate viri dos constitueretur, Gothi, Alamanni, Saxones, Longobardi legibus publicis determinandam eam definiendamque putârunt. Ita *Gothi*, ut apparet Wisegothor. lib. III. Tit. I. l. IV. *non amplius —— quàm decimam partem rerum mariti*, dotis nomine uxori conferendam decreverunt. *Alamanni* in Legibus suis Tit. LVI. §. I. sanxêre, *ut dos legitima* XL. *solid. constaret, aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in qualicunque re, quàm haberet ad dandum. Saxonibus* sive *Westphalis* placuit in Legibus suis Tit. VII. ut præter dotem, quam in nuptiis adepta est, *De eo, quod vir & mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat.* At *Longobardi* lib. II. Tit. IV. l. I voluêre, ut *Dos non esset amplius, nisi quarta pars de viri substantia, neque super ipsam quartam partem dare nullatenus posset.* Accuratiùs dotem definiunt *Ripuarii*, quorum ista Lex Tit. XXXIX. §. I. *Si quis mulierem desponsaverit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat. Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit,* XL. *solid. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re, quam simul conlaboraverant, sibi studeat evindicare.*

VII. Præter *Dotem* dabatur MORGENGEBA, sive MORGANIGIBA, cujus crebra in Legibus Ripuariis, Alamannicis, Burgundicis, Longobardicis mentio occurrit. Gregorius Turonensis interpretatur *Donum matutinale*, dum lib. IX. cap. XX. scribit: *Tam in Dote, quàm in Morganigiba, hoc est, matutinali dono.* Quæ verba satis indicant, diversam fuisse à Dote, & si utraque fieret à Sponso, vel Sponsi Parente: quod & Marculphus Monachus lib. II. form. XV. observat. Nimirum *Morganigiba* more Germanorum ultrà dotem donari solebat Sponsæ Virgini, quum matutino tempore, unde nomen adhæsit, è thalamo surgeret: veteres Juris Consulti Græcâ dictione *Parapherna* dixêre. Quanta autem, quæve fuerit apud Alamannos *Morgengeba*, docent illa legis verba Tit. LVII. §. III. *Si autem ipsa fœmina dixerit: Maritus meus dedit mihi Morgangheba, computat quantum valet in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in equo pecuniam* XII. *solid. volentem.* Sed apud Longobardos confunditur *Morgengaba* cum dote, & *quarta pars è substantiâ viri* constituitur. Invenio & aliud donationis nuptialis genus, quod METHIUM, *Mephium, Metam* antiquæ leges vocitant; cujus originem vocis Martinius venire censet à Saxonico meden / pro quo Germanorum alii miten vel mieden / hoc est *mercede conducere*, usurpant. Nec libenter cum *Morgengeba* confudero, quum expressè lex illa Longobardica lib. II. Tit. IV. l. III. diversam faciat:

Nulli

cap. XVIII. *Legato offerens Solidum & Denarium, ut mos Francorum, eam partibus Clodovæi desponsant.* Atque hæc *Arra* illa est, cujus religione conjugium ditissimæ puellæ urget Comes ille Burdigalensis, de quo Turonensis Hist. Franc. lib. IV. c XLI. *At ille regressus ad Regem, præceptionem ad judicem loci exhibuit, ut puellam hanc suo matrimonio sociaret, dicens: Quia dedi arram in desponsatione ejus. Negavit autem Vir ille dicens: Quia neque Te novi unde sis, neque aliquid de rebus tuis habeo,* Præbitâ arrâ inferebatur Sponsæ OSCULUM, quod religionis, officiorumq́, & humanitatis signum erat, ut Servius & Donatus explicant; nam *Basia* & *Suavia* inter titilantis lasciviæ libidinisq́ instrumenta prisci posuêre. Ac quanta osculi religio fueris, illud documento est, quod etiam *signò osculi publici subarraretur* sponsa, veluti Otto de S. Blasio in Append. c. LII. de Nuptiis inter *Ottonem* Cæsarem & *Philippi* filiam testatur. Adscribam ipsa verba, ut veteres nuptiarum ritus magis pateſcant: *Puella jam nubilis à Duce Leopaldo Orientali, & Ludevico Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce Leopaldo cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Ottoni, desponsatur, à quo amantissimè amplexata, PUBLICI SIGNO OSCULI, MUTUATIONEQUE ANNULORUM SUBARRATUR.* Ubi ait, *per manus Cardinalium, lege Francorum desponsatam* regiam virginem; quod tamen vetustioribus temporibus penes ipsos regios Parentes aut Propinquiores erat, ut Sponsam per manus desponsarent. De privatorum hominum conjugiis satis constat, *Per manus Parentum aut Amicorum traditam* fuisse Sponsam; qua de re legem hanc invenio apud Longobardes latam Tit. LXVI. §. II. *Et ipsa PER MANUM similimodo RETRADITUR, sicut priori marito à Parentibus TRADITA fuit: nam aliter SINE TRADITIONE, nullam rerum dicimus subsistere firmitatem.* Quibus autem verbis in manum convenerit uxor, diversæ formulæ circumferuntur; sed præstantissima & optima est, quam apud Boreales Germaniæ populos usurpatam accepimus. Salutabat Parens præsentem Sponsum, & in manus Sponsam tradens, *EGO SPONDEO TIBI*, inquiebat, *FILIAM MEAM IN HONOREM ET CONJUGEM, DIMIDIUMQUE TUORUM, AD SERAS ET CLAVES, AD COMMUNIONEM BONORUM EX LEGE, IN NOMINE PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI.* Dicit, se *Spondere filiam in honorem & conjugem.* Nec enim intempestivum earum nationum supercilium ferendum, quæ nimiùm generis sui memores, uxoribus crudeliter imperant, & veluti vilissima mancipia ad sordes & gemitus perpetuos nutriunt. Ignota ista *Germanis* sævitia est, qua alii

vir

viri aut dira ſuſpicione exagitati, ad longam captivitatem uxores damnant, aut moroſo vultu, triſtique gravitate oſcula ſua inter horrorem minasque vendunt. Perinde ac ſi ſervæ aut ancillæ nupſiſſet vir, cui triſti ſexus ſui privilegio incumberet, ut tremula & pavens maritum tanquam tyrannum edicta ſcribentem, aut piratam cum catenis in littore maris ſtantem extimeſceret. Pulcherrima olim Romanorum nubentium vox, *Ubi Tu Caju, ego Caja*; neque enim aliud ſpectaculum Diis hominibusque gratius eſt, quam ubi mulier obſequii gloriâ certet, maritus autem inſtar boni Principis lenitate, manſuetudine, moderatione, majeſtatem virilem tueatur. Addit, *Se deſponſare ad feras & claves*. Id à Romanis acceptum, quibus ſolemne fuiſſe ait Feſtus, *claves* uxori tradi: non tam ad ſignificandam partus facilitatem, ut multi putârunt, quàm ad denotandam omnium rerum communionem, quum clavibus abdita quæque reſerentur. Unde & claves in divortiis ſolitas adimi, Cicero in Philip. II. & Ambroſius Epiſt. LXVI. ad Syagrium referunt. Ultima verba ſunt, *Ad communionem bonorum ex lege*. Et id ex more *Romanorum*, apud quos vir & uxor divini humanique juris communicationem habere dicebantur; iiſdem una Domus, una ſocietas, omnia communia, ut Cicero lib. I. Off. ait. Inde Columella lib. XII. *Nihil conſpiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus aut fœmina proprium eſſe diceret, ſed in commune conſecrabatur Ab utroque, ut cum ſerenſibus negotiis matronalis ſedulitas induſtriæ rationem parem faceret*. Et hæc cauſa eſt, quam Plutarchus quoque libro de præceptis connubialibus refert, cur donationes inter virum & uxorem prohibitæ fuerint à Romanis, quòd omnia communia inter eos judicarent.

IX. Poſt peracta Sponſalia, qui factum fuerit, brevibus iſtis verbis docet Imperator in Capitular. lib. VII. cap. CCCLVIII. *A Paranymphis, ut conſuetudo docet, cuſtodita & ſociata, à proximis, tempore congruo petita, legibus detur, & ſolenniter accipiatur*. Ergò primùm Paranymphi Sponſam poſt Sponſalia cuſtodiebant, & Sponſa poſtea offerebant; conſuetudine à Romanis haud alienâ, apud quos pueri patrimi duo, Sexto Pompejo teſte, nubentem comitabantur, manuque deducebant, alius etiam facem procedenti præferebat. Sequitur, *A Proximis tempore congruo petita*. Quid *per tempus congruum* intelligat, haud iis erit obſcurum, qui ex priſcis obſervarunt monumentis, veteres Germanos *non temerè, ac è re nata, aut quolibet die* nupſiſſe, ſed ſuperſtitioſum dierum nuptialium delectum habuiſſe. Nec abnuam, hunc morem, ut alios plurimos, à *Romanis* fluxiſſe,

qui, juxtà Macrobium, nuptiis copulandis Calendas, Nonas, & Idus religioſas, id eſt, devitandas cenſuêre, totumque menſem Magum conjugiis infauſtum atque inauſpicatum exiſtimarunt. Additum poſtremò eſt, *Legibus detur, & ſolenniter accipiatur.* Apud Romanos antiquitùs nuptiæ non niſi captatis auguriis & auſpiciis ſumtis agebantur; & ne ad ſolennia quid deeſſet, ſacrificiis dii placabantur, far immolabatur, porca cædebatur, poſtes domus ornati lineis vittis, & oleo uncti ſtabant, ignis & aqua in limine collocabantur. Sed vetuſtiſſimis *Germanis* poſt tempora *Trajani* conſuetudo fuit, nemoribus & fontibus, Numinum loco habitis, victimas mactare, iisque ſuſpendere coronas & ſerta florum, ut conjugii auſpicia ſancta & felicia eſſe vellent. Inde quum Chriſtiana ſacra eſſent invecta, certa precationis formula in Sponſalibus recepta eſt, *ut Deus illorum auctor, arbiter, & conciliator agnoſceretur.* Poſtea placuit, ut uſitata in Sponſalibus precatio in diem nuptiarum differretur, ubi novis conjugibus Sacerdos benedictionem ſolennem impertiret, De quo Capitular. liber VII. cap. CCCLVIII. *Suo tempore SACERDOTALITER, UT MOS EST, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Priusquam verò Sacerdos votis illis nuptialibus defungeretur, ſancitum eſt, ut publica inſtantis conjugii denunciatio in Eccleſia ex roſtris publicis præmitteretur. Quod primum ad valvas templi fiebat, ut ex Legibus Saxonicis & Oſtro-Gothicis obſervavimus; ubi Presbytero injungitur, *ut ter conſecrationem Sponſorum ad valvas templi per tres dies Dominicos denunciet.* Atque id inſtitutum, ut à maximo JCto Fr. Hotmanno obſervatum eſt, non ab aliquo Papa manâſſe, ſed ex vetuſtiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ conſuetudine fluxiſſe, Pontifex ipſe Innocentius III. fatetur, in c. ult. ext. de clandeſt. deſp. ubi ſic loquitur: *Quare ſecundùm ſpecialem quorundam locorum conſuetudinem ſtatuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per presbyteros publicè proponantur, competenti terminopræfixo, ut intra illum terminum, qui voluerit, & voluerit, legitimum impedimentum opponat.* Ea promulgatio *bannum* Longobardico vocabulo vocatur, *in c. cum in tua 26. ext. de Sponſal.* & à veteri deſcendiſſe conſuetudine alibi dicitur. Porrò quanta vis, quæve ſanctitas Sacerdotalis benedictionis fuerit, oſtendit verbis hiſce Karolus M. lib. Franc. leg. I. cap. CLXIII. *Illa benedictio, quam nuptura ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur.*

X. Nunc ad novæ Nuptæ *Cultum, Veſtitum, Ornatumque* tranſire lubet, quæ partim à *Romanis* accepta, partim ab antiquiſſimis retenta *Celtis* fuêre

fuêre. Ac primùm, ut à vertice incipiam, *paſſis capillis & per humeros fluitantibus* eam inceſſiſſe ſolitam reperio; ſive quòd hæc virginitatis inſignia, hæc illibati pudoris ornamenta haberentur; ſeu quòd unicum aut præcipuum formæ decus eſſent capilli, quibus tanquam aureis retibus illigari corda amantium, & arctiſſimè devinciri, Poetæ finxerunt. Ita, ut licet illa cœlo dejecta, mari edita, omni Gratiarum chorô ſtipata, toto Cupidinum populo comitata, baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, Venus appareat, ſi calva proceſſerit, placere non poſſit, ne Vulcano quidem ſuo; veluti venuſtè Apulejus dicebat. A qua tamen conſuetudine abhorruiſſe vetuſtiſſimos *Teutonas* comperio, qui, teſte Plutarcho, caput in nuptiis abradebant, Sponſusq; ac ſponſa ſibi invicem capillos demebant. Cujus rei rationes varias multi attulêre; ſed juſtiſſima & veriſſima eſt, tonſos, raſosque capillos, ut abjicerent novi conjuges vanas cogitationes inanesque curas, quas ad expoliendam crinium formam, donum fragile & citô periturum, impenderent. Veriſſima illa & elegantiſſima Petronii querela eſt:

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidêre capilli,
Vernantesque comas triſtis abegit hyems:
Nunc umbrâ nudata ſuâ jam tempora marcent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura Deûm: quæ prima dediſti
Ætati noſtræ gaudia, prima rapis.

Sed ipſam comam *Corona* redimebat ambiebatque, juxta ritum Rómanorum, qui novam nuptam coronâ de floribus herbisque ornabant, ut Feſtus ait. Et Lucanus de nubente loquens

Turritaq; premens frontem matrona coronâ.
Translatâ vitat contingere limina plantâ.

Velatam quoque, & obductam flammeô Sponſam Germanicam fuiſſe, ſatis nòtum eſt, maximè Legum Francicarum teſtimoniô, ubi ſæpius *de conjugali velatione* præcepta ſanciuntur. Cauſam eandem puto, quam Tertullianus lib. de valand. virginib. attulit: obnubi vultum Sponſarum, verecundiæ causâ, dum & corpore & ſpiritu maſculo miſcentur per oſculum, primumque reſignare pudorem jubentur. Sed de reliquo veſtitu parùm compertum habeo; niſi quòd ex Abbate Urſperg. niſi conſtet, inceſſiſſe Sponſam, candidâ & dimiſſa ad talos togâ, quæ nec auro gemmisque ſplendida, nec eleganti ſortoris curâ elaborata, ſed ad rudem Majorum habitum præciſa, tenuique pretiô æſtimata, veterem

gentis

gentis frugalitatem & parſimoniam oſtentaret. Quæ quidem veſtis iſtô ſeculô ad nuptiarum ſolennia ſufficiebat, quum ignotâ adhuc luxuriâ modeſtia & frugalitas inter virtutes numerarentur; nunc ætatis noſtræ intemperantiâ factum eſt, ut ſæpe patrimonium integrum in veſtimento circumferat nova ſponſa, nec pulchras aut felices ſuas exiſtimet jugales tædas, niſi pretioſo veſtium ornàtu luxum omnem ſimul ſibi circumponat. Jam quis Sponſi fuerit ornatus, eleganter in Juvene regio Gothiço Sidonius deſcribit: ſed apud *Longobardos* aliosque Germaniæ populos præcipuus in eo notabatur ornatus, *quòd tonderetur*. Is mos potiſſimùm *Longobardis* ipſis debetur, qui & veteri inſtituto, eorum barbam crinemque ſuccedebant, quos hæredes ſibi facere decreverant. Sed & inſuper peculiare apud eos fuit, omnes univerſim ephebos primam barbam penes chariſſimos ſibi ſodales deponere, manſuræ in poſterum amicitiæ teſſeram irrefragabilem, veluti Paulus Diaconus de moribus Longob. ſcribit.

XI. Sed jam ipſas nuptiarum feſtivitates luſtremus, quæ poſt conſecrationem Sacerdotalem adhibitæ fuerunt. Primùm Sponſa à virginum caterva domum ducebatur, plurimis antiqua rudiaque carmina canentibus, quibus ignes amoresque veterum heroum, & illuſtrium fœminarum continebantur. Mox hoſpites, amicique muneribus votisque novos conjuges proſequebantur: quod & in regalibus nuptiis factitatum ſcribit Turonenſis lib. VI cap. XLV, ubi de nubente *Chilperici* filia ſic loquitur: *Franci verò multa munera obtulerunt: alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique veſtimenta, & unusquisquè ut potuit, donativum dedit.* In ipſa domo *Convivium* inſtruebatur, quod *geniale* cum Claudiano rectè dixero: ſed præcedebat plerumque *Libatio*, quam Boreales populi *Dannismans*, vel *Danckqwinnanns Sckaal* appellârunt. Quamvis verò Romanorum leges ſumptuariæ, quibus efferveſcens coercebatur luxuria, nuptiis aliquid indulgendum, & de victus tenuitate remittendum cenſerent; ea tamen frugalitatis religio, non legibus, ſed moribus introducta apud *Germanos* fuit, ut nec in ipſo nuptiarum feſto, à priſca abſtinentia recederent. Hinc Aventinus, tanquam alienum à veteribus Germanis morem, in ſuæ ætatis Bavaris notat: *Effuſiſſimè indulgere dapibus in dedicationibus templorum, & epulo nuptiali, nulli fraudi, nulli probrum eſt.* Poſt epulas Sponſus à ſubeuntibus paranymphis & ſociis Juvenibus attollebatur, atque ſuſtinentium vibrabatur humeris; quemadmodum Joh. Loccenius apud priſcos Boreales Germanos obſervat. quod ex militia veterum

veterum Germanorum tractum, qui testibus Tacito & Aimoino, impositum clypeo circumferebant, quem Imperatorem Ducemque constituerant. Scilicet id voluêre homines sapientissimi, virum suprà uxorem positum, Principemque familiæ factum, qui ad morem veterum ducum capesseret virile imperium, & in familia administraret: damnatâ pravâ istâ quorundam hominum mollitie, qui suos inter amplexus deliquescunt, & corpora animasque mulieri religiosissimè addicunt, ac tanquam venales gladiatores in verba uxorum sacramentum jurant, uri, vinciri, verberari, & quicquid aliud imperiosa domina jusserit. Augebant pompam illustrium nuptiarum instituti posteris temporibus Ludi Equestres, *Hastiludia* & *Torneamenta*, quibus hospites Juvenesque generosiores, & virtutis suæ præclara facinora ostentabant, & novis conjugibus fortitudinem roburque commendabant. Reperio quoque conductos à Sponso homines, qui facetiis ac jocis festum nuptiale recrearent; procul dubio ad exemplum Romanorum, qui versus incompositos, ridiculos, & lasciviâ diffluentes, quos *Fescenninos* dixêre, magnâ verborum petulantiâ in Sponsum Sponsamque jaciebant. Hos Germanis *Trotingos* esse dictos Lex illa Longobardica lib. I. Tit. XVII. leg. VII. indicat: *pervenit ad nos, quòd dum quidam ad suscipiendam Sponsam cujusdam Sponsi cum Paranymphis ac Trotingis ambularent, perversi homines aquam sordidam & stercoratam super ipsam jactassent.* Alii ab his fuêre, de quibus Otto Frisingensis Chron. lib. VI. cap. XXXII. in nuptiis *Henrici III.* Imp. ait: *Cum ex more regio nuptias Inglinheim celebraret, nunc Balatronum & Histrionum collegium, quod ut assolet eò confluxerat, vacuum abire permisit.* Cæterum *Saltationem* & *Choreas*, quales nostra videt ætas, nuptiæ veteres aut ignorârunt, aut detestatæ sunt; non tam propter legem illam sacram Concilii Laodiceni, quæ negat, *Christianos ad nuptias venientes ballare vel saltare*, quàm quòd gravitati, seriisque Germanorum mentibus adversari opinarentur, flectere indecoro motu, & torquere volubili levitate pedes, qui non minùs, ac ipse animus, firmandi essent. Sanè *Fridericum III.* Imp. aviti moris retinentissimum, dicere solitum accepimus, *Malle se febricitare, quàm saltare.* Sed dum prisci non cantibus, aut choreis, aut orchestris animos effœminant, fortius saltationis genus ad laxandos animos invenerunt: quippe ut Tacitus, & post illum Aventinus referunt, certis conditisque saltibus inter gladiorum frameamarumque compositas dispositiones sese incitabant.

XII. Postquam jam nox, submotis mensis, advenisset.

Ducitur in thalamum virgo: ſtat pronuba juxta
Stellantes nox picta ſinus, tangensq; cubile
Omnia perpetuo genitalia fœdere ſancit.

Ibi vota repetebantur, ut Superi optima Sponſis & voventibus, & non voventibus tribuerent. Atq;

Hic fuit ille dies, noctem canat ipſe maritus,
Quantum noſſe licet.

Nec tamen illa felicitas *Francorum* erat, ut ſtatim in amplexus raperent Sponſas, aut oſculis invaderent; ſed jubebantur per biduum aut triduum ſalvâ & incolumi caſtitate, impalleſcere precibus, & ſuppliciis votisq; fatigare Superos, ut faciles conjugio adeſſent. Rationem reddit ipſa Lex Capitul. lib. VII. cap. CCCLVIII. *Et biduo vel triduo in orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, ut bonæ ſoboles generentur, & Domino ſuis in actionibus placeant.* Durior tamen eorum conditio fuit, qui primam noctem aliis indulgere ſubſeſſoribus cogebantur, ut Sponſarum amplexibus ſe ingurgitarent floremque virginitatis carperent. Id *Marchetam mulieris* leges Saxonum vocant, vocabulo ducto ab antiquo verbo *march* ſive *marcheren*, quod *equitare* denotat: alii obſcœniore nomine *Jus Cunnagii* dixerunt. Igitur *marcheta* erat virginalis pudicitiæ prima violatio & delibatio, quæ vetuſtis temporibus, apud Septentrionales populos, Principibus vitis, & Dynaſtis, in ſuis ditionibus permiſſa erat. Hi enim primâ nuptiarum nocte novas inibant Sponſas, devirginatasq; Sponſis reddebant: qualis quorundam *Indorum* conſuetudo hodie fertur, qui nuptas Sacerdotibus permolendas ſubagitandasque, intempeſtivâ pietate præbent. Sed invaleſcente religione Chriſtiana mos ille paulatim ſublatus eſt, dum concubitus iſte certô vaccarum numerô, aut pecuniæ pretiô redimeretur. Inde in vetuſtis Legibus Scotorum apud Skenæum legitur: *Quæcunque mulier fuerit, ſive nobilis, ſive ſerva, ſive mercenaria, MARCHETA SUA erit una juvenca vel tres ſolidi; & rectum ſervientis tres denarii. Et ſi filia libera ſit, & non Domini villæ Marcheta ſua erit una vacca vel ſex ſolidi.* Quæ vectigalis ratio in quibusdam *Germaniæ Belgiiq;* ditionibus remanſit, ubi matrimonia hodie obnoxia ſunt, & certum vectigal ea de cauſa Dominis pagorum perſolvitur, ut vir omni eruditione inſtructiſſimus M. Zuerius Boxhornius annotavit.

XIII. Jam Virum & Uxorem in ipſo matrimonio ſpectare lubet, quum illud non minore ſanctitate & caſtimoniâ tranſigeretur, quam bonis nuptiis inchoaretur. Digniſſima illa & pulcherrima veterum Germa-

Germanorum laus apud Tacitum: *Severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris.* Et quid ſanctius caſtiusque erat, virgines tantum nubere, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigere? quæ ſic *unum accipiebant maritum, quomodo unum corpus, unamq; vitam, ne tanquam maritum, ſed matrimonium amarent?* De *Amore* autem conjugali, quo priſci Germani fervebant, Tacitus multa congeſſit: apud quem uxor *Arminii*, eademque filia *Segeſti, mariti magis, quàm parentis animo* in prælium incedit. Ac præcipuum fortitudinis in viris incitamentum erat, ubi in præliis fœminarum audirent ululatum: *hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximè laudatores, Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illa numerare aut exſugere plagas expavent.* Et quanti illud eſt, quod idem Tacitus ſcribit: *Memoriæ proditur, quaſdam acies inclinatas jam & labantes à fœminis reſtitutas, conſtantiâ precum, & objectu pectorum, & monſtrata cominùs captivitate, quàm longè impatientiùs fœminarum ſuarum nomine timent.* Nec ipſo amoris conjugalis ardore, inferioribus temporibus *Germani* intepuêre: de quibus memorabile illud elogium apud Cæſarem Scaligerum: *Non alia gens caſtiùs, non alia conſtantiùs amores conjugales ſervat.* Celebratum eſt omnium gentium literis nobiliſſimum illud *Uxorum Winoxbergenſium* facinus, quæ in Urbis ſuæ ultimo diſcrimine, quum ab irato victore extorſiſſent, ut quicquid humeris ſuſtollere & portare poſſent, ſalvum & incolume eſſet, maritos tantùm ſuos humeris impoſuêre, & poſthabitis faſtiditisque omnibus præſtantiſſimis rebus, viros æterno amoris decumento extulêre. Illud etiam tantis virtutibus addiderunt *Germanæ mulieres*, ad mare Balthicum habitantes, ut, teſte Procopio, poſt mortem maritorum laqueo vitam finirent, aut in ignem proſilirent, aut ferrum pectori imprimerent: ut idem vitæ ac nubendi poteſtatis finis eſſet, & nec in tumulo, aut ſepulchri caligine, divulſus Germanorum amor per fatorum inſolentiam jaceret.

XIV. Nec *Caſtitate* aut *Pudicitia*, quæ maxima ſemper & præſtantiſſima conjugii virtus habita eſt, ullæ gentes præſtiterunt *Germanis*: de quibus invidenda illa apud Tacitum laus; *Septa pudicitiâ agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrupta.* Ac paullo poſt, ubi de pœnis proſtrati pudoris egit: *Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia; non formâ, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; NEC CORRUMPERE ET CORRUMPI SECULUM VOCATUR.* Itaq; nec illa præpoſtera & nefaria libido apud *Germanos* pretium invenit, quâ aliæ gentes impurum corpus famamque attriverunt. Hinc apud Fab.

Quintilianum Declamat. III. quum juvenis *Cimber* Tribunum, propinquum Imperatoris *Marii*, à quo ad ſtuprum rapiebatur, gladiô obtruncâſſet, pertractus ad judicium, *Occidi*, inquit, *hauſi noxium ultrice dexterâ ſanguinem, ſive licuit, ſive non licuit.* Ac quum inde ſcelus averſæ Veneris graviſſimis verbis proſcidiſſet in Romanis, veriſſimè ſubjungit: *NIHIL TALE NOVERE GERMANI, & ſanctiùs vivitur ad Oceanum.* Neque illam pudicitiæ gloriam violarunt poſteriores Germani, quum adhuc præduris moribus enutriti, & bonis legibus validi, à levitate & libidine ſeculi noſtri longiùs abeſſent. Inde S. *Bonifacius*, quum *Ethelbalaum* Angliæ regem inter meretricum amplexus jacentem objurgaret, *Saxonum* exemplum objecit, qui ſeveris matrimoniis, caſtisque thalamis gaviſi ad adulterii ac ſcortationis nomen exhorreſcerent. Scribit Wernerus Rolevinc Carthuſianus, auctor faſciculi temporum, in libello de ſitu & moribus Weſtphalorum, caſtiſſimam ſua ætate gentem illam fuiſſe: *Virgines enim*, ut inquit, *ferioſiſſimæ extiterunt, & ad omnem affatum inhoneſtum ita excandeſcentes, ut Lucretiæ filias putares.* Et deinde: *Frequens apud eos*, (parentes) *objurgatio talis habebatur, quando ſcilicet filium aut filiam viderunt infamibus vitiis inclinatos eſſe, his ſcilicet aut ſimilibus verbis comminando*, Vis ut Te levem in ſtabulo ſepeliamus? *Crebrò etiam dixérunt, hoc ſeſe ex antiquorum traditione accepiſſe, qui contumaces proles potiùs interimerent, quàm ſcandalum amicis proveniret intolerabile.* Et quid mirum, tantam morum pudicitiam fuiſſe, quum ſanctiſſimæ leges non ſolùm libidinem robuſtam vindicarent, ſed & verba prætextata, teneris virginum auribus objecta, aut laſcivæ manus tactum, pœnis ulciſcerentur. Sic Lex Bojariorum mulctat eum, qui alienæ uxoris, aut puellæ liberæ ora aut veſtem laſcivâ manu tetigerit, quod ipſi *Hortgriffi* vocant; ſicut & altera illa lex ſubjungitur: *Si indumenta ſuper genucula elevaverit, Himilzoron vocant, cum XII. ſolid. componat.* Sed digniſſima præ cæteris, & omnibus ſeculis memoranda lex eſt quam Ludovicus Pius Imperator in Comitiis in *Attiaco*, aut ut alii, in *Ingelheim* edidit, & per Parochias populis denunciandam præcepit. *Noſſe*, inquit, *oporteat, conjugium à Deo eſſe conſtitutum, & quòd non ſit cauſa luxuriæ, ſed cauſa potius filiorum appetendum: & ut virginitas ſicut Doctores noſtri tradunt, usque ad nuptias ſit cuſtodienda, & ut uxores habentes, neque pellicem, neque concubinam habere debeant. Quomodo etiam in caſtitate uxores ſuas diligere, eisque utpote vaſi infirmiori honorem debitum debeant impendere, & quod commixtio carnalis cum uxoribus gratia fieri debeat prolis, non voluptatis, & qualiter à coitu prægnantium uxorum viris abſtinendum ſit, nec non & qualiter menſtruo*

menſtruo tempore viris ab uxoribus ſuis abſtinendum ſit, & quod niſi cauſâ fornicationis, ut Dominus ait, non ſit uxor dimittenda.

XV. At mihi heic mecum reputanti, quibus cauſis factum ſit, ut tantâ animorum caſtitate ac pudicitiâ Veteres Germani, viri pariter ac fœminæ, ætatem omnem & inprimis conjugium habuerint, primùm occurrit Taciti ſententia, qui poſtquam mulieres Germanicas ſeptâ pudicitiâ agere dixiſſet, mox ſubjungit: *Nullis SPECTACULORUM illecebris, nullis CONVIVIORUM irritationibus corruptæ. LITERARUM ſecreta viri pariter & fœminæ ignorant.* Primùm nullis *Spectaculorum* illecebris corrumpi fœminas Germanicas refert. Haud inficias iverim, nihil tam damnoſum moribus ſemper caſtis fuiſſe, quàm in Spectaculis ſedere; tunc enim, ut veriſſimè Seneca ait, *per voluptatem facilius vitia ſurrepunt.* Multæ ad adulterii cupiditatem prolapſæ ſunt, ubi Jovem amplexibus Danaes implicitum, aut Martis & Veneris furtiva oſcula conſpexêre. De *Conviviis* vero illud ſemper ſentiendum eſt, quod Venuſinus Vates lib. III. od. VI. cecinit:

Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, nec eligit.
Cui donet impermiſſa raptim.
Gaudia luminibus remotis.

Nec ineptè exiſtimat Tacitus, ſervatam & corroboratam *Germanorum* caſtitatem fuiſſe, quòd viri & fœminæ pariter *literarum ſecreta* ignorarent. Etſi de viris haud facilè aſſenſerim Scriptori ſummo, niſi *Gothorum* opinioni accedendum ſit, qui remolleſcere animos & effœminari literarum ſtudiis, atque à fortitudinis virtutumque cogitatione repelli exiſtimabant. Sed de fœminis illud ſemper dicendum eſt, non expedire, ut doctrinis & literarum diſciplinis imbuantur. Præterquam enim quòd ſcientiâ prætumidæ, in ſuperbiam & inſolentiam ſe attollant, & aſſiduâ lectione imperare magis, quàm parêre diſcant: profectò iſta in ſtudiis exercitatio, & moribus & pudicitiæ magnam ſemper cladem attulit. De *Sempronia* Bruti uxore ſcribit Salluſtius in bello Catilinario: *Literis Græcis & Latinis docta: pſallere & ſaltare elegantius, quàm neceſſe eſt, proba: multa alia norat, quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt, ſed ei cariora ſemper omnia, quàm decus & pudicitia fuit.* Igitur Albinam ſuam Seneca indulgere ſtudiis non eſt paſſus, *quod mulieres literis non ad ſapientiam, ſed ad luxuriam uterentur.* In qua quoque opinione ante paucos adhuc annos *Livoni*, *Boruſſi*, *Saxones*, aliique Septentrionales populi fuêre, apud quos, teſte Cluverio in Germ. Antiq. lib. I. c. XX. *turpe fuit fœmina, literas ſcire;* eandem ob cauſam, quam

quam Tacitus innuit, *his pudicitiam ſollicitari, his prodi.* Placent illa Juvenalis monita, quæ omnibus maritis ingeſſit Satyrax.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus, hiſtorias non noverit omnes.
Nam quid rancidius, quàm quòd ſe non putet ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt?.

XVI. Suprà iſtam mulierum Germanicarum innatam probitatem & innocentiam acceſſit, quòd adulteriorum pœna præſens, & maritis permiſſa eſſet; quo factum eſt, ut terror certiſſimi ſupplicii cunctas à flagitio detineret. Tacitus de morib. Germ. *Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſam crinibus, nudatam coram propinquis expellit domò maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia; non formâ, non ætate, non opibus maritum invenerit.* Ergò pœna adulterii maritis permiſſa, qui arbitrio ſuo ſcelus uxoris & perfidiam vindicabant: quæ poteſtas poſteris quoque temporibus maritis conceſſa fuit. Lex Longobardica lib. 1. Tit. xxxiii. leg. 11. *Si quis cum uxore ſua liberum aut ſervum fornicantem invenerit, poteſtatem habeat, eos ambos occidendi; & ſi eos occiderit, non requirantur.* Similiter lex Frothonis Daniæ regis apud Saxonem Grammaticum lib. v. *Adulteros à veris conjugibus corporum parte ſpoliandos conſtituit, quò minus continentia flagitiis elideretur.* Quin & Parentibus in filias eadem poteſtas erat, ut lex Longobardica lib. 1. Tit. xxxii. l. 1. innuit: *Si puella aut mulier libera voluntariè fornicata fuerit, cum libero tamen homine, poteſtatem habeant parentes ejus, in eam dare vindictam.* Sed apud antiquiſſimos Germanos pœna adulterii duplex erat, ut Tacitus ſcribit: primùm enim acciſis crinibus nudatam domô expellabant: inde per omnem vicum verbere agebant. Cenſentit his lex poſtera Liutprandi regis Longobardorum in fœminas violentas: *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas DECALVARE ET FUSTARE per vicos vicinantes ipſius loci.* Paullò aliam, & magis ſævam adulterii pœnam tribuit priſcis *Saxonibus* Bonifacius Archiepiſcopus in Epiſtola ad *Ethelbelaum* Anglorum Regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia, ubi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata ſub conjuge ſit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſuper foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt; aut cingulò tenùs, veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtæ matronæ, & culcellis pungunt, & de villa in villam ſic miſſæ occurrunt novæ flagellatrices, donec interimant.* Cujus moris veſtigia apud *Weſtphalos*, nobiliſſimam Saxonum partem, ſua adhuc ætate extitiſſe ſcribit Werne-

Wernerus Rolefink de ſitu & morib. Weſtph. l. I. cap. VII. ubi ſcribit: *Si inferioris ſtatus ſive puella ſive famula, in ſtuprum aut adulterium corruiſſet, ſecretò eam virgis, & quidem acerrimè flagellabant, convitiis placentisq; ex putredinibus ovorum factis eos reficientes, ſic eas in amaritudinem adduxerant, ut aut mori ſolatium foret, aut poſt primum partum nullas deinceps proles gignerent.* Invaluit quoque apud Septentrionales populos illa ſtupri pœna, ut *nares auresque* adulteris præciderentur: quod & in *Canuti* legibus reperio, quæ jubet hominem adulterum in exilium relegari, fœminæ naſum & aures amputari; ſuppliciô Romanis moribus receptô, quod falsè Martialis lib. I. Epigr. XL. irridet. Magis ignominioſa erat pœna, quam *Oſtrogothi* adulteris imponebant: nam auctore Olao Magno lib. XIV. *fœmina virilibus maſculi fune aut loro ligatis ipſum trahere per medium forum & extrà urbem* cogebatur. Apud *Bojarlorum* & *Alemannorum* magnam partem introducta fuit mulcta pecuniaria, quam *Legergeldum* leges antiquæ vocant, & à *Forleganis*, id eſt adulteris ac ſcortatoribus exigi jubent. Etiam Francorum nobiliſſimæ parti placuit, ut adulter depoſitis armis ad aras Dei Opt. Max. ſtaret, & pœnitentiam ſceleris in circumfuſa populi concione ageret; ut ex Capit. lib. V. cap. CXLIX. cognoſcitur.

XVII. Intendebat promtitudinem gravitatem q; pœnarum formido ignominiæ, quum ſummum ſupplicium in profeſſione ſceleris poneretur, & in iſta ſeculi ſimplicitate plùs bonæ famæ & honeſtæ exiſtimationi, quàm hodie ſeveriſſimis legibus maximisque pœnis tribueretur. Itaque quum levitate noſtra ac perverſis moribus factum ſit, ut corrumpere & corrumpi ſeculum vocetur, ut auri veſana cupido ſanctitatem thori proſtituat, & impunè conculcet, ut multi lenociniô ſæpe quæſtu uxores uſurarias alant, aut ridiculâ patientiâ ad ſtrepitum adulterorum vigilanti naſô ſtertant; Majores noſtri ignominiam iſtam omni morte ac cruciatu graviorem ducebant, & quum carcerem, exilium, egeſtatem ferre poſſent, dedecus thalami pati nequibant. Quæ temporum innocentia effecit, ut & aditum eorum ſermonemque defugerent, ac in numero impiorum infamiumque haberent, qui pravâ indulgentiâ fovebant adulteram uxorem, aut alienam prolem ineptâ charitate educabant. Illos *Argas* & *Cucurbitas* appellabant, ut ex Legibus Longobardicis liquet: quæ vocabula ſummæ ignominiæ & maximi convicii ducebantur, quum *Arga* inertem & inutilem denotaret, *Cucurbita* autem à Longobardorum *corbita*, quod ſtuprum & infamiam ſignificat, fœdam originem traheret. Idem de *Divortio* ſentiebant graviſſimi homines;

quum

quum illud non permittendum, nisi maximis de causis censerent, eorumque levitatem perpetuâ ignominiâ notarent, qui grande illud & sacrum amoris vinculum temerè ruperant. Nam ut, *Ludovicus* Imperator Francis suis edicit, *Nisi causâ fornicationis, ut Dominus ait, non est uxor dimittenda, sed potiùs sustinenda, & hi qui causâ fornicationis demissis uxoribus suis alias ducunt. Domini sententiâ adulteri esse notantur.* Idem in Theodorici Gothorum regis Edicto jubetur, ubi & de justis divortii causis dicitur: *Uxor à marito, aut maritus ab uxore nisi probatis causis, quas leges comprehendunt, omisso repudio, à jugali vinculo non recedant. Causæ autem istæ debent esse divortii: Si maritus aut homicida, aut maleficus, aut sepulchrorum violator ab uxore in examine fuerit adprobatus. Maritus quoque his criminibus convictam meritò dimittat uxorem, si adulteram, vel maleficam, vel etiam, quam vulgus appellat aggagulæ, in judicio potuerit adprobare.* Sed inter causas priscæ castitatis, continentiæ, & amoris conjugalis, illas quoque fuisse deprehendo, quòd otium omne plùs quàm Atticâ severitate mulctarent; deinde quòd mulierem in potestate viri esse vellent: postremò quòd nullâ Zelotypiâ laborarent. De otio, si quis dubitet, quas calamitates, & dissidia in thalamos, quod dedecus in familias invexerit, exempla omnis ævi loquentur: dum non solùm ea peste fides conjugum fœdata est, sed & integræ civitates præcipites ivêre. Quare Germani, ut desidiam è familia tollerent, virgines mulieresq; ad filum lanamque, aut rem vestiariam colendam in secretioribus ædium locis sepositêre; qualia loca *Genecia* vocarunt. Hæc in suis *curtibus*, id est aulis & palatiis, non solùm habebant Domini minores, sed ipsi etiam Reges, ut patet Longob. lib. Tit. IX. l. II. ubi licet Gastaldio Regis puellam liberam servo nubentem, *in curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere.* Erant autem duo *Geneciorum* genera, honestius & servilius, sive prius & inferius; cujus utriusque mentio in Legibus Alamannicis Tit. LXXXI. §. II. & III. occurrit: *Si cum puella de genecio priore concubuerit aliquis, contra voluntatem ejus, cum VI. solid. componat. Si quis cum aliqua de alio genecio contra voluntatem concubuerit, cum tribus solidis componat.* Sicut autem potissimùm otii vitandi causâ virgines mulieresq; *Gynecio* tradebantur, ita & pœnæ causâ inclusæ sunt; quod locus ille superiùs ex Longob. legibus allatus, & alter ille Tit XXXII. leg. ult. demonstrat, ubi mœchantes Moniales in hunc modum plectas indicatur. Morem optimum & Reipubl. utilissimum nostrâ tempestate renovarunt *Fœderati Belgæ*, qui frugali Majorum nostrorum disciplinâ, fœminas puellasque, tum Viros & Juvenes, seu otii culpâ damnatos, seu vagæ libidinis

bidinis flagitii conſcientiâ pollutos, per publica ædificia diſtribuunt, ut laſcivam ætatem idoneus ſudor exerceat, pravæ ſegnitiæ illecebras labor durô exercitiô repellat. Jam & illud prudenter ac præclarè inſtitutum, quòd Majores noſtri ad tenendas in officio atque obſequio uxores nullum arctius vinculum eſſe voluerint, quàm ut nunquam in poteſtate ſua eſſent. Hinc illa expreſſa lex in Legg. Longob. Tit. LXXXIII. §. 1. *Nulli mulieri libera ſub Regni noſtri ditione, liceat in ſui poteſtatis arbitrio, id eſt, Selpmundio vivere, niſi ſemper ſub poteſtate virorum, aut certe Regis debeat permanere.* Nempe ſæpius ipſa mulier poteſtate & nimiâ libertate armata à thalami continentia receſſit, & in cupiditates immoderatas incenſa, ſe ſuamque familiam præcipitavit; quum illi genti ſemper datum non ſit, ut conſilio & ratione imperium juſtum adminiſtret. Dixi, ſtabilitam quoque conjugii fidem amoremque fuiſſe, quòd nulla Zelotypia conjuges agitaverit. Neque enim hoc diſſimulandum eſt, multa diſſiluiſſe matrimonia, ubi dira illa & ſceleſata ſuſpicio anxios animos invaſit, & in ſuſpiria, in furorem, in cædem improvidos propulit. Atque illa tædarum nuptialium furia, quum alias gentes exagitet, & perpetuo metu vaſtet; à nationis noſtræ moribus ſemper abfuit, quum nec impudicis cupiditatibus, ut cæteri illinamur, nec viſu commoveamur. Placet hoc loco adſcribere clariſſimum teſtimonium Poggii Florentini, hominis Itali, quod ad Leonhardum Aretinum de admirabili Germanorum continentia perhibuit, ubi de Balneo Badenſi ſcribit. *Publica duo*, inquit, *balnea ſunt, ubi innupta puella, pueri quoque deſcendunt; adoleſcentes & fœminas videre eſt, omnibus nates oſtentantes. Balnea verò domorum perpolita, ubi per feneſtellas colloqui & potare licet. Sæpe famina nuda nudo viro obviam ire; NULLA INHONESTI SUSPICIO; maſculi campeſtribus, fœmina lineis induuntur veſtibus, crurum tenus à latere ſciſſis, neque collum, neque brachia, vel lacertos tegunt. Cernunt viri uxores tractari, cernunt alteri colloqui. Eſt quidem ipſis ſolatium; nihil admirantur, omnia bona mente fieri putant: NEQUE EST EX IIS, QUI ZELOTYPUS ESSET.* Addit mox illa, in *Italos* ſuos invectus: *O mores noſtri diſſimiles, qui ſemper res in deteriorem partem accipimus, qui usque adeò calumniis delectamur, & obtrectationibus, ut ſi quid videmus per ullam conjecturam, ſtatim pro manifeſto atteſtamur. Invideo, imò noſtras execror perverſitates animi — dum futuras expaveſcimus calamitates, continuis calamitatibus & anxietatibus jactamur.*

XVIII. Cæterùm ex ſanctiſſimo illo ſeveroque matrimonio procreati, quid mirum fuit, ſi virtute & probitate cunctas fere gentes ſuperarent; quum, ut ille ait, *Fortes creantur fortibus & bonis?* Huc acceſſit præclara educatio, qua liberi à parvulis labori & duritiei tradebantur, ut Cæſar lib. VI. teſtatur. Jam primùm enim puer, ubi de matre ceciderat, ad fluvium deferebatur, qui infantiam exploraret, & ad futuræ militiæ labores induraret: cujus rei meminit præter Galenum, Nazianzenum, Nonnum, Claudianus in Rufinum,

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Inde *ſua quemque mater*, ut Tacitus ſcribit, *uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur*; tum ne ipſis immanibus belluis iniquiores ſævioresque viderentur, quæ fœtum ſuum ſollicitâ curâ lactant & educant; tum ne vitia degeneresque mores ab impura ſerva aut laſciva nutrice infans ſimul cum lacte hauriret. A lacte materno ſemoti, & cibi genere, & veſtium negligentiâ, & quotidianâ exercitatione ad vires & corporum magnitudinem præparabantur; quum experimentis conſtet, eò robuſtiores reddi artus, & corpora validiora, quò negligentius infantes educentur. Inde Tacitus: *In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt.* Et quanti illud ad virtutem alendam, quod idem Auctor mox ſubjungit: *Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt: donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat.* Quid aliud agunt, inquit ad hunc locum Scaliger, vel Chryſippi vel Cleanthis libri, quàm ut *Germanorum* moribus atque legibus quemvis noſtrum eſſe hominem virtute ac ſapientiâ contendendum, ut alius alii præſtet: Fortunam meritis obtemperare? Sic nutriebantur, ſic educabantur *Germani*, quum nondum illecebræ aliarum gentium & vitia in orbem noſtrum immigrâſſent; etſi fatendum ſit, magna adhuc morum iſtorum veſtigia in Septentrionali Germaniæ parte ſupereſſe, ubi æquabili frugalitate maritus & uxor, liberique & omnis familia, pecoraque ſub eodem tecto, in eadem humo degunt; ubi educandis habendisque ſervis & herilibus liberis nullum diſcrimen ponitur, ut pariter à teneris duritiei ac labori ſtudeant. De *Weſtphalis* ſuis ſcribit Wernerus Rolevinc. lib. III. cap. II. de morib. Weſtph. *Eſt ipſis incunabilis agreſte tugurium, mox in pecore paſcendo verſatur infantile primordium, obduratas glebas plantâ nudâ calcant, tenera membra cannabina veſtis cingit, horrendus panis cum*

piſa-

ptiſana famem pellit. Nec regiæ prolis olim mollior educatio, quum ab omni otio & deliciis arceretur, & laboribus ad res magnas præpararetur: cujus digniſſimum exemplum nobis præbuit Karolus M. de quo Eginardus: *Filios, quàm primùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias verò lanificio aſſueſcere, coloque ac fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honeſtatem erudiri juſſit.* Atque hac educationis diſciplinâ, quum ſe fortiſſimos vellent, robuſtiſſimos efficerent, eam aggreſſi ſunt vitam vivere, quæ ſibi munimento, nobis exemplo eſſet. Venationibus ad bellorum ſimulachra cienda, corporis firmitatem comparandam, tuendam proſperam valetudinem, frequenter utebantur: paſtionum rationes, agrorumque cultus ex naturæ præceptis hauſtos bellè atque mediocriter, non ambitiosè, non avarè agitabant: Architecturam non ad inſanas ſubſtructionum ſpecies molesque, ſed pro uſu & neceſſitate exercebant; planè ut paucorum virgultorum aut ceſpitum rudi contextu domos ſtruerent, & cubile in lapide aut nuda humo figentes, cunctas cœli injurias impavidi excipierent. Inde frugalitatis ac temperantiæ pretium acceſſit, quum lacte aut caſeo contenti ignorarent aut faſtidirent illas gulæ illecebras, quibus intemperantia noſtra vitam ſubvertit, aut enervat. Neque enim alia peſtis vehementiùs in noſtram ſurrexit cladem, quàm poſtquam à ſimpliciſſimis Majorum cibis abhorrentes, lautitiis & peregrinis epulis corpus oneravimus. Ipſam verò animorum moderationem adeò ſanctam, adeò duram eſſe voluerunt, ut quum cæterae gentes maria & terras anxio itinere obirent, ut exoticas merces opesque per mille diſcrimina quærerent, hi diutiſſimè nec mercatores quidem ad ſe commeare paterentur, ne peregrino luxu animi effœminarentur, qui in pecoribus ſuis, & terræ patriæ frugibus ſummas divitias habebant. Nimirum tota vita, à prima infantia usque, diſciplinæ horridæ & duræ adſtringebatur; inde non tam rudes atque incompti, quàm ſimplices ac ſeveri, & ad rigidiſſimos labores aſſueſacti, non mortis metu, non periculis terrebantur, ſed omnia in animi fortiſſimi bonis ponentes, laudis avari, vitæ prodigi, ad omnes fortunæ ſævientis inſultus impavido pectore firmabantur. At nos molliſſimi & delicatiſſimi homines inter flores roſasque evolvimur in hunc orbem; mox puritiam incuriosè & petulanter inter omnes illecebras agimus, dum noxia parentum indulgentia labem vitiorum mollitiemque commendat: inde creſcentia corpora aut immaturâ Venere frangimus, aut

vino luxuque ſolvimus, aut pravô otiô enervamus. Quibus rebus & fortitudinem Majorum amiſimus, & valetudinem corporum profligavimus, & virium robur attrivimus; planè ut de noſtris jam Germanis, ſi priſcos reſpicimus, dicendum ſit, quòd olim Satyricus mirabundus de Romanis cecinit:

Quantula nunc hominum producit corpora tellus!

DISSERTATIO HISTORICA SEXTA, DE STUDIIS VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIUM.

§. 1. *Initia & progreſſus diſciplinarum apud Germanos.* §. 2. *Artes vulgares: & I. Grammatices ſtudium.* §. 3. *II. Gymnaſtices honor & ſtudium.* §. 4. *III. Muſices ortus, incrementum, bonos.* §. 5. *IV. De Graphice Germanorum, ſive arte pingendi.* §. 6. *Artes liberales: Quæ Grammatices dignitas, quis uſus fuerit.* §. 7. *De Eloquentia veterum, & magno Rhetorices ſtudio.* §. 8. *Poëtices artis auſpicia, honos, uſus.* §. 9. *Quantũ Hiſtoriæ ſtudium mediis ſeculis, quanta fuerit dignitas. Clariora Hiſtoricorum Germanorum nomina & laudes.* §. 10. *Matheſeos uſus apud Majores noſtros: ubi de eorum Arithmetica, Geometria, Aſtrologia.* §. 11. *Induſtria illorum circà artem Mechanicam. De triplici Germanorum invento, nimirum Bombardarum, Horologiorum, Typographiæ.* §. 12. & 13. *Philoſophici ſtudii initia, progreſſus, inſtauratio.* §. 14. *Agriculturæ & Paſtoritiæ ſtudium & nobilitas.* §. 15. *Quam effuſò ſtudio Venationem priſci coluerint.* §. 16. *De Medicina, ejusque cultu.* §. 17. *Theologia veterum.* §. 18. *De eorum Ethica & Politica.* §. 19. *Quæ apud priſcos Juriſprudentia viguerit.* §. 20. *Germanos veteres, ſicut armis, ita ingenio omnes populos viciſſe.*

OBſcura GERMANORUM admodùm fama usque ad bellum *Cimbricum* fuit, quo tempore ſe primùm in *Italiam Galliasque* ſuper-

perfuderunt. domitisque magnis Regibus, & inclytis nationibus bello subactis, terrorem famamque nominis sui latissimè sparserunt. Sed ea tempestate nemo ingenium exercebat, nemo disciplinis artibusque liberalibus animos componebat: vita omnis, ut Cæsar de illis scribit, in venationibus & cura rei militaris consistebat: in cæteris *Druides*, & *Bardi*, ac *Vates* rudem & impolitam barbaræ prudentiæ disciplinam jactabant. Primam ingeniorum excellentiorum curam excitarunt *Romani*, quum perdomitâ magnâ *Germaniæ* parte ferocem gentem commerciis, affinitate, moribus paullatim mitigarent, & præter corporis vires, animorum cultum fortissimis hominibus commendarent. Sed maximè postea, quum *Franci*, homines *Germani* à cervicibus suis depulissent jugum Romanum, cum ipsa libertate omnem humani cultus speciem *Germania* terra accepit, & populus, *Græcorum Romanorumque* exemplô, ad artium ac scientiarum egregiarum studium, quantum per eam licuit ætatem, animos advertit. Mox tamen, quum labentibus rebus Romanis, *Saraceni* in Orientem, *Scythæ* in Occidentem magnâ imperiorum strage incumberent, præclara iterum ingenia conciderunt, ac omni literarum splendore sublato, inter blandientem inertiam, & inimicum bellorum strepitum obmutuêre. Ac quanquam *Karolus M.* Princeps seculo suo major, grassanti se opponeret barbariei, ipso tamen fatis raptô, & *Europa* universa per *Hunnorum Normannorumque* vastationes conturbatâ, omnis propè eruditio, ut ab *Italia*, sic ab orbe Germanico profligata est, totisque annis quadringentis crudeli mulctata exiliô delituit: rudibus adeô & indoctis seculis, ut teste Bellarmino, qui *Philosophiæ operam navabat*, *Magus putaretur*. Inter primos *Fridericus Barbarossa*, rem pulcherrimam animo aggressus, amissa literarum studia, & subversas ingenti bellorum tempestate disciplinas, vindicare cœpit, habitisque in campo *Roncaliorum* comitiis, militares *Germanorum* animos, mitiore literarum cultu emolliri jussit: publicatâ eum in finem famosâ illa *Authenticâ*, quæ Codici Justinianæo inserta, summum præsidium & decus Academiis omnibus tribuit. Sed potissimum Cæsaris *Ludovici Bavari* ea fuit felicitas, quòd eô imperante, literarum studia in *Italia*, duce inprimis Petrarcha, bonis avibus revocarentur: in *Germania* autem melioribus auspiciis per *Rupertum I.* Electorem Palatinum reducerentur, statutâ præstantissimâ hac Academia, ex qua plerique Germaniæ populi omnem elegantem doctrinam, vitæ cultum, humanitatem accepêre, & suas in scholas intulêre. Verùm

ego, dum de Veterum Germanorum Studiis, quæ mediis potiſſimum viguêre ſeculis, diſſerere inſtitui, *Encyclopædiam* ſcientiarum mihi proponam, & primùm luſtrabo diſciplinas inferioris ordinis, quales *Græcorum* quatuor artes populares ſunt: inde ſtudia Superioris ordinis percurram, quæ viam parant ad *Philoſophiam*, qualia ſunt PHILOLOGIA & MATHESIS: poſtremò PHILOSOPHIAM ipſam aggrediar, in cujus prima parte *Phyſica* potiſſimùm MEDICINAM, & THEOLOGIAM, in altera *Practica* POLITICAM, ETHICAM, JURISPRUDENTIAM contemplabor.

II. Inter populares *Græcorum* artes prima eſt GRAMMATISTICE, legendi ſcribendique ſcientia: cujus multiplicem fructum uſumque contemplatus Epicurus, quum cæteras diſciplinas haud neceſſarias putaret, hanc ſolam utilem fatebatur; ut Sextus Empiricus de eo refert. Sed quanquam ejus tantus ſit uſus, ut vix ullis laudibus ſatis poſſit prædicari, nulla tamen, aut rariſſima apud veteres *Germanos* fuit, inter quos ſoli *Bardi* ac *Druidæ* in hanc ſcientiam incumbebant. De cæteris notum eſt illud Taciti de morib. Germ. *Viri pariter ac fœmina literarum ſecreta ignorant.* Nec tamen propriis literarum elementis ſcribebant *Druidæ Bardique*, ſed ut Julius Cæſar. lib. VI. de bel. Gal. auctor eſt, in publicis privatisque rationibus, *Græcis* literis utebantur. Primi feruntur *Gothi*, propriis nativisque inter *Germanos* literis ſcribere conſueviſſe: ſi eorum ſententia vera, qui ab *Gulphila*, qui circa A. Chr. CCCLXX. vixit, inventas *Gothorum* literas affirmant: quam opinionem præter Socratem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. IV. & Jornandem in Geticis, confirmat antiquum illud carmen Petro Crinitio & Lilio Gyraldo memoratum,

Gulfila promſit Getarum, quas videmus literas.

Seriùs apud cæteras *Germaniæ* gentes nativæ literæ invaluêre: nam ut *Vandalos* aliosque ad *Albim* & mare *Balthicum* habitantes populos taceam, quos temporibus *Ludovici Imperatoris* demum ſuas accepiſſe literas Aventinus refert, ſanè antiquis *Francis*, qui ſub *Marcomiro* & *Pharamundo* Gallias ſubegêre, literas fuiſſe *Græcis* non planè diſſimiles, atque iis Waſtaldum hiſtoriam patrio ſermone conſignâſſe, Trithemius & Agrippa teſtantur. Maximè tamen ſtudio *Karoli M.* factum videtur, ut ſermo Germanicus non ſolùm in literas paullò fuſius referretur, ſed & populus univerſus ad legendi ſcribendique facultatem deduceretur: unde Monachis ac Sacerdotibus in *Capitularibus* ejus paſſim injunctum, ut tam ingenuos, quam ſervilis conditionis homines, primas

mas literas docerent. Idem oſtendit Lex illa in Reformatione Eccleſiæ & diſciplinæ Chriſtianæ, quam in Comitiis Aquisgranenſibus A. DCCLXXXIX. ſancivit: *Ut non ſolùm ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient, & ut Schola legentium ſcribentiumque puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam per ſingula monaſteria vel Epiſcopia diſcant.* Sed invidit poſtea laudabili conſilio, proſperosque ſucceſſus deſtruxit, ſive ipſe difficilis literarum *Teutonicarum* ductus, & laborioſæ ſcribendi notæ, quales Trithemius in *Karoli M.* Grammatica deprehendiſſe ſe fatetur: ſive ipſius populi genius, qui in militares curas arrectus, & à teneris in belli ſtudia profuſus, ipſam legendi ſcribendique ſcientiam, haud magnopere æſtimandam putabat. Itaque clauſtris Monachorum potiſſimùm abdita hæſit *Grammatiſtice*, quæ ſermonem noſtrum *Græcis* literis, ac *Latinâ* linguâ explicabat: donec imperante *Rudolpho I.* ut Aventinus, Cruſius & Willichius probant, lingua *Germanica* ſuis exarari literis, legique cœpit. Exinde Grammatiſtice Germanica tam ſubitis aucta incrementis, ut non ſolùm in civitatibus omnes contractus, fœdera, negotia, pulcherrimis linguæ noſtræ notis deſcriberentur, ſed & per ipſa rura agreſtiumque domos, primæ literæ liberaliter vulgarentur.

III. Poſt *Grammatiſticen* Ariſtoteles ponit GYMNASTICEN, quæ in exercitatione corporis verſatur; qualis quintuplex à *Græcis* ſtatui ſolebat, *Curſus*, *Saltus*, *Diſcus*, *Jaculum*, *Lucta*. Quæ gymnica exercitia pariter *Germanis*, præſertim *Septentrionalibus* in uſu fuiſſe, docet Saxo Grammaticus Hiſt. Dan. lib. v. de Rolleri comitibus, quorum *alii jactis ſe molibus exercebant. Alii SALTU, quidam CURSU concitavêre corpus. Hi Vires valida SAXORUM JACULATIONE tentabant, illi SAGITTÆ uſum tenſo experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem vario agitationis genere proſequebantur.* Jam primùm in CURSUS certamine quum antiquiſſimi *Germani* ſummam ponerent voluptatem, venationem pedeſtrem effuſè coluêre, ut curſu certarent cum fugacibus feris, luſtrarent ſaltus, ſuperarent immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferrent. Poſtea quoque, quum tam robore, quàm agilitate juventus videretur exercenda, *Saxonum* moribus invaluit, ut ad *Græcorum* exemplum nobiliores adoleſcentes, curſu cum æqualibus contenderent. Unde inter *Henrici* Bavariæ & Saxoniæ Ducis laudes ſcribit *Radevicus* lib. II. cap. XXXVIII. de geſtis Friderici I. *Ubi primùm adolevit, pollens viribus, deora facie, ſed multò maximè ingenio validus, non ſe luxui neque inertiæ corrum-*

pen-

pendum dedit, ſeduti MOS SAXONUM eſt, equitare, jaculari, CURSU cum æqualibus contendere. Nec alium in finem introductus Curſus ille equeſtris, Majoribus noſtris tantopere amatus, quem *Torneamentum* vocant: qui ab Henrico Aucupe primùm inſtitutus, inde ad *Græcorum* morem, ſolenni ludorum indictione per poſteros Principes celebratus, diu clariſſimum Nobilitatis Germ. nicæ exercitium fuit. Curſui proximus eſt SALTUS, gratiſſimum priſcis Germanis & ferè unicum ſpectaculum; non quidem mollis & effœminata ſaltatio, qualem ridiculâ corporis geſticulatione ad lyræ leges noſtra temperat ætas, ſed robuſta & maſcula, & quæ animos ad rem militarem diſponeret. Tacitus libello de Germania: *Nudi Juvenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe atque infeſtas frameas SALTU jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem; non in quæſtum tamen aut mercedem, quamvis audacis laſciviæ pretium eſt, voluptas ſpectantium.* Nec diſſimilis per poſteriora fuit tempora ſaltatio, ubi armis veſtiti, agili corporis flexu omnes actus referebant, quibus aut ipſi telorum & cominùs pugnantium ictus exirent, aut hoſtem gladio, jaculo, ſagittâ peterent. Id ſaltationis genus Græci *Pyrrichan* dixêre; quam in aula *Maximil. I.* qui illa impensè delectabatur, ſæpius ſe ſaltaſſe Julius Cæſar Scaliger perhibet. Poſt Saltum DISCUS apud *Græcos* erat, qui vel ex ferro, vel lapide, vel ligno compoſitus, & amento circumnexus, non modo lacertorum viribus, ſed arte quadam emittebatur. Huic JACULI jactum Homerus & Horatius conjungunt, quòd utrumque manu plerumque jaceretur. Utrumque *Germanis Septentrionalibus*, tum *Saxonibus* & *Francis* fuiſſe in uſu, ſatis indicant allata Saxonis Grammatici & Radevici verba, & praeterea Annales Bojorum lib. IV. exemplo Corolomanni affirmant. Ultimum *Gymnaſtices* exercitium eſt LUCTA, *Græcis* præcipuo in honore, quòd *Herculem* & *Theſea* auctores haberet; vetuſtis quoque *Germanis* magno in uſu, qui & pondere corporum, & firmitate nervorum, & ſpiritu ad hoc certamen maximè agebantur. Poſtea & ars eſſe cœpit, inſtitutique luctandi Doctores, quos *Pugiles* & *Athletas* paſſim Hiſtoriae appellant. Saepe meminit eorum Saxo Grammaticus, tum ubi de *Frothone* agit, quem ſolâ Pugilum ope ſubnixum, invito regnaſſe populo ait, tum ubi de Biarcone, Rolvone, & denique de Haldano ſcribit, quem *quercu ſuccisâ atque in clavæ habitum redactâ, ſolum cum duodecim pugilibus manum conſeruiſſe*, lib. VII. recenſet. Idem libro II. docet, quæ luctandi pugnandique ratio priſcis fuerit: nam quum celeberrimi pugiles *Rolvo* & *Biarcon* in certamen deſcendere ſtatuiſſent, diu certatum

inter

inter eos est, *utri prior feriendi copia deberetur? Non enim*, ut inquit, *antiquitus in cædendis agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio, variis sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quàm numero deferretur.*

IV. Sequitur Musice, antiquissima omnium in literis studiorum, ut Timagenes apud Fabium lib. I. auctor est: ars honestissima & suavissima, quam Natura ipsa videtur, velut muneri nobis dedisse, ut facilius toleraremus labores, languentem animum incitaremus, affectibus æstuantia & turbata pectora sedaremus. Ipsa quoque Majoribus nostris vetustissimis in honore: sed rudis, sed incondita, & truci clamori similis, qualis conveniebat populo, qui formidabili cantus horrore prælium auspicari gestiebat. Tacitus in lib. de morib. Germ. *Fuisse apud eos & Herculem memorant: primumq; omnium virorum fortium in prælia ituri canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu quem Barditum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur.* Sed & Heroes, suos carminibus canebant, ut idem Tacitus lib. II. Annal. de *Arminio* refert. Quod *Juliani* Cæsaris temporibus in usu adhuc fuisse, documento est, quod has fortium virorum laudes vocet *Agrestia carmina, similia clangoribus avium asperè clamantium.* Sed illam *Germanorum* in canendo ruditatem sustulerunt *Franci*, postquam, instituto per Gregorium M. & Ambrosium more, *Musicam* ad canendas Dei immortalis laudes in templa invexissent. Hi Musicen suam appellabant *Occidentalem*, quòd in Occidente usurparetur; sicut Græcorum Musicen dixêre *Frigiorum*, quia ex *Phrygiis* & *Dorsiis* modulis constabat: quemadmodum Goldastus ad Ekkehardum in Notkeri vita observat, Sed inprimis *Karolo M.* Musice Germanica suum debet incrementum, qui, si Aventino lib. IV. fides est, octo canendi modos seu tropos introduxit, quum antea quatuor duntaxat modi *Phrygius, Dorius, Lydius, Mixo-Lydius* in usu fuissent. Sanè summam Musices peritiam Principi illi infuisse, Eginardus quoque in vita ejus affirmat, quum scribit: *Legendi atque PSALLENDI disciplinam diligentissimè emendavit: erat enim utrinsque admodùm eruditus: quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submissè, & in commune cantaret.* Adjuvit *Karoli* conatum *Albinus Saxo*, & postea promovit *Notgerus* Abbas S. Galli, qui imperante Lothario librum de Musica & Symphonia in publicum emisit. Nec defuêre inde præclara ingenia, quæ in arte *Musica* inter *Germanos* excelluerunt: quorum nomina, quum passim à Vossio

patre de Scientiis Mathematicis cap. LX. recenſeantur, à nobis ſilentiò prætermittentur. Non tamen ab his præclaris viris impetratum eſt, quo minùs cantus in Eccleſia *Alemannica* adhiberi ſolitus corrumperetur: planè ut neceſſum fuerit, veram *Muſicen* A. CIↃCCC. reſtitui ac renovari; ut apud Spelmannum in Gloſſario Petrus Herp, Dominicanus Monachus in Chronico Francofurtenſi verbis illis fatetur: *MUSICA ampliata eſt. Nam novi cantores ſurrexêre, & Componiſtæ, & Figuriſtæ inceperunt alios modos aſſuere.* Cæterùm non ſolùm mediis ſeculis intra templorum parietes hæſit *Muſica*, ſed ad bella etiam atque aciem translata eſt: ut per illam animi tam accenderentur ad fortitudinem, quàm præſentiſſimo Dei auxilio commendarentur. Meminit ejus moris præter alios Guntherus in præl. o *Friderici Barbaroſſæ* cum *Ligurinus* lib. VII.

Sic pulchro felix acies inſtructa tenore,
Carmine belligero, longeque ſonantibus hymnis
Divinam ſibi poſcit opem.

Alius & frequentior *Muſices* uſus in aulis Principum erat, quibus moris fuit, & quum convivia inirent, & quum ſomnum peterent, variâ Muſices harmoniâ demulcere animos; veluti in vita *Conradi Salici* oſtenditur.

6 V. Ultima inter populares artes eſt GRAPHICE, ſive ars pingendi; quæ licet ſit vetuſtiſſima, ſerò tamen ad *Romanos*, & ab his ad *Germanos* pervenit. Ac primò rudis admodùm & inconcinna in Majoribus noſtris, populo militari Pictura ſtetit, quum ad nullam ferè rem, quam ad ſcuta ornanda adhiberetur, quæ *lectiſſimis tantùm coloribus diſtinguebant*, veluti Tacitus lib. de morib. Germ. teſtis eſt. Poſtea animalium imagines, tauri, equi, urſi, lupi, cervi, adumbrari coloribus cœperunt: quum illas effigies ferre in bellum, & hoſtibus oſtentare gauderent. Quin & ſagula ſuis expreſſa ornataque coloribus ſunt: unde apud Tacitum in Annalibus de *ſagulis verſicoloribus*, ſæpius mentio occurrit. Exinde ad hominum aliarumque rerum imagines deventum eſt, eò præſertim tempore, quo *Franci* aliique *Germani* ad ſacra Chriſtiana traducti, effigies ac ſimulacra ſanctorum hominum in templa intulêre. Sed quum barbara mox tempora omnem Europam premerent, & variæ gentes ſuis ſedibus excitæ, cunctas venuſtiores artes bello & tumultu fugarent, *Pictura* ſuis vix auſpiciis gaviſa per *Germaniam* quoque concidit, aut ſaltem inhonora & ingloria jacuit. At poſt multorum ſeculorum

rum decurſum, quum in *Italia* caput iterum Pictura extuliſſet, ad ſummam & exactiſſimam perfectionem in Germania emerſit, ducibus *Alberto Durero, L. Holbenio, Luca Kranachio, Lamberto Lombardo, P. Paulo Rubenio, Ant. Dyckio*, aliisque, qui veterem pingendi gloriam, quam ſolis Græcis hactenus debebamus, ſubtiliſſimis ingeniis in gentis noſtræ gloriam traxêre. Sed in primis *Dureri* & *Holbenii* opera ſemper celebranda ſunt; qui non minore fuêre in pingendo gloriâ, quàm *Zeuxes*, aut *Apelles*, quorum per vulgata monumentis omnibus nomina ſunt. Uterque tamen, licet in arte pictoria præſtantes eſſent, diverſis excellebant laudibus: nam ut Lambertus Lombardus de Raphaele Urbinate & Titiano dicere ſolitus eſt, *Durero* tribuenda erat χάρις ſive *Venus*, quam uni ſibi *Apelles* reſervabat; in *Holbenio* extollenda erat amœnitas vivacitasque quæ imagines tantâ ſubtilitate ad ſimilitudinem repræſentabat; ut cum ipſius naturæ veritate certantes, animorum picturæ crederentur. Pertinent huc, quæ Felix Faber Monachus Ulmenſis in Hiſtor. Suevor. lib. I. cap. VIII. ſcribit: *Revixit in Germania ſcientia & eloquentia, & ex conſequenti quæque ingenioſa artes, ut Pictura & Sculptura. Amant enim ſe artes ha ad invicem. Ingenium Pictura expetit. Ingenium Eloquentia cupit non vulgare, ſed altum & ſummum. Mirabile dictu eſt, dum viguit Eloquentia, viguit Pictura, ſicut Demoſthenis & Ciceronis tempora docent, poſtquam cecidit facundia, jacuit & pictura. Videmus picturas, & ſculpturas, ac ſcripturas ducentorum annorum nulla prorſus arte politas, nec hominum ſed monſtrorum portentorumque facies. Scripta quoque illius ætatis rudia ſunt, inepta, incompta &c.*

VI. Venio nunc ad *Liberales Artes*, & primùm ad eas diſciplinas, quæ viam parant ad Philoſophiam: quales ſub *Polymathia* nomine priſci complectuntur. Ejus prima pars eſt PHILOLOGIA, quæ dum verſatur circà *Artes ſermonis formatrices*, & *Hiſtoriam omnigenam*, primùm in GRAMMATICEN, RHETORICAM, & POETICAM artem dividitur. GRAMMATICE præſtat, ut purus ſit ſermo: non vulgari quidem illâ legendi ſcribendique ſcientiâ, quam *Grammatiſticen* vocamus, ſed illâ benè ac rectè loquendi arte, quæ maximorum virorum ſtudio elaborata atque abſoluta eſt. Illius quantus honos, quantum ſtudium inter *Gothos*, veteres *Germanos* fuerit, docet nos *Athalaricus* Rex in Conſtit. XLIII. ubi Profeſſoribus Liberalium Artium ſtipendia lautiora conſtituit. *Prima enim*, inquit, *GRAMMATICORUM ſchola eſt fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundiæ: quæ cogitare novit ad laudem, loqui ſine vitio, hoc in curſu orationis ſic errorem cognoſcit abſonum, quemadmodum boni mores crimen deteſtan-*

tur externum. Est GRAMMATICA *magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, antiquorum nos cognoscitur juvare consiliis.* Haud minor artis dignitas apud *Francos*, quorum Imperator *Karol. M.* rerum gestarum magnitudine facilè Princeps, inter gravissimos labores, ad *Grammaticam Teutonicam* componendam sè accinxit: pulcherrimâ *Iulii Cæsaris* æmulatione, quem de hac arte scripsisse accepimus. Et *Karoli* quidem extat Constitutio, quâ pueros, tam serviles, quàm ingenuos, *Grammaticam doceri* jubet: haud injuriâ ratus, corruiturum omne aliarum artium, quicquid hisce fundamentis superstructum non esset. Mox tamen invalescente temporum caligine factum est, ut magna hæc scientia cum cæteris artibus ingloria atque oppressa jaceret: nisi quòd illam Monachi, qui imperitis seculis in desertam vacuamque literarum possessionem venerant, tractare aggressi sint. Ac sterile ejus languidumque studium facilè arguunt verba illa posterioribus seculis instar Oraculi habita: *Quantò melior Grammaticus, tantò pejor Theologus.* Sed seculo XIV. labes illa scholis nostris detersa est, & revocatis in *Germanum* orbem cæteris artibus, grandis hæc scientia primò per *Rudolphum Agricolam*, inde per *Erasmum* & *Melanchtonem* asserta, ad dignitatem suam serò rediit.

VII. Jam ornatum cultumque sermoni tribuit RHETORICE, quæ in rebus humanis regnum quoddam & principatum obtinere videtur, ut Medea apud Euripidem testatur. De ejus apud vetustissimos *Germanos* studio tradit Diodorus, *Bardorum* juxta ac *Druidum* persuasionibus, omnia tam domestica, quàm hostilia certamina apud Germanos composita fuisse: confirmatque hanc sententiam Mela lib. III. cap. II. his verbis: *Habent tamen & facundiam suam: magistrosq; sapientiæ Druides.* Sed & excitati paullatim ad Eloquentiæ Romanæ studium, quum *Germaniâ* primâ & secundâ in provinciam redactâ, *Latinus* sermo inter gentem invalesceret, & Lugduni in Galliis Cajus Cæsar Caligula certamen Græcæ Latinæque facundiæ institueret. Ac quum insequentium Principum *Romanorum* cura esset, ut feroces agrestesque *Germanorum* animi ad cultum humanitatis mitigarentur, passim Municipales scholæ institutæ sunt, in quibus Eloquentia doceretur: qualis illa apud *Clivos* fuit, cui *Eumenius Rhetor* imperante *Constantino* præfuit. Quæ tempestate viguêre Oratores Belgæ clarissimi, quorum Panegyrici *Constantino* & *Maximiano* dicti, in posteros supersunt: de quorum tamen oratione dicendum est, quod alter eorum ingenuè fatetur: *Neque enim ignoro, quantò inferiora sint*

ra ſint ingenia noſtra Romanis, ſiquidem Latinè & diſertè loqui illis ingeneratum eſt, nobis elaboratum, & ſi quid fortè commodè dicimus, ex illo fonte & capite facundiæ imitatio noſtra derivat. Nec heic tacendum *Theodorici* Gothorum Regis in Artem *Rhetoricam* ſtudium, dum non ſolùm Profeſſores ejus liberalibus ornavit ſtipendiis, ſed & ſæpius eruditis ſe declamationibus exercuit. Quem imitatus *Karolus M.* primus ex *Germanis* illa Oratorum propria, & quaſi legitima opera tractavit, ut egrederetur ornandi causâ, & augendo animos delectaret. Hinc Eginardus in vita ejus: *Erat Eloquentiâ copioſus & exuberans, proteratque, quicquid vellet, apertiſſimè exprimere. Nec patrio tantum ſermone, ſed & peregrinis linguis ediſcendis operam impendit, in quibus Latinam ita didicit, ut æquè illa & patria lingua orare ſit ſolitus.* Magnifica magis ſunt, quæ Aventinus lib. IV. de illius Principis Eloquentia refert; ubi & memorat, eſſe ſibi *Rhetoricam*, quam juſſu ejus Albinus perſcripſerit. Ac licet poſtea, tum barbararum nationum incurſionibus, tum Monachorum inſcitiâ aut invidiâ factum ſit, ut nobiliſſima hæc ſtudiorum Regina inter *Germanos* ad decus Romanæ elegantiæ haud perverenit, nec illo emicuerit vultu, qualem renaſcentibus literis poſtea vidit ætas; ſtetit tamen patriis ſuperba vocibus, ſapientibus ſententiis graviſſima, prudentiæ pleniſſima; & quum reliquas artes ex aulis atque civitatibus ejeciſſet ſeculorum barbaries, hanc neceſſitas retinuit, retentam uſus honoravit. Ita enim accepimus, magnum inter ipſos Principes viros certamen eloquentiæ fuiſſe: cujus exemplum ex antiquiore ævo nobis reliquit Saxo Grammaticus lib. v. ubi *Ericum* Suedorum Regem cum *Gothero* Rege Norvvegiæ, propoſitâ victoriæ palmâ, in certamen facundiæ deſcendiſſe memorat. Sanè inter egregias laudes, quas *Friderico I.* Imperatori Otho Friſingenſis & Radevicus tribuunt, illam cæteris omnibus præſtare autumant, quòd ad inſignem animi fortitudinem ac temperantiam, ſingulare Eloquentiæ ſtudium adjeciſſet. Sicut autem ea tempeſtate amabatur oratio pudica & maſcula, & majeſtatis ſuæ pondere fulta, qualis grandibus *Germanorum* ingeniis conveniebat; ita contemtui erat turgida ac maculoſa, & quæ enormi ventoſaque loquacitate exuberaret. Itaque quum *Graci* Oratores in aulam *Friderici I.* miſſi, ſesquipedalibus & phaleratis verbis uterentur, non ſolùm publico ludibrio irriſi, ſed & juſſi, ut Guntherus lib. VI. canit:

talia regnis
Ferre ſuis, Grajas & domi ſuſpendere nugas,
Verba & cum patriis phalerata relinquere tectis.

VIII. Sed veluti *Rhetorice* efficit, ut ſermo ſuaviùs accedat ad aures, ita Poeſis agit, ut altiùs ad pectus deſcendat. Quam divinam artem, quum multi præſtantes viri inter *Græcos Latinosque* ſummo ingenio excoluerint, & veluti propriam fecerint, Majores quoque noſtri tantô ſtudiô amplexi ſunt, ut vix alia diſciplina majore animorum contentione tractata, aut in potiore habita apud eos honore fuerit. Hinc de vetuſtiſſimis *Germanis* Strab. lib IV. *Apud univerſos tria ferè hominum genera in ſingulari habentur honore, Bardi, Vates, ac Druidæ. Bardi hymnos canunt, carminaq; conficiunt.* Igitur poëtas ſuos appellabant *Bardos*, qui egregiorum virorum laudes ad lyram canebant. Diodorus lib. V. *Sunt etiam apud eos carminum poëtæ, quos bardos vocant, hi ad inſtrumenta lyris non diſſimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant.* Meminit eorum ſua tempeſtate Am. Marcellinus lib. XV. *Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Atque horum carmina ſunt, quæ *Karolus M.* deſcripſiſſe, & memoriter didiciſſe fertur: de quibus Eginardus in vita ejus ait: *Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, ſcripſit, memoriæq; mandavit.* Et hoc unum apud veteres memoriæ atque Annalium genus, teſte Tacito, erat, ut verſu & carmine ipſam contexerent Hiſtoriam, & poſteris relinquerent. Idem de *Danis* teſtatur Saxo Grammaticus in Præfatione, ubi ſcribit: *Nec ignotum volo, Danorum antiquiores, conſpicuis fortitudinis operibus editis, gloriæ æmulatione ſuffuſos, Romani ſtyli imitatione, non ſolùm rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextus genere, velut poetico quodam opere perſtrinxiſſe: verùm etiam majora acta patrii ſermonis carminibus vulgata, linguæ ſuæ literis, ſaxis ac rupibus inſculpenda curâſſe.* Neque tamen is carminum uſus ſolùm erat, ut Heroum res geſtæ iis pangerentur, ſed etiam, ut animi ad virtutem gloriæque cupidinem inflammarentur. Quo ſpectat, quod Tacitus de Germanis ait: *Ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos.* Non igitur mirum, ſi *Poeſis* magno in honore apud eos erat, quum & gentis hiſtoriam complecteretur, & ad præclara facinora animos excitaret. Memorabile eſt, quod de illius pretio apud veteres *Danos* traditur: qui *Hiarnum*, quòd *Frothonem* regem epitaphiô ornâſſet, ad Regale faſtigium ſuſtulerunt. Lubet ipſa Saxonis Grammatici verba lib. VI. Hiſt. Danicæ, hac de re proferre: *Carmine edito*, inquit, *auctorem Dani diademate munerati ſunt. Ita ab eis epitaphium regno repentum, imperii pondus pauparum literarum contextui donatum eſt. Adeò exili impendio ingens præmium fluxit.*

Nec

Nec minor ferè dignitas apud *Gothos Suecosque* erat *Poëtis*, quos *Scaldos*, ſive *Scaldros* dixêre: hi enim ex præcipuo gentis ſuæ ſanguine orti, Regibus à primis conſiliis erant, ſuëti etiam Reges in militiam ſequi, ut deſcribenda eorum facinora propriis oculis capeſſerent: veluti Loccenius Antiq. Sueo-Goth. cap. xv. demonſtrat. Unde minùs mirandum, ſi ipſi Reges Principesque aliquando ad carminum confugerent tranquillitatem, & verſum pedibus inſtruerent; præſertim quum perſuaſum eſſet, furorem iſtum, ſive impetum, quo Poëtæ ad condendum carmen rapiuntur, à Numine pectoribus eorum immitti. Sanè apud Turpinum in vita *Karoli M.* legas ejus Principis verſus, quos in *Rolandi* mortem profudiſſe fertur: & apud Saxonem plurimi ex Septentrione Reges manum feliciter heroico lyricoque carmini admovent. Cæterùm poſt Karolum M. quum *Romanas Muſas* infeliciter primùm tentarent *Germani*, quòd linguæ ignorantiâ, & ſeculorum barbarie impedirentur: multi patriæ linguæ vocibus verſus includere cœperunt, rythmorum anxiâ curâ illepidos, & rudi dictione inficetos; de quibus illud dicendum eſt, quod de Saliaribus Romanorum hymnis ferebatur, cæteriſq; verſibus

qualia olim Vates Faunique canebant.

Sed poſt *Ludovici Bavari* tempora, quum reflorescentis eloquentiæ Princeps *Franciſcus Petrarcha*, apud *Italos* Poeſin Latinam, velut ab inferis revocâſſet; ſurrexêre quoque inter Germanos præclara ingenia, quæ invidendo ipſis Romanis conatu, carmen Latinum felici & audaci pede calcârunt. Inter quos primo loco memorandus eſt Conradus Celtes, quem Cæſar *Fridericus III.* primum inter omnes *Germanos* laureâ poeticâ inſignivit; crevitque artis honos, quum eundem Maximilianus promulgatâ *de Honore & Privilegiis Poetarum conſtitutione*, in Viennenſi Academia *Poeticam* docere juſſiſſet. Ab eo tempore magnus Poetarum proventus in *Germania* fuit, qui Latino æque ac patrio carmini ſtudium addixêre: plures procul dubio & meliores futuri, niſi coronæ laureæ etiam ad imperitos delatæ eſſent, & divinam cœleſtemque artem ipſa canentium vilitas paupertasque proſtituiſſet.

IX. Hinc jam HISTORIAM luſtrabimus, partem *Philologiæ*, ut inter omnes convenit, difficillimam, & ſimul utiliſſimam: inter cujus innumeras laudes haud poſtrema eſt, quod *Speculum Divinæ Providentiæ* ab omnibus appelletur, & habeatur. Scio, noſtrates ſæpe ac multùm queri, non proveniſſe olim egregia apud nos ingenia, quæ ad nobiliſſimum hoc ſtudium ſe appulerint: unde neglectam jacere gentis patriæ hiſtoriam,

riam, & id tantùm ex noſtris cognoſci rebus, quod *Romani*, occaſione cladium ſuarum, Annalibus ſuis inſeruerint. Quorum ego opinionem, quamvis hiſtorica *Druidum* carmina occurrunt, facilè admittendam cenſeo, ſi vetera tempora, quae ſtantibus rebus Romanis inciderunt, ſecum reputant: nam poſterioribus ſeculis magnam Scriptorum copiam ex ipſa gente noſtra prodiiſſe, haud illi diſſimulabunt, qui mecum per Hiſtoriae noſtrae tempora, & clariora nomina ire avebunt. Poſt collapſas Romanorum opes, quum *Franci Gothique* paſſim rerum potirentur, ſeculo poſt natum Chriſtum ſexto magnam in Hiſtoria patria claritatem adeptus eſt JORNANDES, homo *Gothus*, qui de rebus Geticis, quas Caſſiodorus fuſè perſecutus erat, concinnam hiſtoriam compoſuit. Eodem aevo viguit GREGORIUS *Turonensis*, Epiſcopus Turonicus, ſcriptor diligens & accuratus, qui decem libris Hiſtoriam Francorum complexus eſt. Seculo ſeptimo magna fuit fama ISIDORI Hiſpalenſis, ſtirpe *Gothi*, qui de origine *Gothorum*, tum de regno *Vandalorum Suevorumque* commentaria vulgavit. Seculo octavo memorandus eſt EGINARDUS ſive EINHARDUS, gener & Cancellarius Karoli M. quem Voſſius pater omnium Germaniae hiſtoricorum vetuſtiſſimum vocat: cujus liber de vita Karoli M. ſingulari dictionis puritate atque elegantia pollet. Tunc quoque PAULLUS DIACONUS ſive WARNEFRIDUS claruit, qui de geſtis *Longobardorum* ſcripſit. Seculo nono THEGANUS Francus de *Ludovici Pii* rebus geſtis librum edidit: NITHARDUS *Karoli M.* nepos, libros quatuor de diſſidio filiorum *Ludovici Pii* reliquit: AIMOINUS Monachus, egregius ſcriptor, de geſtis Francorum luculentum opus publicavit. Seculo decimo dicendi ſunt RHEGINO Abbas Prumienſis, qui duobus Chronicorum libris, potiſſimùm res Francicas tractat: LIUTPRANDUS, qui de rebus Europaeis, & *Ottonu* Auguſti hiſtoriam condidit: WINDUCHINUS, ſive WINDIKINUS, Monachus Corbejenſis, qui fideliter de geſtis *Saxonum* & rebus *Ottonis I.* ſcripſit: LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS, quo nemo politiùs aut exactiùs veteres res, juxta Joſephum Scaligerum & J. Lipſium, conſignavit. Seculo undecimo HERMANNUS CONTRACTUS ex illuſtri Comitum Veringenſium ſtirpe natus, inter caetera *Chronico* de ſex Mundi ætatibus nomen ſibi parit: BRUNO Monachus hiſtoriam belli *Saxonici*, & vitam *Henrici IV* conſcribit: M. ADAMUS BREMENSIS *hiſtoriam Eccleſiaſticam* a temporibus Karoli M. usque ad Henricum IV. proponit: DODECHINUS Monachus *Marianum* continuat: WIPPO laudes *Henrici III.* & vitam *Conradi Salici* contexit. Seculo undecimo & duodecimo

cimo Sigebertus Monachus Gemblacenſis Chronicon ſuum incipit ab A. CCCLXXXL & ad A. CIↃXII. perducit: Otho Friſingenſis candidus & gravis ſcriptor, *Chronicon* rerum ab initio Mundi ad ſua tempora geſtarum, tum res *Friderici Barbaroſſæ* componit: Radevicus Friſingenſis Canonicus, neceſſarius & probus hiſtoricus, res geſtas ejuſdem Friderici exarat: Conradus à Lichtenavv, Abbas Urſpergenſis Chronico ſuo, quod exorditur in *Belo*, & deſinit in *Friderico III.* gloriam invenit: Saxo Grammaticus Danus, gentis ſuæ hiſtoriam ſplendidè ac magnificè recenſet: Helmoldus ad nominis decus *Chronicô Sclavorum* pervenit. Seculo decimo tertio Albertus Abbas Stadenſis, Henricus Stero, Lupoldus de Babenberg, Conradus, Chronici Moguntini Auctor, Hiſtoricis ſtudiis & operibus inclaruêre. Seculo XIV. Albertus Argentinenſis Chronicon à Rudolpho I. ad exceſſum Karoli IV. in lucem emittit: eodem tempore Johannes de Beka & Monachus *Rebdorfienſis* Chronicis ſuis claritudinem meruêre. Seculum XV. præſertim ubi Maximiliani I. tempora contingit, clariſſimis Hiſtoricis fœcundum eſt: vigueruntque Wernerus Kolevinc Weſtphalus, Auctor *faſciculi temporum*, Albertus Krantzius, Joh. Nauclerus, Paulus Langius, Joh. trithemius, Beatus Rhenanus, Jac. Wimphelingius, Joh. Auentinus, Joh. Cuspinianus, aliique numerô plures, quos vir de literis optimè meritus Joh. Gerardus Voſſius in præclaro opere de Hiſtoricis Latinis paſſim enarrat. Unum adhuc addendum eſt, tantum ſemper pretium apud nationes Germanicas ſtudio fuiſſe Hiſtorico, ut ipſi Principes ad componendam Hiſtoriam ſe accinxerint: quemadmodum Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, Henrici Aucupis filius; Hildebertus Oſtro-Francorum Dux; Otho Friſingenſis, Marchio Auſtriæ; Ericus Daniæ Rex X. Hermannus Contractus, Comes Veringenſis, editis monumentis Hiſtoricis famam ſibi quæſivêre.

X. Altera *Polymathiæ* pars eſt Mathesis; cujus vocis nativam vim ſe conſideres, πάντα μαθήματα ſive diſciplinas comprehendit univerſas; ut veriſſimè Scaliger dixit. In qua ſive Arithmeticen, ſive Geometriam, ſive Astronomiam, ſive ipſam denique Mechanicam ſpectes, haud quicquam Majores noſtri ceſſêre *Egyptiis* & *Græcis*, qui in iſto ſtudiorum genere excelluiſſe viſi ſunt. Arithmeticæ quidem, quæ Pythagoreorum judiciô primum ſapientiæ opus

eſt, grande ſui pretium apud *Gothos* invenit: quorum Rex *Th*
cus in Conſtitutione LXXVI. *De Agrimenſore finium regendorum*, g
mis illam verbis commendat, quòd hæc ſola ſit, *quæ inter a*
Mundi certiſſimâ ratione conſtitat. Adauxit ſtudium Karolus M. (
Eginardus in vita ejus ſcribit: *Diſcebat & artem computandi, &*
tione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſimè rimabatur. Neglectam in
velut cum cæteris literis ſepultam, efflorescentibus iterùm fl
revocârunt *Henricus Glareanus*, *Gemma Friſius*, *Chriſtophorus C*
aliique eruditi Germani, quorum profundiſſimo feliciſſimoque
nio factum eſt, ut Germanis hac in arte pateret, quicquid p
ri apud *Arabes* latebat, In GEOMETRIA, ampliſſima & pulch
figurarum ſcientia, cujus gloriam ab *Ægyptiis* habent *Græci*, p
inter *Germanos* laudem meruêre, *Gothi* qui illam in Scholas f
troduxerunt: adjuvante inprimis ſtudium *Aurelio Caſſiodoro*,
opuſculum de *Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtronomia* in poſteros
tum eſt. Sed & à *Francis* nobiliſſima ſcientia avidè arrepta,
Karolum M. promota eſt; poſt cujus tempora quum jaceret in
magno ſtudio circà A. CIↃL. *Hermannus Contractus*, Comes Vet
ſis vindicare illam cœpit, editis de *quadratura circuli* libris,
poſteritatem ſuam durarunt. At nemo illam diſciplinam pro
ùs penetravit *Alberto Magno*, qui circà An. C. CIↃCLX. floruit:
veſtigiis diu poſt inhæsêre *Johannes Mullerus Regiomontanus*,
Wernerus, quorum ille de *quadratura circuli*, hic de *elementis Co*
ſectione Sphæræ, èruditos labores reliquerunt. Ex eo tempore
cætera ſtudia, ita *Geometria* apud Germanos vigere cœpit, ex
tibus eam *Alberto Durero*, *Philippo Apiano*, *Conrado Daſypodio*, G
Xylandro, *Chriſtophoro Clavio*, *Jacobo Chriſtmanno*, qui clarum
loſophicis & Mathematicis ſtudiis nomen obtinuêre. Jam As
CIAM, poſt ſubverſam *Druidum* induſtriam, qui apud Melan
cœli ac ſiderum ſcire ſe profitentur, cura *Karoli M.* inter Germanos
mùm excitavit, qui & *Ephemerides* conſcripſit, ut & foris ver
ita domi obſervando ſidera, inprimis delectatus eſt: non
etiam Anno, menſibus, ventis impoſitis, quæ adhuc inter
nos obtinent; ut Eginardus in vita ejus auctor eſt. Nec alite
Aventinus lib. IV. Annal. Bojor. *Aſtrorum diſcipline plurimùm*
navavit: abaco exercitatiſſimus, cœli ſiderumque meatus atque natu

rioſſimè rimatus eſt. Poſtea ſtudium hoc, quum prorſus jaceret, ex Imperatoribus *Fridericus II.* ſuſcitare conatus eſt ad Arabum exemplum; unde μεγαλην Ptolomæi σύνταξιν teſte Voſſio, ex Arabico Latinè verti juſſit. Inde paullatim nobiliſima illa provenêre ingenia, *Georgius Purbachius, Joh. Regiomontanus, Joh. Curio, Nicolaus Copernicus, Georgius Joachimus Rheticus, Gemma Friſius, Tycho Brahæus*, qui nobilem illam & auguſtam ſcientiam, ſupra *Chaldæorum Perſarumque* ſolertiam, exquiſitiſimô ſtudiô excoluêre. Sed inprimis *Germaniâ* omnem Aſtronomici ſtudii laudem debet *Nicolao Copernico, Boruſſo*, qui Hipparchi & Ptolomæi induſtriam exſuperans, hypotheſes Ptolomaicas principiis Mathematicis eſſe adverſas docuit, & inimitabili ante cæteros conatu, ſubtilitate abſolutâ Hypotheſes novas conſtituit, in quibus Sol in centro univerſi quieſcit, terræ autem & aquæ globus cum vicino aere, circà Solem motu triplici volvitur. Nihil hic de cæteris *Matheſeos* partibus OPTICA, GEOGRAPHIA, GEODESIA dicam, quum vir ſummæ eruditionis Gerardus Joh. Voſſius in earum recenſione, *de Scientiis* Mathematicis, induſtriam *Germanorum*, & abſoluta ingenia, plurimis paſſim laudibus extollat.

XI. At omni ſemper laude prædicandum Majorum noſtrorum ſtudium, quod in MECHANICA poſuêre; dum prodigiosâ machinarum inventione & ſtupendis operibus, non ſolùm veterum *Græcorum Latinorumque*, ſed omnium gentium induſtriam anteceſſerunt. Nec enim mihi *Græci* tantopere columbam illam ligneam *Architæ Tarentini* jactaverint, quæ occultâ ſpiritus aurâ eam comitante volitabat: quum artificum *Noribergenſium* ſolertiâ factum ſit, ut muſca ferrea è manibus ſe attollens convivas omnes circumvolitaret, ac deinde velut defeſſa ad manum artificis rediret. Qualis & illa Aquila lignea, quæ ad quintum ab urbe lapidem *Karolo V.* Imperatori eſt obviam facta, atque eum ad portas usque civitatis comitata, placidè procubuit; veluti hæc & ſimilia *Mechanices* exempla Harsdorfferus narrat. Verùm quum Pappus præcipuam *Mechanices* partem conſtituat Θεμελιωτικὴν, quæ conficit inſtrumenta bello accomoda, nos in hac primùm induſtriam *Germanorum* veterum conſiderabimus. Heic mihi ſtatim occurrit horrendum illud & admirandum Germanici ingenii inventum, nova belli machina, terreſtre

fulmen, ac cœli tonantis imago: *Bombardam* alii à ſono, alii *Tormentum* dixêre. Cujus vires apud Scaligerum patrem iſtis verbis haud falsô Germani prædicant: *Quid amplius reſtat invicto animo GERMANO faciundum? Pace tua dicam, Jupiter: etiam fulmina commenti ſumus, non tinnitus dementiam Salmonei cujusdam Graculi vanam, neque ſonitum potiùs, quanquam & hunc ipſum quoque, ſed vim illam terrificam, impetum, impreſſionem, disjectionem, denique vaſtationem non tam imitati ſumus, quàm expreſſimus, idque etiam ſereno cœlo. Age, coge nubes, ut tonare queas, nos etiam te tranquillo iratum regnum tuum faciemus.* Atque hujus inventionis laus una & propria *Germanorum* eſt, de qua nemo cum iis in certamen deſcendere auſit: ut imprudentiæ aut ignorantiæ arguendi ſint, qui ante multa ſecula *Chinenſibus* aut *Syracuſiis* bombardas tormentaque in uſu fuiſſe ſtatuunt. Quem errorem præter gentis noſtra ſcriptores, Munſterum, Maginum, Beſoldum, ſatis refutant Itali Gallique auctores Petrus Ramus, Stephanus Forcatulus, Polydorus Vergilius, Paulus Jovius, J. Cæſar. Scaliger, Octavius Ferrarius, qui unanimi conſenſu omnem inventionis gloriam *Germano* circâ ſeculum XIV. deberi fatentur. Porrò quum magna *Mechanices* pars conſtituatur Σφαιροποιία quæ Γνωμονικὴν tum μετεωροσκοπικὴν continet; id ad immortalem Majorum noſtrorum laudem dicendum eſt, quòd primùm *Horologiis* diſtinxerint & computaverint temporis ſumptum, exiguâque machinâ, incluſo orbis ſpiritu, viva rotarum vertigine, labentium ſignorum curſus, ſtatos ſiderum labores temperaverint, ac mundum evolverint. Qua de re malumus adſcribere ipſa verba facundiſſimi Itali, Octavii Ferrarii, in Proluſione de Laudibus Germaniæ: *Sic victâ Syracuſii ſenis Sphærâ inriſa ſolariorum ac clepſydrarum fabulâ, nubilo diei, aut nocturnis tenebris, Solis iter per quadrantes & minuta puncta repræſentat, & comminuto articu, latim die, labi vitam per momenta indicat, vigilque & excubans ſilenti nocte loquitur, opusque oculorum etiam ſopitis auribus adnumerat, tantâ operis ſubtilitate, ut annuli gemmâ compactam GERMANI manu Univerſitatem, ac Mundi motum acceperimus.* Non heic memorabo, etſi maximè deberem, tertium *Germanici* ingenii inventum, munus Superis ipſis invidendum, quo ne majus quidem optare ab iis potuiſſemus. *Typographiam* dico, ingeniorum vitam ac literarum tutelam, moram præcipitis ævi; absque qua fuiſſet, ut præter ſuperfuſam Europæ barbariem & inflammatas bello Bibliothecas, deſidia atque incuria,

& de-

& deſcribendi tædium, omnique etiam induſtriâ potentior ævi tabes, literarum nomen penitus excidiſſet. Cujus divini inventi laudem, dum diverſis Scriptoribus inter Moguntinos, Harlemenſis, Argentoratenſes communicatur dividiturque, omnium optimè & juſtiſſimè aſſeruit *Joh. Trithemius*, Abbas Sponhemenſis, in præſtantiſſima & publicâ luce digniſſima M. S. hiſtoria, quæ in Bibliotheca Sereniſſimi Principis Bipontini aſſervatur. Quæ quum ita ſint, nec falsò, nec arroganter ille apud J. Cæſarem Scaligerum gloriatur: GERMANI *Bombarda Jovis iram imitati ſumus: tempus ipſum librorum perpetuitate ſuperavimuſ: horologiis temporum comites rotarum circumactiones effecimus.*

XII. A *Polymathia* nunc me confero ad ipſam PHILOSOPHIAM, ſtudiorum Reginam; in cujus venerabili cultu intueri primùm lubet *Druides* & *Vates*, quorum illi apud vetuſtiſſimos *Germanos* quæſtionibus occultarum aliarumque rerum inſudantes, etiam de moribus diſputabant; hi rerum naturalium ſcientiam, motusque cœli ac ſiderum obſervabant: quod de utriſque Diodorus lib. v. & Strabo lib. IV. teſtantur. Per hos in multis Germaniæ Galliæque locis inchoata laudabilium doctrinarum ſtudia viguêre, uti temporibus *Juliani* Cæſaris Marcellinus lib XV. ſcribit. Sed poſtea *Karolus M.* quum ad religionem Chriſtianam cunctas attemperaret diſciplinas, ſanctiorem *Philoſophiam* invexit, quæ placitis Pontificum & Eccleſiæ ſuperſtructa erat. Inde *Karoli* genere extincto, quod decimo poſt Chriſtum natum ſeculo fuit, poſtquam omnis propè eruditio ab orbe Germano ejecta eſſet, concidit quoque ſanior & robuſtior *Philoſophia*, novumque philoſophandi genus immigravit, quod inter difficiles moroſasque *Scholaſticorum* nugas ſtetit, & inhorruit. At in ipſis tenebris, circa Annum Salutis CIↃCXXXVIII. exortus eſt *Otho Friſingenſis*, uterinus frater *Conradi III.* Imperatoris, qui quemadmodum primus Epiſcoporum Germaniæ, vel ſaltem inter primos erat, qui literarum ſcientiâ, ac *Philoſophiæ Ariſtotelicæ* ſubtilitate imbuti forent; ita etiam primus ferè in *Germaniam* hoc Philoſophandi genus induxît; ut Radevicus illius æqualis lib II. de geſtis Friderici I. cap. XI. prodit. Poſt illum, temporibus *Rudolphi I.* magna fuit exiſtimatio *Alberti Magni*, Epiſcopi Ratiſponenſis, qui ſicuti Arithmeticen, Geometriam, Muſicam, Aſtrologiam, ità omnem Philoſophiam ſcriptis illuſtravit

De

De quo extat illud judicium Scaligeri patris, acerrimi in eo ſcientiarum genere æſtimatoris, in Oratione ad Germanos: *Nolo jam vobis Philoſopherum nominibus obſtrepere: inter quos unum atque alterum Albertum hi qui deſpicatui habent, potiùs contemnunt, quæ exoptare deberent, quàm admirantur ea, quibus ignavi carent. Ita enim ſeſe ad majoris Alberti ingenium fabricandum accinxit natura, ut vires ſuas exhauſerit, ſe ipſam vicerit, victa opere ſuo obſtupuerit, effœta poſtea facta fuerit.* Quum inde literarum & Philoſophiæ ſtudia in Italia revocarentur, mox eadem Germaniæ ſuæ reſtituit *Rudolphus Agricola*, Groninganus, Vir Latinè, Græcè & Hebraicè doctiſſimus, & Philoſophus ſummus: de quo veriſſimè inter alia cecinit Hermolaus Barbarus in Epithaphio, quod Heidelbergæ apud Minoritas viſitur:

Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis.
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Sed ſuperiori ſeculo *Deſiderius Eraſmus*, *Joh. Reuchlinus*, *Ph. Melanchton*, *Joachimus Camerarius*, incomparabilem operam ad inſtaurandum omne genus eruditionis contulerunt, tum inprimis Philoſophiam, ſordibus atque ignorantiâ Monachorum pollutam, ad priſtinum decus famamque inter Germanos ſuos perduxere.

XIII. Sed *Philoſophiæ* partes potiſſimùm duæ ſunt, altera PHYSICA, altera PRACTICA: quarum illa METAPHYSICAM, PHYSICAM ſtrictè dictam, & THEOLOGIAM NATURALEM complectitur. In METAPHYSICA, ſive ſcientia *Entis* raram parvamque operam Majores noſtri ante ſeculum XL poſuêre, quòd *Philoſophia Peripatetica* ſerò introducta eſſet: etiam poſtea à *Lombardo* Theologiæ Scholaſticæ auctore, vix in limen Theologiæ admiſſa, quum Philoſophiam & rationes humanas ſacris in rebus parcè adhibendas cenſeret. Verùm poſt ſeculum XII. quum *Albertus M.* Theologiam Scholaſticam emendâſſet, Philoſophia & inprimis *Metaphyſica* Ariſtotelica in ipſa Theologiæ ſacraria irrupit, principemque in rerum divinarum interpretatione locum occupavit. Quæ tamen mox *Realium*, *Albertiſtarum*, *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, diſſidiis fœdum in modum lacerata, & inde poſt *Durandum Portianum* monſtroſâ diſtinctionum ac terminorum novitate deformata ſtetit, & ſimul obriguit. Ac fuit illud tempus *Philoſophiæ* fœcundiſſimum,

qui

qui passim caliginoso illi seculo audiunt *Illuminatissimi, Scientifici, profundi, irrefragabiles, universales, acutissimi, & valde resolutivi Doctores Doctorati & Magistri, Magistri nostri & praestrandi, Baccalaurei formati & formandi:* donec illam seculorum barbariem ac putida nomina sustulit sanctior Ecclesiæ Reformatio, quæ cum puriore Religione saniorem Philosophiam reddidit. Paulo feliciorem successum habuit PHYSICA, scientia naturalis, quam antiquissimis temporibus *Vates* profitebantur; veluti jam ex Diodoro Siculo & Strabone narravi. Hi, ut Marcellinus lib. XV. loquitur, *scrutantes summa & sublimia naturæ pandere condebantur;* multa præterea de auspiciis ostentisque disputabant. Fuêre & apud Germanos Septentrionales, quos Saxo Grammaticus lib. I. Hist. Dan. inter tria illa Mathematicorum genera, loco primo ponit, *qui primam physiculandi solertiam obtinentes, artem possedêre Pythonicam;* quorum stupenda opera ex abstrusis naturæ miraculis ducta, passim apud eundem auctorem recensentur. Invalescente autem religione Christiana, quum melioribus fidei nostræ apparatibus abolita essent gentium scita, *Physica* potissimum à Theologis & Medicis recepta atque exculta fuit: quippe illos ex libro Naturæ relucentem Dei potentiam, sapientiam, bonitatem speculari juvabat: hi curandis corporibus intenti, causas nexusque rerum naturalium cognoscere gestiebant. Quanquam apud Theologos, post *Karoli M.* ætatem, non tam ad genuinam laudem perducta, quàm per portentosas opiniones deformata steterit: dum causarum omnium mutuos inter se nexus, certasque conjunctiones intelligentes, Dei immortalis consilia atque imperia ostentis auspiciisque mortalium generi præcisè indicari, religiosè arbitrabantur. Cæterùm hæc ad *Physicam Speculativam* pertinent, cujus partes *Chiromantia* & *Oneirocritice* etiam constituuntur: nobis nunc lubet persequi *Operativam*, quæ & ipsa contemplatur naturam, sed industriâ humanâ subactam ita, ut ope & adminiculo ejus indigeat.

XIV. Igitur in *Physica Operativa* primùm spectabimus ea, quæ alimoniam præstant vel procurant; inter quæ primum obtinet locum AGRICULTURA, cui *Germanos* veteres minimè studuisse, Strabo lib. VII. auctor est. Et Cæsaris verba de Germanis Comment. lib. VI sunt: *Agriculturæ non student, majorque pars victus eorum in lacte, & caseo,*

caseo, & carne consistit. Nec tamen putandum est, fuisse *Germanis* nullam Agri curam, quum Tacitus peritissimus rerum nostrarum, diversum statuat: Sed Cæsaris Strabonisque sententia est, studium agri colendi non fuisse in præcipua & enixa cura: unde & Tacitus, *delegatam agrorum curam fœminis, senibusque, & infirmissimo cuique* testatur. Hinc nec anxiâ, nec avarâ limitum descriptione, agros finiebant, nec privati ac separati agri apud eos, teste Cæsare, quicquam erat; sed ut Tacitus ait, *Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se, secundùm dignationem partiuntur.* Diligentior postea & magis curiosa agri colendi cura introducta est, quum *Alamanni* & *Franci*, aliique, non tam recenti ferâ, aut agrestibus pomis, quàm frumentô vivere cœpissent: unde agri in suos divisi limites, quos *Mansos*, *Hydas*, *Acras*, *Huobas*, *Manerias*, mediis passim seculis vocitari audias. Sic illa regio, quæ sylvis olim & nemoribus immensis tegebatur, ad usum decusque agrorum castigata est: crevitque *Agriculturæ* dignitas, quòd *Germani* maximam partem rure habitarent, innoxiisque camporum deliciis gavisi, superba illa Urbium claustra, quæ postea provinciam totam occupârunt, magno animo aversarentur. Atque hæc de cultura agri, quatenus frumentum respicit. Ad *Vitem* ejusque cultum quod spectat, id satis cognitum est, temporibus Cæsaris ac Taciti, ripæ proximos emisse vinum, *Suevos* autem ad se importari non sivisse, quòd eô, ut Cæsar ait, ad laborem ferendum remollescere homines, atque effœminari arbitrarentur. Itaque contenti potûs genere, qui hordeô & frumentô in quandam similitudinem vini corruptus erat, nullum vitis plantandæ studium habuêre: donec *Probus* Imperator circa An. Christi CCLXXVII. *Hispanis*, *Gallis*, *Britannis* potestatem fecit colendi vitem, ut Aurelius Victor & Eutropius tradunt. Et scribit de eodem Vopiscus in vita ejus: *Gallis omnibus hic permisit, ut vites haberent, & vinum conficerent. Ipse Almam montem in Illyrico circà Sirmium militari manu fossum, lectâ vite consevit.* Exinde *Germania Cis Rhenana*, quâ suprà inumbrantes Rhenum colles agrosque in Gallias declinat, vitem aluit, quæ & indefesso incolarum studio, & propitiis collibus nutrita, suprà Massici & Lesbii vini famam crevit. At in *Germania Trans Rhenana*, nonum circà seculum, nullam adhuc vitem viguisse, inde recte colligit Lehmannus, quòd quum inter *Ludovici Pii* filios, di-

vide-

videretur Francorum regnum, *Ludovicus* præter *Germaniam Transrhenanam* ſortitus ſit civitates nonnullas & pagos cis Rhenum, propter vini copiam: quæ loca *Moguntiacum*, *Vangiones*, & *Nemetes* Aventinus lib. IV. appellat. Major vetuſtiſſimis *Germanis* cura circà PASTORITIAM, quòd magnam partem lacte atq; pecore viverent, ut Cæſar lib. IV. affirmat. Huc accedebat, quòd in re pecuaria omnes eorum divitiæ ſitæ eſſent, *eaque ſola & gratiſſima opes*, teſte Tacito, haberentur: unde & in delictis, equorum pecorumque numero convicti mulctabantur. Pariter in uſu commerciorum, quum irati, an propitii dii aurum argentumque illis negâſſe viderentur, permutatione pecudum utebantur, more generis humani priſco & ſancto, ſed quem poſtea Germani exuerunt, poſtquam Græcorum Romanorumque mores irrepsêre, & ipſi Majores noſtri, pecuniarum amore turbati, blandientibus fœnoris avaritiæque vitiis ignoſcere cœperunt. Magnus tamen poſteris ſeculis *Paſtoritiæ* honos, poſtquam Urbes ad *Oceanum Balthicum* ſitæ, aliæque ad *Rhenum*, *Danubium* & *Albim* commercia equis, bobus, lanâ, caſeis, & his ſimilibus inſtituerent.

XV. At omnium maximum & ferventiſſimum priſcis in VENATIONE ſtudium, quo vitam ferè perpetuam tranſegêre. Cæſar belli Gallici Comment. lib. VI. *Vita omnis in VENATIONIBUS atque ſtudiis rei militaris conſiſtit.* Et Tacitus de moribus Germanorum: *Quoties bella non ineunt, multum VENATIBUS, plus per otium tranſigunt.* Idem poſteris ſeculis *Venationis* amor, præſertim apud *Francos*, quos hac in re à nulla natione ſuperari, Eginardus fatetur. Ita Karolus M. *exercebatur aſſidue venando, quod illi gentilitium erat*: idem *filios, quam primum ætas patiebatur, MORE FRANCORUM equitare, armis, ac VENATIONIBUS exerceri fecit*; uti verba eiusdem Eginardi ſunt. Hinc magnifica illa *Perſarum* Regis verba apud Aventinum Annal. Bojor. lib. IV. quibus illud ſtudium in *Karolo M.* & *Germanis* extollit: *Felicem Karolum fratrem meum, felices populares ejus Teutonas. Equidem audivi ſæpius, & ut video, non eſt vana fides, vos eſſe A TENERIS UNGUICULIS IN VENATIONIBUS: & hujusmodi quotidiana exercitatione aſſuefactos, vires & ingenium alere: in bosque artus, atque in eam corporis & animi magnitudinem creſcere, ut haud immerito pares atque capaces ſitis Imperii orbis terrarum.* Acceſſit grande exercitio pretium, poſtquam *Henricus I.* Imperator, quem *Aucupem* dixêre, venando intentus egit ætatem: auctâ etiam ſtudii iſtius

ſtius nobilitate, ex quo *Fridericus II. Ænobarbi* nepos *Venationem* & inprimis *Artem Aucupii* duobus libris luculenter explicavit; cujus Balthaſar Bonifacius Hiſt. Ludicræ: lib. II. cap. XLI. meminit. Nimirum gentes fortiſſimæ Venationem, convenientiſſimum militaris roboris incitamentum, bellicæque diſciplinæ putabant tyrocinium, quo & futuri duces imbuerentur, atque ad omnem patientiam, corporisque duritiem juventus exerceretur. Qua de cauſa quoque factum eſt, ut ſerò in *Germania Transrhenana* extiterint urbes, dum nobiliſimi quique, qui ſummam voluptatem venatione metiebantur, oppidorum clauſtra aſpernati, patentibus campis ſubmovere feras, & apricos montes luſtrare geſtirent, venandique exercitium omnibus præferrent rebus, tanquam.

Germanis ſolenne viris opus, utile famæ,
Vitaque & membris.

Cæterùm prima, & verè regia *Venatio*, ſicuti apud cæteros mortales, ita apud primos *Germanos* duplex erat: aut enim cum fugacibus feris curſu, aut cum audacibus robore certabant. Poſtea etiam placuit, ut cum callidis aſtu pugnaretur; inventis adhibitiſq; retibus ac laqueis, de quibus Poeta:

Scit benè Germanus cervis ubi retia tendat,
Scit benè quâ frendens valle moretur aper.

Succeſſit inde Venatio, inſtituta cum avibus, accipitre, falcone, niſo, quod *Aucupium* vocant: genus venandi priſcis gentibus haud incognitum, ſicuti perperam Flavius Blondus in Italia illuſtrata, & Budæus ad Pandectas exiſtimârunt: quum jam Ariſtoteles, & Solinus Thracibus illud tribuant. Neque veritati conſentaneum eſt, quod Lilius Gyraldus Dial. VI. opinatur, eam venationem à *Friderico I.* Cæſare, quem *Barbaroſſam* vocant, inventam, ipſique *Italiæ* & *Germaniæ* redditam, quum jam vetuſtioribus temporibus penes Francos ſummo in uſu & honore fuerit, apud quos inter venatores regios *Falconarius* & *Accipitrarius* Hincmaro in Epiſt. III. memorantur. Sic frequens mentio *Acceptoris* eſt in Legibus Salicis & Ripuariis, quomodo Franci *Accipitrem* nuncupabant. Et in Receſſu Comitiorum Generalium per *Karolum M.* facto, reperio illam legem: *Ut Epiſcopi,*

piſcopi, & Abbates, & Abbatiſſæ cuplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores. Tantam autem voluptatem, tantumque ſtudium in hoc venationis genere poſuêre Majores noſtri, ut lege etiam prohiberent, ne quis *Spatham*, vel *Accipitrem* ſuum in ipſam capitis redemptionem præbere cogeretur: quum hic non minùs vitæ ſolatium, quàm illa libertatis vindex præſidiumque haberetur; quemadmodum doctiſſimus Spelmannus ex priſcis legibus probat. Quin ipſos, qui vel canem, vel accipitrem alterius furtim ſubtraherent, omni ludibrio & dedecore afficiendos exagitandosque decrevêre. Unde *Burgundiones* Legum ſuarum Additam. 1. tit. x. *Si quis canem veltraum, aut ſegutium, vel petrunculum præſumpſerit involare; jubemus, ut convictus coram omni populo poſteriora ipſius* (canis) *oſculetur.* Et poſt Tit. x. *Si quis Acceptorem alienum involare præſumſerit, aut ſex uncias carnis Acceptor ipſe ſuper teſtones comedat, aut certè ſi voluerit, ſex ſolidos illi, cui Acceptor eſt, cogatur exſolvere.*

XVI. Atque hæ *Phyſices Operativæ* partes alimoniam præſtant; ſed valetudinem conſervat MEDICINA, ars auguſta, & *Deorum doctrina*, ut Lucianus dicebat; quæ ſola ſervandis mortalibus certare cum Superis ipſis poteſt. Hæc olim apud Majores noſtros tractabatur per *Vates*, veluti ex illis Plinii verbis lib. xxx, cap. 1. colligo: *Tyberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas Gallorum, & hoc genus Vatum Medicorumque.* Rudem, & incultam fuiſſe tum ea ætate, tum poſteris aliquot ſeculis ſatis evincit ipſius gentis genius, cui ſimplex agreſtisque victus, apparatus tenuis, ſuperfluarum opum aut deliciarum nulla notitia, aut cura: quæ ſicuti per illam vivendi abſtinentiam & frugalitatem, non in tot ac tanta morborum diſcrimina incurrebat, in qua noſtra hodie intemperantia nos præcipitat: ita in adverſam valetudinem prolapſa, medicam ſibi manum domeſtico facilique remediô afferebat. Poſtea, quum *Gothi*, domitâ Italiâ, in Romano ſolo conſediſſent, Regum ſtudio *Medicina* ad Romanorum Græcorumque leges traducta eſt: extantque *Theodorici* Regis effuſæ in hanc Artem laudes, inter quas illa ad ipſos Doctores pertinent: *Habeantur itaque Medici pro incolumitate omnium, & poſt ſcholas magiſtrûm vacent, libris delectentur antiquis. Nullus juſtiùs aſſiduè legit, quàm qui de humana ſalute tractaverit.* Idem, quum perpetuâ & fœdâ contentione

Medici inter ſe colliderentur, *Comitem Archiatrorum* rixantibus præfecit, qui auctoritate ac judicio ſuo tumultuantes diſcordesque compeſceret, ut qui *grandi ſcelere in cladem ægrotantium, ſe ambitu mutua contentionis excruciarent*; velut ipſa verba Conſtitutionis, Leg. CLV. habent. Sed præcipuè apud *Francos* viguit *Medicinæ* ſtudium, cujus tanta neceſſitas atque utilitas habita eſt, ut Legum vi & auctoritate Juventus ad Medicam diſciplinam adigeretur. Ita in Karoli M. *Capitulis* ſancitis Anno DCCCVI. in comitiis Theodonis villanis lex quinta illa eſt: *De MEDICINÆ arte, ut infantes hanc diſcere mittantur*: quæ lex poſtea in *Capitulis Eccleſiaſticis* repetita eſt. Mox, quum feralis barbaries cunctas obruiſſet artes, hæc quoque nobiliſſima ſcientia exitum fecit: irrumpentibus in ejus poſſeſſionem Monachis, qui non ſolùm artem, Penthei ad inſtar, imperitis lacerârunt manibus, ſed inſuper ſuperſtitione enormi, magicisque verborum carminibus, quibus magnam ineſſe vim in graviſſimis morbis putabant, totam commaculârunt. Nec quicquam circà illa tempora eruditum in Pæoniis ſacris, aut magnificum, niſi quod ex *Arabia* aut *Hiſpania* adveniſſet, ubi *Arabes* invidendo *Medicinæ* ſtudio, omnibus gentibus facem præferebant. Refloreſcentibus inde per *Germaniam* politiorum literarum diſciplinis, *Medicina* quoque à nobiliſſimis ingeniis arrepta eſt, atque exculta: feliciore ægrotantium mortalium fato, niſi ipſos Artis cultores in novum æmulationis turpiſſimæ certamen ambitio detruſiſſet. Aliis enim in nova experimenta pronis, auguſta Antiquitas, & quicquid veteres *Latini Græcique* monſtraverant, ſordere potuit: alii ne latum quidem unguem à *Galeni* ſententia, quem ſolum, quod de *Tireſiæ* umbra Græcus vates dixit, ſapere in hâc ſcientia exiſtimabant, diſcedendum judicarunt; pars *Arabum* præceptis adverſa, pars amica, diverſis inſtitutis imbecillitatem noſtram exagitandam ſumsêre, & ſimul perdidère. Inter hæc produxit Germania *Philippum Theophraſtum Paracelſum*, qui *Chymicæ* artis peritiſſimus, novam inſtituit *Medicinam*, quam *Hermeticam* ab *Hermete Triſmegiſto* dici voluit: multis in partes ejus transſeuntibus, quòd illum Philoſophum ſagaciſſimum, Chymicorum Anteſignanum, Medicum incomparabilem & eſſe, & haberi contenderent. Sed quum alii monſtroſa & perniciosa hominis præcepta traducerent, alii inter illum & Galenum medias partes ſuſtinerent; enata tandem nova Medicorum

dicorum ſecta eſt, quæ inter *Veterem dogmaticam Galenicam*, & *Hermeticam* media fluctuaret. Exinde quum innumeris ſuis onerata cultoribus, ad Agyrtas, & circumforaneos quoque impoſtores divina ars traheretur, interceſſit Karoli Quinti Imp. ſanctio, quæ in *Legibus Capitalibus* cap. CXXXIV. exſtat, in qua ſanctiſſima illa verba præ reliquis eminent: *Prohibendi igitur ii ſunt, profiteri vel facere Medicinam, qui non perſtatuta tempora Medicinæ eruditioni inhæſiſſe noſcantur, ne Medicorum conſortio ſocientur. Si quis verò Medicus, ſciens prudens, necandi hominis causâ, medicinam propinârit, dederit; is latroni profeſſo aquiparetur, reæ ſupplicio adjudicandus erit.*

XVII. Hactenus de *Phyſica ſtrictè ſumta* diximus: nunc ad THEOLOGIAM NATURALEM, ſcientiam de *immateriato Ente*, deveniam, quam brevibus verbis ut *Mythicam* & *Phyſicam* conſiderabo; inde ad SUPERNATURALEM, ſive *divinam* & *Theologiam ſacram* transgrediar. Apud antiquiſſimos Germanos iidem erant *Theologi*, qui *Rectores* populi aut *Principes*, ut Strabo auctor eſt: vulgò *Druitas* dixère, ſive à Saxonico DRY, quod *magum* notat, ſive ab antiquo Germanorum verbo *Druchtin*, quod teſte Cluverio *Dominum* ſignificat. Hi ex præcipua nobilitate ſumebantur, & per vicenos annos in diſciplina verſari jubebantur: quorum illud oſtendebat, ſummam eorum olim in Republica auctoritatem fore, ad quam privatos educari homines, minùs opportunum rebus ſuis cenſebant; hoc verò volebat, diu ea in diſciplina eſſe deſudandum, quæ de Diis eorumque poteſtate agat. Quid autem docuerint, Ph. Cluverius, notiſſimum in Antiquitatibus noſtris nomen, lib. I. Germ. Antiq. cap. XXXIV. XXXV & ſeq. pluribus exponit: nobis duntaxat illa ex Cæſaris commentario lib VI. obſervâſſe ſufficit: *Inprimis hoc volunt perſuadere; Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem, tranſire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto, multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & juventuti transdunt.* Profanam & falſam Theologiam ſuſtulit religio Chriſtiana, quæ novam *Theologiam* ex ſacris literis & doctrina Eccleſiæ introduxit. Hanc primùm *Epiſcopi* & privatim & publicè docebant, & ſecundùm *Auguſtini* ſententiam interpretabantur: multis præclaris ſurgentibus *Theologis*, quum ipſa *Eccleſia* paupertas ſanctitasque ad curam

rerum divinarum totos homines adverteret. Sed paullatim quum intempestiva Regum *Francorum* indulgentia immodicas opes *Ecclesiis* addidisset, sensim munera *Episcoporum* ac *Doctorum* distingui cœperunt: Episcopis hoc sibi tantum negotium facessentibus, ut suas stabilirent opes, & potentiam sibi atque auctoritatem supremâ censurâ circumponerent. Igitur secundis rebus, ut fieri solet, Episcopis ad desidiam & insciti am prolapsis, quum jam paucorum hominum ambitione vesanæ nutrirentur opiniones, neglectum vacuumque docendi munus invasêre *Monachi Mendicantes*, qui in illa seculorum ignorantia, quibus omnes ingenuæ artes conticescebant, *Theologiam Christianam* inficetis eroneisque disputationibus onerârunt, & fœdissimè polluerunt. Hi *Scholastici* dicti sunt, quòd doctrinam in Scholis usitatam à rostris templorum traderent: de quibus quum mediæ ætatis Scriptores multa passim narrent, omnium vicem supplebit accuratissima Dissertatio, quam exactissimus Tigurinorum Theologus, mihique amicissimus Joh. Henricus Heideggerus de *Theologiâ Scholasticâ* conscripsit. Is cum Daneo & Hospiniano tres *Theologiæ Scholasticæ* ætates constituit, *veterem, mediam & novam*: quarum veterem alii à *Lanfranco*, alii à *Lombardo* auspicantur. Media ætas ducem rectoremque habuit *Albertum M.* Ratisbonensem Episcopum, cujus circa An. CIↃCLX. ingens fuit claritudo: duravitque usque ad *Durandum Portianum*, qui Anno CIↃCCCXXX. docuit. Ætas dissidiis Doctorum suorum insignis quæ *Philosophiam Aristotelicam, antehac in limen Theologiæ introductam, in ipsa sacrarii Christi adyta invexit*, ut Cl. Heideggeri verbis utar. Ultima post *Durandum Portianum* sumsit initium, fœculenta suis cultoribus, & turbâ Doctorum gravis, qui dictione impurâ, distinctionibus barbaris, terminis horridis monstrosisque, Theologiam omnem conspurcârunt, & *Platonis* aut *Aristotelis* scripta, aut *Thomæ Scotique* nugas, ipsis Christi Apostolorumque præceptis, temerario ausu antepositæ. Verum quum sæpe per viros sanctissimos illa Scythica docendi libertas, & gigantea stoliditas nequicquam impetita esset, tandem superiori seculo per pauciſſimos *Germanos* subversa est: emendatis *Theologiæ* nostræ legibus, quas nunc magna Europæ pars exosculatur, & amplectitur.

XVIII. Sequitur Germanorum *Philosophia Practica*, cujus præcipuas partes constituimus ETHICAM, POLITICAM, OECONOMIAM; inde JURISPRUDENTIAM, disciplinam rectè agendi in communione humana sub-

ſubjungimus. Quod ad ETHICAM pertinet, video *Druidibus* priſcis injunctum quoque fuiſſe, ut de moribus, & vita rectè inſtituenda diſputarent; tanquam non ab aliis commodius hæc ſcientia tractari poſſe videretur, quàm ab illis, qui rerum ſacrarum, & curam religionum ſimul gererent. Ac illis quidem, & poſteris temporibus magnas atque eximias Majorum noſtrorum virtutes Ethicas fuiſſe animadverto, quum raro & invidendo exemplo *nemo illic vitia rideret, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocaret;* ut de illis Tacitus in lib. de Germania loquitur. Quare, quod ille de priſcis Romanis ait, domi militiæque boni mores colebantur: Jus bonumque apud eos non legibus magis, quàm naturâ valebat. Jurgia, diſcordias, ſimultates cum hoſtibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. In ſuppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Memorare poſſem plurima atque egregia exempla, quibus illi probitatem, temperantiam, caſtitatem, fortitudinem, animique æquitatem in magnis rebus commendârunt: & omnes hiſtoriæ, omnesque libri earum virtutum pleni eſſent. Porrò POLITICAM, quam *Prudentiam* regendarum civitatum vocant, antiquis quoque temporibus *Druides* profitebantur: quamtamen literis mandare haud fas putabant, ne hæc diſciplina, quum ſacrorum regimini eſſet conjuncta, in vulgus efferetur. Interim ſimpliciſſima & genio gentis aptiſſima imperii forma obtinebat: pars enim Regum parebat imperio, pars ſuæ civitatis primores ſequebatur. Utrisque non infinita aut libera poteſtas; *quum ſuadendi magis, quàm jubendi auctoritate audirentur;* ut Tacitus refert. Nec operoſis multisque ſtudiis quærenda adminiſtrandæ civitatis erat ſcientia, quum audaciâ contrà vicinos Rempublicam curarent, domi autem per comitia & Principes, ex patriis moribus legibusque imperium ordinarent. Ad quæ tempora reſpicit *Fridericus Barbaroſſa*, qui apud Guntherum Ligurinum lib. VI.

Imperium geminis diſponitur, inquit, habenis,
LEGIBVS, & VETERUM ſeriato tramite MORUM:
His ego contentus, fines tranſire paternos
Nec volo, nec poſſum: neque enim prudentior illis
Laude ſupervacuâ cupio, vel major haberi.

Verum quum præcipua *Politices* pars ſit *militaris*, quam Στρατηγικὴν, ſive *Imperatoriam* appellant, potiſſima veterum *Germanorum* induſtria circà

cà hanc verſata eſt: neque defuêre unquam, qui aut longo rerum uſu edocti rem militarem felici manu curarent, aut ingenii viribus bellicam artem prudenter tractarent. Tertia *Philoſophiæ Practicæ* pars eſt OECONOMIA, cujus ſtudium ſi in *Germanis* noſtris circà J. Cæſaris & Taciti ætatem reſpiciam, non aliud florentius, non aliud ſanctius reperio. Sed actum agerem, ſi heic poſt Ph. Cluverium de ſanctiſſima ſocietate maris & fœminæ, parentum & liberorum, heri & ſervi, deque re familiari, qualem noſtri habuêre Majores, operoſiùs diſſererem. Id ad poſteriorum temporum hiſtoriam addendum eſt; nuſpiam caſtiora & meliora conjugia, quam apud *Germanos* fuiſſe: ut meritò Scaliger & Poggius Florentinus hanc conjugii fidem, amorem, & conſtantiam, ſummis laudibus efferendam putaverint. Quæ autem liberorum educatio atque inſtitutio fuerit, vel unum illud & regium exemplum *Karoli M.* demonſtrat, de quo Eginardus in vita ejus ita ſcribit: *Liberos ſuos ita cenſuit inſtituendos, ut tàm Filii, quam Nepotes primò liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Tum filios, quàm primùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: Filias verò LANIFICIO ASSVESCERE, COLOQ; AC FUSO, NE PER OTIUM TORPERENT, OPERAM IMPENDERE, atque ad omnem honeſtatem erudiri juſſit.* De ſtudio autem rei familiaris, quàm ſeverum & ſobrium fuerit, teſtantur ipſi *Germani* apud Guntherum Ligurinum l. III.

Non turget loculis inferta pecunia noſtris,
Nec multis opibus, ſed laude venimus onuſti:
Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi,
Nec ſibi quærit opes, ſed pulchræ laudis honores.

XIX. Supereſt, ut de JURISPRUDENTIA veterum Germanorum agamus; quæ nunc neglectis ferè cæteris diſciplinis magnam gentis partem occupat, & in ſcholis, judicio, foro, grande ſibi pretium parat. Rarus ejus olim uſus, parvusque honos, quum nullæ ſcriptæ eſſent leges, ſed ex patriis moribus & priſca conſuetudine, aut æquo & bono controverſiæ omnes finirentur; *plusque ibi*, Tacito teſte, *boni mores, quam alibi bonæ leges valerent.* Nec poſtea quidem, quum circà ſeculum à Chriſto nato quinctum *Alamanni*, *Friſii*, *Bavari*, *Franci*, aliique *Germaniæ* populi ſuas leges ſcribendo vulgâſſent, in magno pretio interpretes eârum fuêre: dum plerumque è rudi populo, & legendi ſcribendique vix perito ſumebantur, quos non doctrina præſtans, ſed ſe-

ſenilis prudentia muneri iſti commendabat. Et quæ tandem neceſſaria eruditio in Legibus explicandis, quæ & numero paucisſimæ, & plebejâ planâque dictione ſupra vulgi captum haud poſitæ, leviſſimâ interpretatione oſtendebantur? Huc accedebat, quòd omnia judicia, omnesque lites breviſſimo & planiſſimo proceſſu terminarentur: ignotâ adhuc ſeculi noſtri libidine, quâ lites per vaſtam *Legum Romanarum* molem in longum trahuntur tempus, & multi querelis ac pollere clientum ſuorum aluntur. Quamobrem paucisſimi ſtudia ſua ad hanc *Themidem*, recens cœlo delapſam, & ſuâ integritate tantùm opulentam conferebant; quòd homines etiam agreſtes hujus deæ cultui ſufficerent, quodve ipſa nullas cultoribus ſuis opes, aut honorum delinimenta circumfunderet. Et hæc *Jurisprudentiæ Germanicæ* fortuna ad ſeculum usque decimum tertium fuit, quo paullatim aliena in *Germaniam* jura introducta, neceſſitatem & operam interpretum ſimul commendarunt. Nam quòd multi opinantur, quaſi jam juſſu *Lotharii Saxonis* circa An. CIↃ CXXX. in ſcholas pariter & fora Germaniæ *Jus Romanum* ſit receptum, id erudito tractatu *de Origine Juris Germanici*, Hermannus Conringius, vir in antiquitatibus noſtris verſatiſſimus, operosè refutavit: & vel una illa apud Lehmannum Imperii Conſtitutio, quam *Rudolphus I.* primùm *Herbipoli* An. CIↃ CCLXXXVII. promulgavit, inde *Spiræ* An. CIↃ CCXCI. renovavit, ſatis refellit. Ex ea enim liquet, unumquemque *Germaniæ* populum eâ tempeſtate patriis adhuc vixiſſe moribus, ſuisque conſuetudinibus contentum, *Romana* jura ignorâſſe: unde & Imperator veteres *Francorum* Regum leges, & *Capitularia* ibidem renovat, atque confirmat. Nec obſtat, quòd *Lothario* imperante, Irnerius *Jus Romanum*, quo ante adventum *Longobardorum* uſa erat *Italia*, in lucem protulerit, & *Romæ Bononiæque* docuerit: nàm ea Legum cura intrà ſolam Italiam ſtetit, ubi & *Irnerii* diſcipuli *Johannes Bulgarus*, *Azo*, *Placentinus*, aliique omne legum Romanarum ſtudium conſumſêre. Hoc quoque manifeſtum eſt, quum Anno CIↃCXL. *Gratianus Monachus* Decreta Pontificum & Canones Conciliorum publicaſſet, idque *Canonicum Jus*, ut vocabant, *Gregorius IX. Bonifacius VIII. Clemens V.* aliique, nouis ſubinde legibus amplificâſſent, vehementer ſtuduiſſe Pontifices, ut ad auctoritatem ſuam fulciendam Germanis *Jus Canonicum* traderent. Sed quum gens antiquis conſuetudinibus inhæreret mordicus, eluſa diu Pontificum deſideria ſtetêre:

donec tandem seculô tertiô decimô, quo *Scholastica Theologia* Scholas & Ecclesiam occupaverat, paullatim *Jus Canonicum* in Germaniam irrepsit, ex quo non sacrarum solùm, sed & civilium causarum processus institui cœpère. Quanquam nec ea tempestate veteres consuetudines sint neglectæ, aut in parvo pretio habitæ, dum multi observationem earum in judiciis foroque sanctam esse voluére. Quare apud *Saxones* & *Suevos* antiquæ consuetudines in scripta relatæ, quas inter præcipuè celebrantur *Leges Lubecenses*, *Speculum Juris Saxonici & Suevici*, *Jus Feudale Saxonicum & Suevicum*, *Jus Magdeburgicum*, quod patriâ linguâ *Weichbild* appellant. At seculo demum decimo quarto *Jus Romanum* sensim invaluit, dum periti ejus Juris in consilia Principum adsciti, queis artificium suum, ut ille ait, omnibus fovere modis cordi fuit. Inde ad *Italorum* morem, passim in Scholas & Academias Germaniæ invectum, doceri cœpit: mox à *Maximiliano* I. An. CIↃ CCCCXCV. constitutum, ut in *Camera* Jus ex legibus Romanis pronunciaretur: denique in forum, in tribunalia, in aulas magnis stipendiis evocati, qui illi studio laborem impendissent. Tantis excitati præmiis, & sua sponte, multi *Germanorum* in disciplinam venerunt, posthabitisque cæteris scientiis, Jurisprudentiæ omnem operam addixêre: quorum conatus haud foret vituperandus, si non plerique cruda studia ad maximam illam scientiam afferrent, & dum vix duo verba Latina conantur, veneranda *Themidis* templa subeuntes, jura legesque creparent.

XX. Diximus de *Studiis Germanorum*, quibus tum liberi honestiorum è populo exercentur, tum præclara ingenia, in liberales artes intenta, occupantur. De cæteris studiis, quæ vulgaria vocant, non alio utar, quam J. Cæsaris Scaligeri testimonio ac elogio, qui in oratione panegyrica eorum Germanorum, qui ad Viennam ceciderunt, ita de Germanis ait: *Nulla omnium nationum artificiosiùs exercet acus delicias, etiam si Phrygiam universam arcessas: nusquam lina pretiosiora nullus Ægyptius, nullus Syrus vel lanificia operosiora, vel colorum opera vividiorum ponit. Nam & coccinos & purpureos pannos, iis quos coloni nostri, Angli, Franci, Veneti bellè conficiunt, quos anteponas habes nullos. Aurificium nulla Orientis pars subtilius tractat, mercaturas diligentiùs hi, quibus mare pervium est fortasse: at enimverò neque opulentiùs Indi, neque fideliùs illa unquam natio executa est, neque sanè Mercurium illum simplicem, vel itinerum commonstratorem, vel negotiorum præsidem, sed illum artium omnium inventorem colimus, qui non tam nos effecit, quàm nos illum præclarum aliis ostendimus.* Similia sunt,

quæ

quæ Barclajus in Icone animorum cap. v. de Germanis ſcribit: *Neque deſunt altiſſimæ mentes, in quibus patriam gravitatem vividi & excitati acuminis felicitas temperat: præcipuè ſi validum ingenium diu peregrinis artibus moribusque miſcuerint.—— Populus æris ferriq; tractandi peritiâ, & per mille artificia ducendi inſignis eſt. Typographiæ inventum, pulveriſq; nitrati, illis ingeniis Orbis debet; ambiguo prorsus beneficiô, & quo tam pernicies mortalium, quàm utilitas, ſeſe humanis rebus ulteriùs inſinuavit.* Idem fatetur, vim mentium Germanicarum ad æternitatem laborum eſſe robuſtam, adeò ut cæteri meliùs quidem ſcire, Germani verò plura poſſint. Atque hæc dum refero, ſubeunt animum inepta quorundam & acerba judicia, qui eſſe Germanis opacas mentes, obtuſum pectus, lenta & ſidere ſuo torpentia ingenia prædicant. At quis ita, ut cum Octavio Ferrario Italo illis reſpondeam, iratis Diis ac Muſis vivit, ut ignoret, *Germaniam* ſicut olim informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque; poſtea vicis ac pagis conſitam, maximis ac florentiſſimis urbibus veluti coronatam, omnem humani cultus ſpeciem accepiſſe: ita ingeniis ac literis mitigatam, novam veluti faciem induiſſe, artiumque omnium ac diſciplinarum ſtudiis nulli provinciarum, etiam quæ mitiori cœlo foventur, ſecundam, prodigioſis novarum machinarum inventis, & mentium eruditarum operibus gentes omnes ac populos, ſicut armis devicit, ita ingeniô ſuperâſſe? Ut nec vanè, nec falſò cenſeat Scaliger, ſive *Medicos*, ſive *Theologos*, ſive *Oratores*, *Poetas*, *Mathematicos* ſpectemus, nullam *Chaldæorum* vel nationem, vel ſeculum eſſe, quæ cum gentis noſtræ laudibus conferenda ſint. Sed ego nec veriùs, nec laudabiliùs finiam, quàm nobiliſſimo illo Johannis Bodini, hominis Galli teſtimonio; cujus ſententia eſt, nullum in orbe illuſtrius, quàm *Germanorum* exemplum extare, *qui cùm à feritate non procul abeſſent, cùm in paludibus olim ac ſylvis ferarum more vagarentur, cùm ſemper à literis abhorruiſſent, proximis annis tantum effeciſſe, ut HUMANITATE Aſiaticis, MILITARI DISCIPLINA Romanis, RELIGIONE Hebræis, PHILOSOPHIA Græcis, GEOMETRIA Ægyptiis, ARITHMETICA Phœnicibus, ASTROLOGIA Chaldæis, OPIFICIORUM VARIETATE populis omnibus ſuperiores videantur.*

DISSERTATIO HISTORICA SEPTIMA, DE LINGUA VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIUM.

§. 1. Scopus dissertationis §. 2. Prima initia Linguæ Celticæ, cujus Germanica pars fuit. §. 3. Quàm latè se diffuderit lingua Germanica. Non omnia vocabula, quæ nunc in Germanica lingua sunt, à veteri Celtica profluxisse. §. 4. Multùm ab ea mutatam esse. Causa illius mutationis. §. 5. Corruptam per Græcos Germanicam linguam. Literis Græcis Germanos in scribendo usos. §. 6. 7. Corruptio linguæ Germanicæ per Romanos. Quid lingua Provincialis fuerit. §. 8. Ruditas linguæ primis Francorum temporibus. §. 9. Auctam ornatamq; à Karolo M. Difficultas scribendi Germanicè. §. 10. Omnia Latinis verbis inter Germanos conscripta Friderici II. cura ad poliendam linguam. Constitutio Rudolphi in eundem finem, quam repetiit Maximilianus. I. §. 11. Omne linguæ decus Karoli V. temporibus deberi. Laus eorum, qui patrium sermonem excoluêre. §. 12. Præstantia & nobilitas sermonis Germanici.

REputanti mihi mecum, quæ potissimum causæ antiquissimos mortales in unam ciuitatem collegerint, inter præcipuas LINGUA occurrit; cujus beneficiô atque operâ homines in juris, legum, ac urbium societatem convenerunt, tum ad studium humanitatis, ad victus consuetudinem, ad cunctas patriæ & civium inter se caritates traducti fuêre. Neque enim aut ullum vinculum ad conglutinandos hominum animos tenacius, aut ad fidei justitiæque amorem servandum nobilius est, quàm unius linguæ ac sermonis consociatio: ut non immeritò antiquus Philosophus *linguam divinissimum opus* appellet, quô pectora mortalium in arctissimam cognationem & familiaritatem alligentur. Non igitur præter rem facturus sum, si dum res vetustas Germanorum tractare aggressus sum, de prisca quoque gentis lingua differam, quâ illi in pulcherrimam illam nostram, & toto cœlô

cœlô nobiliſſimam Rempublicam coiverunt. Quanquam multis ſupervacuum aggredi laborem videbor, quum tenuis admodum priſcæ linguæ notitia ad nos perlapſa, et ex illa ſeculorum ruditate, quâ viri pariter & fœminæ literarum ſecreta ignorabant, nullum ferè linguæ antiquiſſimæ monumentum ad poſteros pervenerit. Pervagari tamen juvat veteres hiſtorias, et ex reliquiis nobiliſſimi ſermonis diſſerere, quæ primùm lingua Germanis fuerit, quâ tempeſtate, quibusve de cauſis mutata ſit; donec ad ſuperius ſeculum pervenerit, quo ſuis fœta incrementis, pulchrior & ornatior eniteſcere cæpit.

II. Poſt obrutum ultricibus aquis orbem terrarum, quum *Noachi* ſoboles per *Aſiam* ſe diffunderet, *Japeti* poſteri ex *Syria*, & à *mari Ægeo* egreſſi, in *Scythiam Europæam*, *Thraciam*, & *Græciam* venerunt; unde paullatim in alias *Europæ* terras ſe ſparſerunt. His primum una fuit lingua, quam in Aſia acceperant: ſed mox creſcente multitudine in tres potiſſimùm linguas diviſa eſt, quarum una *Macedonum ac Græcorum* manſit; altera *Illyricorum*, quam nunc *Sclavonicam* vocamus; tertia *Thracum*, *Dacorum*, aliorumque *Getarum*, unde non ſolum *Phrygum*, ſed *Celtarum* etiam atque *Scytharum* lingua profluxit. Nam & *Phryges Thracum* fuiſſe progeniem conſtat, & *Celtas Scythasque* ex *Thracibus* ortos haud dubitandum eſt; quum & illis vocabulis, vt viri magni Bochartus & Voſſius probârunt, *Thraciæ* gens olim fuerit nuncupata, imô *Scytharum* nomine *Getæ* quoque & *Gothi* contineantur. Sed communi diu linguâ uſi ſunt *Scythæ* & *Celtæ*, donec aut coloniæ gentem diſſipârunt, aut bella confuderunt. Per *Celtas* autem intelligo *Germanos*, *Gallos*, *Hiſpanos*, *Britannos*, *Illyricos*, quibus unam eandemque fuiſſe linguam, Ph. Cluverius, Antiquitatis noſtræ peritiſſimus, ex veterum Auctorum teſtimoniis, communibus populorum hominumque appellationibus, tum vicorum, oppidorum, rerumque variarum iiſdem vocabulis, in Antiqua Germ. lib. 1. cap. v. VI. VII. aſſeruit. Verùm hi poſtea multùm à primogenia receſſêre, quum *Hiſpanicam* linguam primùm *Phœnices*, hinc *Romani*, inde *Gothi*, poſtea *Saraceni* corrumperent; *Britannica* voces *Anglorum* & *Saxonum*, inde *Normannorum Gallorumque* admitteret; *Gallica* primùm *Græcas*, inde *Romanas*, hinc *Francicas*, *Gothicas*, *Burgundicas*, *Normannicas* voces reciperet: *Illyrica* contactu vicinarum gentium priſtinum decus caſtimoniam exueret: Idem fatum *Germanicæ* incubuit, quæ à veteri *Celtica* degenerauit: tum quòd ex commercio cum coloniis

Pontum accolentibus, multa à *Græcis*, imò ipſis *Perſis* vocabula acciperet; tum quòd *Romani*, unà cum imperio, legibus, ac jure ſuas quoque voces inferrent.

III. Igitur prima *Germanorum* lingua fuit *Celtica*, quam Becanus ridiculo gentis ſuæ amore primogeniam facit, & cæteras ex ea veluti matrice deducit. Veriùs Ph. Cluverius enatam in prima illa ad *Babylonem* urbem confuſione exiſtimat, eandemque eſſe ſtatuit, quæ nunc etiam in vaſtiſſima illa *Germania*, tam cis, quàm trans *Rhenum*, ad Mare usque glaciale, et ab altera parte ad *Moldavorum VVallachorumque* confinia, tum in ipſa *Britannia* vigeat. In qua poſteriori ſententia teſtem ſive auctorem habet Rodericum Toletanum, qui ante annos quingentos ſcripſit: *Teutonia, Dacia, Norvvegia, Suecia, Flandria & Anglia unicam habent linguam, licet idiomatibus dignoſcantur.* Sed uti illud ſemper concedendum eſt, linguam Germanicam per ampliſſimum terrarum ſpatium viguiſſe, neque fuiſſe aliam, quæ tot populos, numero & magnitudine validiſſimos, complexa ſit; ita eorum rejicienda opinio, qui omnia ea vocabula, quibus hodie utantur, à ſe ipſis & veteri lingua Celtica accepiſſe affirmant. Liceat hic mihi cum Voſſio patre reſpondere: *Credo, hæc non dicerent, ſi ſcirent, longè aliam fuiſſe Teutonum linguam priſcam, cujus bona pars deperit: aliam poſtea receptam, quæ multa admiſit exotica, & ita admiſit, ut vetera paullatim venerint in oblivionem.* Benè olim Aventinus: *Maxima in noſtra lingua facta eſt mutatio, adeò ut ea quæ olim fuerit, egrè etiam peritus intelligat.* Et ſanè veriſſimè Lipſius Centur. III. ad Belgas Epiſt. XLIV. *Quis abnuit vinum, oleum, ficus, à Romanis ducta, cum nec rem ante haberemus?* Sic Sole clarius eſt, vocabula iſta à Romanis in noſtrum fluxiſſe ſermonem: *altare* Altar / *ager* Acker / *anguſtiæ* Angſt / *armus* Arm / *bos* Ochs / *cella* Keller / *corona* Krohn / *facula* Fackel / *flamma* Flamm / *gramen* Graß / *herus* Herr / *Belgicè* Heer / *hora* Uhr / *longus* lang / *linum* Leynen / *Belgice* Lynen / *mare* Meer / *mola* Mühle / *nebula* Nebel / *pellis* Fell / *piſcis* Fiſch / *rota* Radt / *ſal* Saltz / *tego* decken / *vallus* Wall; & his plura ſimilia, quæ Juſtus Lipſius dictâ Centuriâ recenſet. Eodem auctore accepta ſunt à *Perſico Avael* Anfall / à *Band* Band / *Beradar* Bruder / *Cäl* Kahl / *Coda* Gott / *dandant* Zahn aut Belgicè tandt / *Dochtar* Dochter / *Fadar* Vatter / Belgicé Vader / *Näm* Nahm / *Stär* Stern / et his alia ſimilia, quæ & ſignificatione, & flexu conjugationum haud nimis diverſo, inter ſe conveniunt. De verbis vocibusque, quæ à *Græcis* in noſtrum immigraverint

sint sermonem, dicere supersedeo, quum illud operosè á Joh. Aventino, Joh. Camerario Dalburgico, Andrea Althamero, Sigismundo Gelenio, aliisque factitatum sit, dum aliquot millia vocabula Germanica collegerunt, quæ *Græcis* & sonó & rerum significatione debentur.

IV. Haud sum nescius, his reponi ab eruditis *Germanis* se αὐτόχθονες esse, vel saltem ex quo suas tenuêre terras, bellô non magis, quàm *Parthos* á Romanis unquam, aut Græcos devictos fuisse: unde nihil causæ esse, cur non credamus, vocabula ea, quæ habent communia, è veteri lingua *Celtica* potiùs esse derivata ad *Græcos* & *Latinos*, quàm ut ab his illa ad *Germanos* devenerint. Itaque existimant à Coppel esse *copula*, à rauben esse *rapio*, & ipsum Græcum ἁρπῶ sive ἁρπάζω, à Wein esse οἶνος, & sexcenta similia, quæ ad Latinas Græcasque voces accedunt. In qua quoque sententia Julius Cæsar Scaliger videtur esse, qui in Epitaphio eorum Germanorum, qui ad Viennam bello Turcico ceciderunt, inter cæteras laudes linguam ita extollit: *Non numerabo nostram, quæ nobiscum nata, ab occupatore nullo adulterata, sua est. quaq; puto naturæ genium suis in consiliis loqui secum.* Et paullo post: *Deinde purissimam intelligas, quæ nullius exteri dominatus illuvie contaminata fuerit: neq; enim amittere debuit, quod aliis dare posset.* Non sum quidem tam improbus, ut quicquam laudibus patriæ gentis detraham; nec tamen possum eorum accedere opinioni, qui intempestivo amore turbati, ita in animum inducunt, venisse a nobis omnia, quæ possidemus. Neque enim omnis sermo Teutonicus amplius indigena, aut aliarum gentium contactu vacuus est; quanquam longè pauciora debeamus Græcis ac Latinis, quàm inclytæ nationes, quæ linguam notho-Latinam usurpant. Et quæ tandem fati necessitas fuit, ut Germanica lingua staret invicta, quum amplissimæ nationes cum lingua sua everterentur, atque extinguerentur? Sanè ut perimus mortales, ut aliis succedimus, sic easdem mutationes nobiscum subeunt linguæ, & sæpe leuissimis de causis aut cadunt, aut aliam faciem induunt. Illas novus gentium adventus violavit, illas coloniæ destruxerunt: hæ novò imperio, aut gentis unius exilio sive immigratione non solum suam amisêre puritatem, sed & planè in alias voces sonumque concessêre. Ubi jam prisca illa & grandis Hispanorum lingua, quæ ante *Poenos Romanos* stetit, viguitque? ubi vetus ille *Gallorum* sermo, quem nouo è Romanis vocibus traducto ante pauca secula mutarunt? Sed de mutatione *Germanicæ* linguæ unum tantùm lubet afferre exemplum, cujus etiam Vossius pater meminit.

minit. Hodie *Germanis Belgisque* in uſu eſt Vatter aut Vader / quod à Latino *pater*, Græcoque πατὴρ deſcendit. At veteres *Germani* pro eo dixêre Atto / ut eſt in Oratione Dominica Gothica, quæ incipit: Atta unſer thu in Hemina: pro quo hodie *Friſii*, priſcæ linguæ obſervantiores haita uſurpant. Cujus mutationis cauſam cogitanti non alia magis veriſimilis occurrit, quam illa Walafridi Strabonis, Abbatis Augienſis, qui temporibus *Ludovici Pii*, ante octingentos annos vixit. Is lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. VII. primùm docet, *Theotiſcos*, hoc eſt Teutones & Germanos multa accepiſſe à Romanis Græcisque; ut Kylch à κύλιξ ſeu calix: Vatter à *pater* vel πατὴρ: Mutter ex *mater* vel μήτηρ: Geneß à γυναικεῶν ſive *gynecæum*: Kirch à κυριακὸν: Babſt à *Papa*: Herr ab *heros*: moon & monath à μήνη. Poſtea verò ſubjungit: *Si autem quæritur, qua occaſione hæc advenerint, dicendum & barbaros in Rep. Romana militaſſe, & multos Prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos, inter has beſtias cum erroribus pugnaturos veniſſe: & eis pro cauſis multa noſtros, quæ priùs non noverant, utilia didiciſſe: præcipuèq; à Gothis, qui & Getæ, cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere perducti ſunt, in Græcorum provinciis commorantes, noſtrum, id eſt, Theotiſcum ſermonem habuerint. Et, ut hiſtoriæ teſtantur, poſtmodum ſtudioſi illius gentis divinos libros in ſuæ locutionis proprietatem transtulerint quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quaſdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eadem locutione divina hactenus celebrari officia.*

V. Primum igitur per *Græcos* Germanica lingua maximè corrupta & ſimul polluta fuit, dum tanto ſucceſſu ſermo Græcorum in *Europam Celticam* incubuit, ut non ſolum ab iis plurima vocabula acceperint Germani, ſed & literis Græcis, in privatis publicisque rationibus uſi fuerint. Ac voces quidem innumeras recenſere poſſem, quas *Germani* à *Græcis* mutuati ſunt, niſi jam id abundè à clariſſimis viris demonſtratum eſſet. Sed de *literis Græcis* locus ille apud Tacitum lib. de morib. Germ. occurrit, ubi quidam memorant, *Monumenta & tumulos quosdam Græcis literis inſcriptos in confinio Rhætiæ Germaniæque adhuc extare.* Et apud Cæſarem de bel. Gall. lib. I. eſt: *In caſtris Helvetiorum tabulæ repertæ ſunt literis Græcis confectæ, & ad Cæſarem perlatæ, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat qui numerus domo exiſſet eorum, qui arma ferre poſſent.* Idem lib. VI. *Neque fas eſſe exiſtimant, ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utuntur.* Sed propius exemplum eſt apud Trithemium de Francorum literis, ubi

ubi ait: *Waſtaldus res Francorum deſcripſit patrio ſermone, literis uſus, uti refert Hunibaldus per quàm ſimilibus characteribus Græcis, niſi quod epſilon, & ypſilon, & gamma inverſa videntur.* Quod Agrippa de vanitate ſcient. lib 1. cap. 11. illis *Francis* attribuit, qui ſub *Marcomiro* & *Pharamundo* Gallias ſubegére. Quin ab ipſis Regibus poſtea ſancitum, ut Franci literis nonnullis Græcis uterentur. Sic Aimoinus de geſtis Francorum lib. III. cap. XL. auctor eſt, *Childericum* Regem mandaſſe Francis, ut quatuor illas Græcorum literas Θ, Φ, X, Ω, in ſcribendo adhiberent. Ac de numero iſto quoque conſentit Gregorius Turonenſis lib v. Hiſtor. cap. XLIV. ſed alias memorat. Verba ejus ſunt; *Addidit autem*, (Childericus, *& literas literis noſtris, id eſt, ω, ſicut Græci habent, ae, the, vuni; quarum characteres ſubſcripſimus, hi ſunt* Θ Ψ Ζ Π. *Et miſit epiſtolas in univerſas civitates regni ſui. ut ſic pueri docerentur.* Nec quiſquam mirabitur, *Græcas* voces cum ipſo ſcribendi genere immigrâſſe in *Germaniam*, qui verba divi Hieronymi in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. conſiderabit; ubi ex Varrone aliisque recenſet. quas colonias *Græci* per orbem terrarum invexerint; quomodo *Phocenſes Maſſiliam* in *Gallia* condiderint; & commercia per cuncta maria exercuerint; quâ denique imperii magnitudine non ſolum vaſtas *Illyridis Scythiæque* oras, ſed ipſum *Oceanum Britannicum* preſſerint. Fuere quoque, ut Tacitus ait, qui *opinati* ſunt, *Ulyſſem longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum, adiiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumque, quod in ripa Rheni ſitum hodieque incolitur, ab illo conſtitutum nominatumque;* ſed ea cum clariſſimo Scriptore neque confirmare argumentis, neque refellere lubet. Magis probabilis horum ſententia videtur, qui *Græcos* in *Saxoniam* deduxiſſe colonias, loquendique & ſcribendi uſum intuliſſe memorant; quum & *Saxonum* antiquæ Leges cum *Platonis* inſtitutis conveniant, et lingua eorum poteſtate & naturâ literarum, diphtongorum vi & numero, ſyllabarum pronunciatione, articulis, accentu, ratione loquendi, maximam affinitatem & commercium cum *Græcorum* lingua retineat, ut Gesnerus in Mithridate ſuo judicat.

VI. Sed vehementiùs *Germanicam Linguam* affixére *Romani*, poſtquam victricibus armis magnam Germaniæ partem pervagati, more ſuo linguam Romanam inter gentes devictas invexêre, vt illo quoque ſermonis vinculo coaleſcerent animi fortius, & Romano nomini parérent. Ita *Transdanubianæ* provinciæ, *Rhætia* Prima & Secunda, poſt-

quam à Romanis ſubactæ forent, ſermonem *Romanum* omnes accepere, veluti Beatus Rhenanus lib. II. Rer. Germ. teſtatur. Sed quum linguam illam, quam *Romani* victis *Germanis* imponebant, incultus & aſper populus difficili rudique ore pronunciaret, ac caſtimoniam ejus majeſtatemque nativis vocabulis pollueret, mox enatus eſt Sermo, quem vulgò *Provincialem*, ſive *Vulgarem* dixere. Sidonius eleganter *Squammam Latini ſermonis* appellat; Auſonius autem *æmulam* Latinæ linguæ vocat:

Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Superſtes eſt illius linguæ fragmentum ſive exemplum in hiſtoria Nithardi, nepotis *Karoli M.* ubi de diſſenſionibus filiorum *Ludovici Pii* agit. Ibi juramentum recitatur, quo pacem & concordiam pangunt inter ſe *Ludovicus* & *Karolus*; quorum ille *Romanâ* ſeu *Provinciali* linguâ ita peroravit: *Pro dõ amur, & pro Xpian poblo, & mrõ commun ſalvament; diſt di en ævant in quant dis ſavir & prodir me dunat ſi ſalvarai eo ciſt mon fradre Karlo & in adjudha & in cadhuna coſa ſi cum om perdreit ſon frada ſalvar diſt ino quid il mi altre ſi fazet & abludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol eiſs meon fradre Karlo in damno ſit.* Pergit Nithardus: *Quod cùm Ludovicus explêſſet, Karolus Teudiſca linguâ ſic hæc eadem verba teſtatus eſt:* In Godes minna inde uites Xpānes ſolches ind unſer bedhere gealtniſi von teſemo dage fram mordeſſo Fram ſo mir Got gewiz ei indi madh fürgibet ſo hald ichtis an minam Bruher ſcal inthi utha zermig ſo ſo madno indunit lutherem in nothe in mit hing nege gango theminam willou imo ce ſcādhen werhen. Nec tamen quum *Provincialis* lingua in *Germania* prima & ſecunda vigeret, Latina neglecta eſt: nam ut B. Rhenanus loco allegato ſcribit: *Nec tantùm de vulgari lingua ſolliciti erant Romani, ſed & Latinam tradi curarunt Provincialibus: unde municipales illæ ſchola apud Veſontionem & Lugdunum, & illa apud Cliviam in Germania ſecunda, cui præfuit Eumenius Rhetor.*

VII. Labentibus *Romanorum* rebus, quum *Franci*, gens Germanica, victoriis *Gallias* magnam *Germaniæ* partem corripuiſſent. *Alemanni* & populi Primæ ac Secundæ Germaniæ *Provincialem* ſermonem paullatim rejecére, veteremque *Germanorum* linguam ex ruinis & cineribus ſuis revocârunt: ſervatis tamen nonnullis vocabulis, quæ Juſtus Lipſius Cent. III. ad Belgas Epiſt. XLIV. recenſet. Hæc lingua *Teutiſca*,

ſca, ſive *Theotiſca* dicta fuit, quæ *Provinciali* honeſtior & nobilior habita eſt, quum Provincialem vocarent *Ruſticam*, & vilioribus atque agreſtibus relinquendam cenſerent. Id diſcrimen liquet ex canone Synodi Turonenſis, An. DXIII. habitæ, vbi quum ſtatutum eſſet, ut Epiſcopus Homilias neceſſarias haberet, mox ſubjicitur: *Et ut easdem homilias quisque apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theutiſcam, qua facilius poſſint cuncti intelligere quæ dicantur.* Ad quæ verba J. Lipſius ita commentatur: *Itaque apparet Theotiſcam tunc honeſtiorem, & nobilium fuiſſe: Ruſticos & viliores Romanâ illâ corruptâ, hodiernâ Gallicâ uſos, quæ tamen mox invaluit, illâ pulſâ.* Atque hoc modò *Celtarum* lingua vernacula, quæ hactenus obtinuerat, ex *Galliis* eliminata eſt, tantâ clade & damno, ut quæ qualisve fuerit, planè incertum ſit. Etſi viri docti arbitrentur, ſimilem fuiſſe ei, quæ adhuc apud *Armoricos* viget. Id dubium non eſt, tempore Strabonis inſtrumenta publica in *Galliis* ſcripta *Græcè*, poſtea *Latinè* ad A. CIↃ. D XXXIX. quo *Franciſcus I.* edictò juſſit, ut Gallicè omnia ſcriberentur.

VIII. Satis igitur conſtat, *Celticam* linguam, quæ *Germaniam* occupaverat, non ſolùm corruptam contaminatamque alienis fuiſſe linguis, ſed et ſcribendi notas ac characteres à *Græcis Latinisque* ſumpſiſſe; quum ſerò admodùm, & non niſi diu poſt tempora *Taciti*, propria literarum elementa invexerit. Nam quod Johannes & Olaus, Archiepiſcopi Upſalienſes referunt, *Gotis*, Germanicæ genti ſuas fuiſſe literas ante repertas *Latinis*, hoc eſt, annis ante Chriſtum natum propè mille ducentis; id jam dudum à viris clariſſimis explosum eſt, qui hoc majori patriæ gentis amore, quàm veritatis, proditum opinantur. Sanè quum circa ſeculum à nato Chriſto quintum, *Franci*, *Burgundi*, *Oſtrogothi*, *Weſtrogothi*, *Alamanni*, *Longobardi*, *Friſiones*, aliique, leges ſuas ſcribere inſtituiſſent, *Latinis* id literis factitatum eſt: manifeſtò argumento, nondum eam fuiſſe linguæ partiæ opulentiam, ut propriis nativisque literarum ſignis explicari poſſet. Nec tamen Gilberto Genebrardo aſſenſero, *Germanos* ab octingentis duntaxat annis ſuam ſcribere cœpiſſe linguam, & *Karolo M.* demum imperante Muſas cum religione Chriſtiana immigrâſſe, niſi, hoc fortè de *Venedis* ſive *Sclavis*, reliquisque ad *Albim* & mare *Balthicum* habitantibus populis intelligendum ſit, quos temporibus *Ludovici* Imperatoris literas accepiſſe à Me-

thodio Philoſopho, Aventinus refert. In cæteris compertum eſt, jam ante *Karolum M.* extitiſſe carmina Germanica, quæ heros ille ſcripſiſſe & infixiſſe memoriæ fertur; quemadmodum & monumenta ex illo ævo ſuperſunt, quæ Goldaſtus nuper in lucem protraxit. At in univerſum æſtimanti, illud ſemper dicendum eſt, ſerò apud *Germanos* literas, ipſa ſcriptionis elementa, cœpiſſe, nec aliunde, quàm à *Græcis Romanisque* acceptas, poſtquam illos commercia, hos bella genti miſcuiſſent. Neque altiora aut feliciora ſcribendi initia arguit ipſa linguæ ruditas, quæ circà ea tempora ſummam ſpirat barbariem, & ut ille de antiqua Romanorum lingua docebat, vix ab Evandri matre, aut cincturis Cethegis intelligitur. Qualis eſt illa Abrenunciatio Diaboli operumque ejus, quam Chriſtophorus Brovverus ex vetuſto Ms. Palat. producit, quove vix ullum Antiquitatis Germanicæ monumentum vetuſtius extare putat. Talis & illa Angelica ſalutatio apud Lucam cap. 1. quam Victor Capuæ Epiſcopus ex harmonia Evangeliorum Tatiani circa A. DCLXXI. vulgavit: heil wiſthu gebono follu. Truchtin mit dir giſege not ſis thu in wiben / inti geſegenot ſie thie inwaſsmi tinero wamba.

IX. In rudi iſto linguæ ſtatu imperium Germaniæ adeptus eſt *Karolus. M.* qui de ſtudiis univerſis, & inprimis de ſermone Germanico præclare eſt meritus, dum non ſolùm variis in locis ſcholas erexit, ſed & linguam maternam, quæ Germanica erat, ex tenebris protraxit, obſoletis vocibus purgavit, & novis vocabulis adauxit. De eo Sigebertus in Chronicis ſub An. 794. *Menſibus anni juxta propriam, id eſt, Teutonicam linguam vocabula impoſuit.* Ac fuſiùs Eginardus in vita ejuſdem Karoli: *Menſibus etiam juxta patriam linguam nomina impoſuit, cùm ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim Barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis inſignivit, cùm priùs non amplius, quam vix quatuor ventorum vocabula inveniri poſſent. Menſium quidem Januarium appellavit,* Wintermonet; *Februarium* Hornung; *Martium* Lentzmonet; *Aprilem* Oſtermonet; *Majum* Wunnemonet; *Junium* Brachmonet; *Julium* Heumonet; *Auguſtum* Arnmonet; *Septembrem* Herbſtmonet; *Octobrem* Weinmonet; *Novembrem* Windmonet; *Decembrem* Heiligmonet. Idem *Karolus M.* quum hactenus Germanica lingua ſcribi haud poſſe putaretur, ſummo ſtudio *Grammaticam*

Teu-

Teutonicam adornare aggreſſus eſt; veluti ibidem Eginardus teſtatur. Memorat Trithemius, partem iſtius Grammaticæ inventam abs ſe, inſpectamque fuiſſe; ſed characteribus abſtruſis adeò inſolentem, ac literarum mirifico ductu intortam, ut nullus mortalium nec legere eam, nec intelligere potuerit. Verum incaſſus *Karoli* labos fuit, quum tanta linguæ Germanicæ haberetur difficultas, vt ſcribi, & ſuis depingi literis haud poſſe videretur. Hinc Otfridus, Weiſenburgenſis Monachus, qui circa eam tempeſtatem Evangelia verſibus Germanicis intexuit, ſuper aſperitate linguæ graviter queritur, ſummumque ſibi præbitum negotium fatetur. ut in lingua difficillima rude carmen pedibus inſtrueret. Inde eſt, quod Vadianus in Epiſtola ad Bullingerum ſcribit: *Nemo vernacula quicquam ſcripſit, adeò dura illo tempore, ut ne exprimi quidem ore ſine magnis ſibilis, hiatibus, & rictibus potuerit, nedum in literis commodè referri.* Acceſſit avaritia, ſive ambitio Monachorum ac Sacerdotum, qui quum curam diſciplinarum atque artium, peſſimo ſeculorum eorum fato, intra clauſtra ſua compegiſſent, ſtudiò & induſtria difficultatem horroremque linguæ alebant, ut eo modo abſterritis aut rejectis à ſtudiorum cultu Nobilibus: ipſi ſoli in aulis Principum & tribunalibus, eruditionis præmia honorèsque venditarent. Igitur Latini ſermonis uſus in conficiendis legum tabulis, in publicis privatisque rationibus, in monumentis omnibus obtinebat: hac linguâ fœdus Principes ſanciebant, hac Sacerdotes religionem interpretabantur, Judices teſtamenta, contractus, cauſas forenſes explicabant. Refert Beatus Rhenanus, propoſita ab Maximiliano Primo ingentia fuiſſe præmia, ſi quis publicas literas Germanico ſermone ante quingentos annos conſcriptas invenire ac proferre poſſet.

X. Nec tamen defuére poſt *Karolum M.* præclara ingenia, quæ omne ſtudium ad excolendas literas Germanicas attulerint; inter quæ ſemper memorandi ſunt viri egregii Rabanus Maurus, Haimo, Strabo, qui ſacrum Codicem in Teutonicam linguam transtulére; quorum opus tam citò interiiſſe, valdè dolendum poſteris omnibus, M. Flacius Illyricus in Præfat. in Otfridi Evang. non immeritò ſcribit. Sed

Cæſaris *Friderici II.*, hæc felicitas fuit, ut eo imperante lingua Germanica bonis avibus revocaretur: dum paullatim ſuis extari ſcribique literis, & in curias aulasque ſuô invehi ſtylô cœpit. Extat antiquiſſima Imperii conſtitutio linguâ Germanicâ ſub hoc Principe, ad A. CIↃ CCXXXVI. condita; cujus ut hactenus inſolitæ, citatô annô ſic meminerunt Annales Gotfridi Monachi: *Curia celeberrima in aſſumptiône beatæ Mariæ apud Maguntiam indicitur, ubi ferè omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus pax juratur, vetera jura ſtabiliuntur, nova ſtatuuntur, & Teutonico ſermone in membrana ſcripta omnibus publicantur.* Adjuvit tantæ linguæ incrementum *Rudolphus I.* de quo Aventinus lib. VII. *Statuit ut poſthac ob inſcitiam nobilitatis, Principum & Pontificum edicta, privilegia, &c. Teutonum lingua ederentur, quæ hactenus Romano ſermone data ſunt.* Similiter Cruſius Annal. Suev. lib. III. part. III. cap: I. *De hoc negotio ſic lego, Rudolphum juſſiſſe, ne amplius literas contractuum Notarii Latinè ſcriberent, ſed Germanicè. Multos enim ſimpliciores plebis antea Latina ſcriptione deceptos fuiſſe.* Nec dicendus fine laude *Ludovicus Bavarus* Imperator, cujus feliciſſimô imperiô, quum literarum ſtudia per *Italiam* ac *Germaniam* revocarentur, multi ad patrii ſermonis cultum adverterunt animos, eumque paullatim ad famam protulerunt. Poſtea, quum ſive inſcitiâ temporum, ſive ambitione ſacerdotum Latina rurſus lingua invaleſceret, Maximilianus I. in Comitiis Colonienſibus revocavit Conſtitutionem Rudolphi I decretôque ſanxit, ut omnia monumenta publica Germanico ſermone conſignarentur ſcriberenturque.

XI. Sed maximum decus ac robur linguæ acceſſit, regnante *Karolo V.* dum egregia provenerunt ingenia, quæ & religionem imperitiâ & ſordibus Sacerdotum contaminatam vindicarunt, & ſermonem noſtrum ex oblivione ac barbarie ereptum, præclaris ſtudiis illuſtrarunt. Inter cæteros *Martinum Lutherum* inprimis reſpicere ſoleo, virum antiquis majorem, qui doctiſſimis ſuis Bibliorum verſionibus, cæterisque præclaris operibus linguam Germanicam expolivit, & ad claritudinem ſuam produxit: planè ut divinô ejus beneficiô non ſolum juſtos honores Deo immortali reddere iterum edocti ſimus, ſed & puriùs, ac caſtiùs Germanicè loqui inceperimus. Sed

& no-

& noſtrô ſeculô, quum multi venuſtioris notæ homines, novitatis ſtudio & ambitione turbati, non ſolùm moribus atque veſtitu, ſed etiam dictionibus & vocibus aliarum gentium patriam conſuetudinem polluerent, linguamque mixturâ quadam peregrinarum vocum, miſerè lacerarent; reperti ſunt præſtantes viri, qui magnorum Principum auſpiciis, in ſocietatis clariſſimæ ſacra tranſivérè, ut patriam linguam retinerent in veteri ac illibato flore, eamque à contagione & commercio exoticarum vocum defenſam, ſuo ſeculo aſſererent. Quorum ſtudium, ſicuti ad augendam exornandamque linguæ dignitatem, maximè pertinet, atque inde immortali beneficio omnem ipſis poſteritatem obſtringit: ita eorum labos præproperus & intempeſtivus eſt, qui ſervili quadam & anxiâ ſuperſtitione nullas in ſermone noſtro admittendas voces putant, niſi Germanicas jactare poſſint origines, & ab omni exterarum vocum cognatione ac ſimilitudine, longiſſimè abſint. Multa enim obſoleta & inſipida in priſcæ vetuſtatis ſermone reperiuntur, quæ nec præſens ætas, nec politiora temporum noſtrorum ingenia admittunt; multa ex primordiis linguæ noſtræ tracta, nec majeſtatem, nec robur orationi afferunt: multa denique ſunt, quæ uſus optimus dicendi magiſter, ex aliis linguis invexit, & ſimul comprobavit. Nam ut rectè ait Flaccus ad Piſones:

Multa renaſcentur, quæ jam cecidêre; cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

XIII. Per hos gradus tracta & agitata eſt *Lingua Germanica*, donec noſtra tempeſtate ad id perveniret faſtigium, quo nihil grandius, nihil pulchrius eſt, ſive originem, ſive majeſtatem & amplitudinem conſideremus. Etenim penè cum ipſo orbe nata, quum diu migrationibus gentium, barbarie populorum, bellis innumeris nequicquam conflictata eſſet, tandem ex cineribus ſuis & ruinis pulchrior emerſit; quumve *Hiſpani*, *Galli*, *Britanni* antiquum amiſerint ſermonem, hæc ferè ſola ex *Celtica* lingua in æternitatem ſuam rara felicitate duravit. Et quum olim latiſſimum terrarum ſpatium, quod

quod illic ab *Iſtri* exitu, heic ab æterna *Septentrionis* hyeme, ipſisque Naturæ finibus claudebatur, ſola complecteretur; poſtea mirabili ſucceſſu per *Francos* in omnem *Galliam* illata eſt, ubi primi Reges, victoresque populi *Francicè*, hoc eſt, *Germanicè* loquebantur. Eadem tempeſtate per *Burgundiones*, queis popularis illa erat lingua, per *Alpes* & *Pyrenæos* montes latè diffuſa eſt, quum illi *Helvetios*, & extremas Galliæ partes, imperio premerent. Sed & *Longobardi*, quos *Germanicâ* linguâ uſos conſtat, in Italiam invexêre patrium ſermonem; ut & hodie nequicquam in legibus eorum explicandis ſe torqueant *Itali*, niſi *Germanos* interpretes conſulant. Quin hodie tantæ amplitudinis, quam per maximam Europæ partem *Germanica* ſibi confecit lingua, teſtis eſt ingens ille *Septentrionis* tractus, *Suecia*, *Dania*, *Norwegia*, in quorum moribus multa *Germanorum* veſtigia, in ſermone plura ſuperſunt. Ut minùs mirandum, quod Fl. Illyricus in Præfatione ad Otfridi Evangelia ſcripſit: *Quod hæc lingua multas habeat propagines, aut certè plurimas voces aliis linguis communicârit, ut Italicæ, Gallicæ Hiſpanicæ, Anglicæ, Polonicæ, Bohemicæ, & aliis, quæ nunc veteri linguæ notione minùs notæ ſint.* Atque ut hanc linguæ amplitudinem, qua multi præſtantiam ſermonis ſui metiuntur, hoc loco præteream; illa ſanè maxima gloria eſt ducenda, quòd ipſa propriis ſit opibus valida, cultu nativo formoſa, alieni fuci haud indiga: quæ & robore ſyllabarum, & vi vocum, & magnitudine pronunciationis politiſſimas orbis terrarum linguas aut æquat aut ſuperat. Nec enim delicatulos illos moramur, qui ſtolida abrepti ambitione peregrinum ſermonem aucupantur, & ut videantur à Majoribus deſciviſſe, patriæ linguæ Italicam aut Gallicam, illegitimas Latinæ filias, anteferre haud erubeſcunt. Quanto rectiùs de ea judicat Princeps ille Veronenſis, Julius Cæſar Scaliger, cujus illæ in linguam noſtram laudes extant: *Quæ capita maximè ſunt neceſſaria ad cujusvis linguæ perfectionem, ea cuncta atque univerſa veſtra, ac vel cum omnibus communia, ut æquales ſint, vel ſibi propria, ut ſuperior judicetur, reperientur. Jam tum primùm omnium breviſſima eſt, eoque naturæ vel imitatrix, vel æmula, vel potius ſocia. Deinde puriſſimam intelligas, quæ nullius exteri dominatus illuvie contaminata fuerit: (neque enim amittere debuit, quod aliis dare poſſet) tum autem copioſiſſima, omnesque capiens vocalium omnium, cæterorumque elementorum vel hiatus,*

vel

vel flexus, vel diſpoſitiones. Similia ſunt, quæ alter ille Italorum doctiſſimus ſcribit: *Fuiſſe olim fortaſſe tempus, quo lingua Germanica barbara & rudis habita fuerit: at hodie cum aliis linguis collatam nulli cedere, ſed integriorem & ſinceriorem omnibus exiſtere.* Fortaſſe tamen, dum illam temporum noſtrorum elegantiam in dicendo mecum verſo, dum mens mea in longiſſimum ævum, quo Majores noſtri horridè & aſperè loquebantur, retrò reſpicit, id ingeminare licebit, quod Varro in Bimargo dixit: AVI ET ATAVI NOSTRI, CUM ALLIUM AC CÆPE VERBA EORUM OLERENT, TAMEN OPTIME ANIMATI ERANT.

DISSERTATIO HISTORICA OCTAVA, PRIOR

DE

RELIGIONE GENTILI VETERUM GERMANORUM.

Breviarium.

§. 1. *Immanis Germanorum Veterum ſuperſtitio.* §. 2. *Spirituum & Dæmonum cultus.* §. 3. *De bono & malo Deo Slavorum & Saxonum.* §. 4. *Animæ humanæ veneratio in Manibus & Geniis defunctorum. De Diis Tuiſtone & Manno, Cæleſtes.* §. 5. *Herculis honores.* §. 6. *Quod numen Irmuſive Irmenſeul, apud Saxones fuerit.* §. 7. *Saxonum Dii Hama, Flinnus Siba &c.* §. 8. *Cultus ſiderum, & inprimis Planetarum.* §. 9. *De Sole,* §. 10. *Luna,* §. 11. *Marte,* §. 12. *Jove,* §. 13. *Saturno,* §. 14. *Venere,* §. 15. *Mercurio.* §. 16. *Cultus Elementorum: Telluris,* §. 17. *Ignis,* §. 18. *Aquæ,* §. 19. *Aeris* §. 20. *Inter Meteora quoque Fulmen & Venti*

& Venti divinis honoribus affecti. §. 21. 22. *Cultus vivorum hominum, tam virorum, quam faminarum.* §. 23. *Quadrupedes, Serpentes, Insecta inter numina habiti.* §. 24. *Magna Lucorum veneratio.* §. 25. *Selectarum arborum,* §. 26. *Montium & collium, de Symbolico cultu.* §. 27. *Quæ Theologia gentilis, quæve fides,* §. 28. *De Templis veterum & simulachris.* §. 29. *Qui ritus religionis, quæ cerimoniæ.* §. 30. *De victimis, humanis* §. 31. *quæ immolata fuerint animalia.* §. 32. *De sacris conviviis, & ludis festis.* §. 33. *Quod Sacerdotum apud Germanos veteres officium, quis honos fuerit.* §. 34. *Epilogus.*

VT Veterum Religio *Germanorum*, qualis post *Taciti* tempora viguit, penitùs oculis noſtris ſubjiciatur, primùm explicanda eſt hiſtoria *Theologiæ Gentilis*, quæ *Germaniam* per mediorum ſeculorum decurſum tenuit: inde ad ea intendendus animus, quis ſtatus, qui ritus, quæve fortuna Religionis fuerit, poſtquam beatiſſima *Chriſtianæ* fidei lux terris noſtris affulſit. Neque enim tam felicibus eſſe licuit *Germanis Transrhenanis*, ut quando *Aſiaticæ* gentes, & *Græcorum Latinorumq;* magna pars ſacris Chriſtianis initiabantur, illi à gentili ſuperſtitione diſcederent: ſed diu ſuis damnati tenebris jacuêre, donec ſeculo quintò *Franci*, poſt victos *Alamannos*, ad fidem converſi magnã *Germaniæ* Veteris partem in nova ſacra impulerunt. Sed regiones *Septentrionales*, & cunctas nationes in Aquilonẽ vergentes, diutius gentiũ religio detinuit obnoxias, dum *Saxones* primũ in ſacra noſtra per *Karolum M.* adacti, *Sueci* aliique Arctoi populi nono demum ſeculo in Religionem Chriſtianam cooptati, *Sclavi, Boruſſi, Rugiani, Friſones* ſeriùs etiam à Gentili ſuperſtitione traducti; & ut cæteros omittam; noviſſimè *Livonia* temporibus *Friderici* Primi, Imperatoris Germani, fidei noſtræ legibus acceſſit. Tam pertinacis diuturnæque ſuperſtitionis non alia fuit cauſa, quàm illa, quæ apud Aventinum Annal. Bojor. lib. III. à Proceribus Bojorum affertur: *Se non poſſe deſerere avitas cæremonias, quæ ipſis tot triumphos præſtitiſſent. Hanc novam religionem adverſam eſſe viris fortibus, & rei bellicæ ſtudioſis: religionem Chriſtianam, ut vera ſit, tamen inutilem eſſe Reipublicæ: principem, ſiquidem ſuo officio fungi velit, non poſſe eſſe Chriſtianum. Romani quòd à veteri cultu numinum deſciverint, hoſtibus ſuis inferiores eſſe. Chriſtum omnium deorum eſſe pauperrimum, qui ſuis cultoribus nihil aliud, præterquam contumelias & egeſtatem polliceatur & tribuat.*

II. In illam temporum caliginem, dum mediis ſeculis animum adver-

adverto, ingens deorum turba, nefanda ſacra, diri ritus menti oculisque offunduntur; quum à populo ferociſſimo conſecratum, variisque cæremoniis devotum inveniam; quicquid fere *Perſarum Ægyptiorum, Græcorum, Latinorumque* ſuperſtitio templis altaribusque intulerat. Ut non ſatis mirari queam illorum opinionem, qui *J. Cæſaris* auctoritate nixi, *Germanis* trés tantùm Deos, *Solem, Lunam, & Vulcanum*, aſſignant; quòd nimirùm, ut Cæſar lib. VI. ait, eos ſolos deorum numero ducerent, quos cernerent, quorumve opibus apertè juvarentur. At illum Cæſaris errorem ſatis ex priſco ævo refellunt Diodorus Siculus, Strabo, & Tacitus, qui longè plures Germanorum Deos enumerant: quorum ſententiam Viri diligentiſſimi. Ph. Cluverius, & Elias Schedius, qui de antiquiſſimis ſacris Diisque ſcripsêre, operoſis commentariis defenderunt. Sed nos more noſtro in media potiſſimùm reſpicimus ſecula, quibus Deorum numerus, ſolitô etiam auctior, creſcente ſuperſtitione ſtetit. De Sueonibus cæterisque Septentrionis gentibus Procopius rerum Gothicarum lib. II. *Deos ac Dæmonas plurimos colunt, cæleſtes ſimul atque aerios, ſimulque terreſtres & marinos, & nonnulla alia dæmonia, quæ in fontium fluminumque undis eſſe traduntur.* Sic de Boruſſis Guagninus Veronenſis, in deſcriptione Pruſſiæ fol. II. poſtquam jam plurimos deos enarráſſet: *Præterea tonitruis, lunæ, ſtellis, ſerpentibus, bufonibus, & omnibus penè creaturis divinum honorem deferebant.* Similia de innumeris Vandalorum Diis Crantzius Wandaliæ lib. III. cap. XXXVII. Saxo Grammaticus de diis Danorum ac Rugianorum Hiſtoriæ Danicæ lib. I. II. & XIII. Georgius Fabricius lib. I. Originum Saxonic. de Saxonum numinibus narrant. Quare nos, dum primùm in Religione Germanorum ipſos deſcribere Deos ſtatuimùs, rectè atque ordine faciemus, ſi primum *Spiritualem cultum* in DÆMONIBUS & GENIIS conſideremus; inde vaſtum iter per Cœlos atque Elementa ſuſcipiamus, ut in illis STELLAS ac PLANETAS, in his TERRAM, & IGNEM, & AQUAM, & AEREM ſua in veneratione intueamur: poſtremò inſpectis METEORUM honoribus, ad HOMINUM, QUADRUPEDUM, SERPENTUM, INSECTORUM, ARBORUM, MONTIUM, cultum deveniamus.

III. Ac primùm de SPIRITUUM cultu accepimus, receptam fuiſſe apud priſcos Germanos opinionem vetuſtiſſimarum ac maximarum gentium, quæ duo naturæ principia, *bonum Deum*, & *malum Dæmonem* ſta-

tuentes, quemadmodum auctorem boni coluêre, ut beneficiis adjuvaret exornaretque hominum genus, ita malum Genium adorandum putarunt, ne mala miseris mortalibus infligeret; ut pluribus Plutarchus libro de Iside & Osiride exponit. Nec alii *Germanis* antiquissimis fuêre, duo *illi lucorum præsides*, quos Tacitus in libello de moribus Germanorum cultos, *ut fratres, ut juvenes* à Naharvalis tradit: ipsi Romani interpretatione falsâ *Castorem* & *Pollucem* dixêre. Sed clarius exemplum in posteriori ævo occurrit apud Helmoldum libr. I. Chronic. Slavorum cap. LIII. ubi de *Slavis*, quorum pars magna cis Vistulam in Germania veteri incoluit, ista scribit: *In conviviis & compotationibus suis pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam consecrationis, sed exsecrationis verba, sub nomine DEORUM, BONI scilicet atque MALI: omnem prosperam fortunam à BONO DEO, adversam à MALO dirigi profitentes. Ideo etiam Malum Deum sua lingua* Diabol, *sive* Zeerneboch, *id est Nigrum Deum appellant.* Locum totum exscribit Crantzius Wandaliæ lib. III. cap. XXXVII. & *Wandalis* suis tribuit. Sed quem heic Slavi Vandalique vocant *Zeerneboch*, hunc Saxones antiqui appellant *Tybilenum*; ut notat Georgius Fabricius lib. I. Orig. Saxonicarum ubi & vocabulum *Tifel* sive Teuffel inde profluxisse existimat. Apud eundem invenio Dæmones ab antiquis esse cultos *Saxonibus*, quum ante tempora Karoli M. præter *Finnum* deum, & deam *Sibam*, inprimis venerarentur *Malum deum*, quem *Atrum* dixêre, sacrificiisque ac precibus propitiandum putarunt, ne noceret. Suecis quoque *Dæmones* summo in cultu fuisse, testatur Procopius lib. II. rerum Gothicarum: Θεὸς καὶ δαίμονας πολλοὺς σέβουσιν, ἐπουρίους τε καὶ ἀερίους; *Deos ac Dæmonas plurimos colunt, cœlestes juxta atque aereos.* Ubi, *Deos* ac *Dæmones* distinguit contrà mentem Platonicorum, qui omnes Spiritus, tam bonos, quàm malos sub nomine *Dæmoniorum* comprehenderunt: sed Majores nostri bonos Spiritus nomine *Angelorum Geniorumque*, malos autem appellationibus *Dæmonum* interpretabantur.

IV. Sed quum duplex sit *Creatura Spiritualis*, altera à nexibus corporeis semper libera, altera *Anima Humana*, quæ aliquando corpori juncta fuit, hanc quoque Germana superstitio dicavit cœlo, sub nomine GENIORUM ac MANIUM animas egregiorum ac fortium virorum consecravit; sive quia magnis beneficiis profuissent civibus suis, sive quoniam aut nobili invento, aut bellicis facinoribus famam invenissent.

Inter

Inter vetuſtiſſimos ſunt apud Tacitum Tuisto, ejusque filius Mannus, ac Hercules: nam *Ulyſſem* aut *Dioſcuros*, ex eodem auctore numerare inter Germanorum deos, abſurdum eſt, quum *Ulyſſes* nunquam fabuloſo illo itinere in mare Germanicum fuerit delatus, nedum Aſciburgium, in ripa Rheni conſtituerit, velut Brodæus benè in Miſcellaneis probavit: adhæc per duos luci præſides duosque fratres, non *Caſtor* & *Pollux*, quorum nunquam Germani habuêre nomina, ſed principium unum boni, alterum mali, adumbratum fuerit. De *Tuiſtone* autem & *Manno* Tacitus in lib. de morib. German. ait: *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Non dubito, quin *Tuiſto* ſit ipſe Adamus, qui terrâ editus fuit: niſi fortéan Deo ipſi, *Tuiſtonis* nomen adſcribendum eſt, quem aliæ quoque gentes *Theuth* & *Thoth* dixére, à quo non longè *Tuiſtonis* vocabulum abit. Sic *Mannus* erit *Noachus*, cujus tres filii orbem terrarum inter ſe diviſêre? quod Tacitus citato loco de Manno ſcribit: *Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur.* Utriusque memoria longè poſt Taciti tempora apud Septentrionales Germaniæ populos celebrata eſt; ſed inprimis ad *Manni* honores pertinere videtur clariſſimum illud apud *Rugianos* ſimulachrum, ad ſimilitudinem *Jani*, qui non alius ac Noachus dicendus eſt, affabrè effictum: quod Saxo Grammaticus Hiſt. Dan. lib. XIV. pluribus deſcripſit.

V. Major per multas Germaniæ gentes, & diuturnior Herculis fuit veneratio, de quo Tacitus ſuo ævo in libello de morib. Germanorum: *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Hunc Beroſus lib. v. Regem *Tuiſtonum* vocat, & temporibus Manalcæi regnâſſe tradit. Sed vero propius eſt, fuiſſe Heroem inclytæ fortitudinis, qualis Græcis *Hercules Thebanus* fuit; qui quum egregia facinora domi militiæque patrâſſet, illud à grata poſteritate nactus eſt, ut poſt mortem ſub Herois fortiſſimi nomine invocaretur. Sacram illi Hercyniam fuiſſe ſylvam, Jacobus Spiegelius ex Tacito conſtare contendit, ubi ad illa verba Ricardi Bartholini Peruſini Auſtriad. lib. VIII. commentatur:

Hec quondam priſcis, quæ ſacra ſub Hercule magno
Creditur, Helvetio ſumit de vertice ſylva
Principium, quæ lata ſuprà, quæque implicat infra.

Magis comperta ſunt, quæ de ejus cultu apud *Bavaros*, Aventinus Annal. Bojor. lib. III. ſcribit, ubi à Theodone Bavarorum Duce conſecratum *Herculi* lucum montemque ad Danubii ripas teſtatur. Verba ejus ſunt: *Thedo lucum & montem proximè Reginoburgum, Danubio imminentem, more majorum, Alemanno Herculi victori, & bellorum præſidi dedicavit, ejuſque nomine adpellari juſſit: ubi ſacris, ritu patrio, divis operari cœpit.* Idem lib. I. memorat, *Herculis* æreum ſignum in Richavia, cœnobio Suevorum, hactenus ſervatum, & ſua ætate à Johanne Stabio Hiſtoriographo Maximiliani Cæſaris translatum Tyrolios: manere adhuc à tanto nomine in Bavaria vicum, & arcem *Almoſtain*, & flumen *Alemannum*, cujus incolæ ſe vetuſtiſſimos Bojorum prædicent. Ex quibus verbis apparet, *Alemannum* mediis ſeculis apud Bojos Vindelicosque *Herculem* vocatum; quod & Althamerus Commentario in Taciti Germaniam fatetur, ubi vulgò illum *Allman* appellatum refert.

VI. Simile *Herculi*, aut certè cognatum fuit vaſtiſſimum illud & celeberrimum *Saxonum* Numen IRMUS, ERMENSEUL ſive ERMENSUEL, cujus mentio eſt in vita Karoli M. extremis Ludovici Pii temporibus ſcripta, item in Francorum Annalibus à Pythœo editis, ubi ad An. IↃCCLXXII. ſcribitur: *Carlus Saxoniam bello adgreſſus, Eresburgum caſtrum cepit, & idolum Saxonum, quod vocabatur IRMENSUL deſtruxit.* Sunt, qui *Irmenſeul* interpretantur *Mercurii ſtatuam*, quum *ermen*, *irmen*, vel *hirmen*, non aliud eſſe, quàm Græcum Ἑρμῆν, hoc eſt, Mercurium putent. Alii *Martem* faciunt, explicantes *Idermans Suyl*, hoc eſt, *Mars communis*; quòd commune profugium, & aſylum omnium *Mars* habeatur. Pro qua ſententia facit, quod ſtatua illa eſſet Dei toto corpore armati, ut illam Crantzius Saxoniæ lib. II. cap. IX. & Munſterus lib. III. Cosmogr. cap. CCCCXXXIII. deſcribunt. Apponam ipſa Crantzii verba, ut penitiùs forma clariſſimi ſimulachri cognoſcatur. *Erat*, inquit, *armati toto, corpore effigies, cujus in dextera ſignum militare, (noſtri vexillum vocant,) præferens roſam, cujus breve momentum, & facilis ortus & interitus: ita eventus prœliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem, facilè huc aut illuc inclinantem. Pectus inermę virſum præferebat, inter-*

interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo Leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat: floribus consito campo, in quo stabat, quòd nihil jucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere. Verùm enim verò, si ex vocabuli affinitate judicandum, non alia hæc statua fuerit, ac fortissimi Germanorum Herois ARMINII, qui Teutonibus *Herman* dicitur. In quam opinionem præter Davidem Chytræum inclinare videtur vir incomparabilis Gerardus Joh. Vossius lib. II. de Origine & progressu Idolol. cap. XXXII. qui statuam illam primitus heroici honoris causâ positam, mixtoque postea cultu in *Arminio* honoratum *Martem* vel *Herculem*, eruditè conjectat. Addo ego, non solùm *Martem & Herculem*, sed & *Mercurium, & Apollinem* simul in *Arminio* cultos, si vera est illa statuæ descriptio, quam Wernerus Rolevinc de Situ & Moribus Westphalorum lib. II. cap. III. affert. *Erant autem in statua prædicta Hermis vel quatuor imagines sculptæ, scilicet Martis, Mercurii, Herculis & Apollinis: sed tamen à Marte tanquam principaliori denominabatur locus.* Sed & apud Regionem recentiori nomine *Hermensul* dicitur; & in Glossario antiquo Hirmensul exponitur, *Colussus, altissima HERMINII columna.* Neque ad alium, quam ad *Arminium*, ducem Saxonum, pertinere videntur, quæ Crantzius de simili statua lib. II. Saxon. cap. IX. refert: *Repertum est diu post in loco Corbeja simulachrum cum inscriptione hac:* DUX EGO GENTIS SAXONUM; VICTORIAM CERTAM POLLICEOR VENERANTIBUS.

VII. Huc pertinent *Saxonum* Dii HAMA, FLINNUS, SIBA, quos Saxo-Grammaticus lib. I. recenset. Item numina *Vandalorum*, & inprimis *Rugianorum* SUANTOVITHUS, RUGIÆVITHUS, POREVITHUS, qui Manes defunctorum erant, & ad *S. Vitum*, hominem Christianum referendi, velut idem Saxo libr. XIV. & Albertus Crantzius Vandal. lib. III. cap. XXXVII. ostendunt. Quippe quum *Rugiani* à Saxonibus & Corbejensibus inprimis, religionem hausissent Christianam, eorumque exemplo in summo pretio habuissent *S. Vitum*, mox ad superstitionem Gentilem relapsi, non solùm perstiterunt in *S. Viti* cultu, sed & in supremi eum numinis locum evexére. Unde Helmoldus in Annalibus Slavorum lib. I. cap. LIII. *Inter multiformia Slavorum numina præpollet* Zuanthe Vith, *deus terræ Rugianorum; utpote efficacior in responsis: cujus intuitu cæteros quasi semideos æstimabant.* Sed & in *Dania Sueciaque*, quæ ad veterem quoque Germaniam pertinent, homines defunctos pro Diis esse

eſſe cultos, Johannes Magnus Gothorum Sueonumque Hiſtor. lib. I. cap. IX. X. & XI. agnoſcit, ubi THOR, & OTHINUS, aliique complures, poſtquam præſtigiis magicis opinionem divinitatis ſibi in terris circumpoſuiſſent, poſt mortem ad ſanctimoniam Deorum commigrârunt. Tales quoque *Prutenorum* ſive *Boruſſorum* Dii VURSCHAYTO, qui Lar erat, ſive Deus domeſticus, ac præerat jumentis & cæteris quadrupedibus: SNEYBRATO, cui cura erat avium: GURCHO, qui cibo potuique præfectus; quemadmodum in deſcriptione Pruſſ. apud Guagninum liquet. Similia *Alamannorum Bojorumque* numina, quæ more Romano *Genios* appellabant, & ex præſtantium fortiumque virorum animabus delectos à Deo, hominique, aut tutelæ regionis, & urbium præfectos atque appoſitos, tanquam cuſtodes & obſervatores credebant. Quod à Romanis acceptum, nullus dubito, qui *Genium dicebant naturalem Deum uniuſcujusque loci, vel rei aut hominis*, ut Servius in I. Georg. ait. Unde Symmachus Relatione ad Valentin. Theodoſ. & Arcad. *Ut animæ naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.*

VIII. A *Spirituum* cultu venio ad *Illuſtria cœli SIDERA*, quibus ſolertia Vatum ac Sacerdotum Gentilium, quum ſimpliciores naturam inviſibilium *Spirituum* haud caperent, corpora non abſimilia noſtris, ſed ſanguinis expertia, & corruptioni haud obnoxia tribuerunt, quæ tenui ſubalbidoque humore, loco ſanguinis, agitata, & ambroſiâ ac nectare paſta, egrederentur cæleſti domicilio ac ſimulachris ſuis, ubi mortalia tacuiſſent. Ac STELLIS quidem omnibus *Boruſſi Livonique* divinos honores deferebant: ſed cæteris Germaniæ populis præcipua in veneratione fuêre *Sidera erratica*, quæ PLANETAS vocant. Nec tamen Germani, ut Romani ac Græci, diſtinctâ genealogiâ, aut Latinâ interpretatione *Planetas* conſiderabant, ſed confuſâ Siderum ac Deorum appellatione, modò per Sidus *Martis* intellexêre *Jovem* & *Solem*, modò per *Mercurium* ejusque nominis planetam, *Solem* aut *Cælum* indigitârunt. Id præter alios demonſtrat Saxo Grammaticus Hiſt. Dan. lib. VI. exemplo *Thori* & *Othini*, quorum nominibus dies Jovis & Mercurii apud Danos inſigniti fuêre. Nos pauca tantùm inde deſcribemus: *Eos tamen*, inquit, *qui à noſtris colebantur, non eſſe, quos Romanorum vetuſtiſſimi Jovem Mercuriumque dixêre, vel quibus Græcia Latiumque plenum ſuperſtitioſis obſequium exolverunt, ex ipſa liquidò feriarũ appellatione colligitur. Ea enim, quæ apud noſtros Thor vel Othini dies dicitur, apud illos Jovis vel Mercurii feria nuncupatur. Si ergo Thor Jovem, Othinum Mercurii*

juxta

juxta designata interpretationis distinctionem accipimus, manente nostrorum assertione, Jovem Mercurii filium extitisse convincitur, apud quos Thor Othino genitus, vulgari sententia perhibetur. At Latini contrario opinionis tenore Mercurium Jove editum asseverant.

IX. Inter illustria Sidera, quæ suo agitantur motu, principem meritò locum deferimus SOLI, rectori Siderum, menti terrarum, lucisque publicæ auctori, cujus cultum vetustissimum apud Orientales gentes viguisse accepimus; *Romanis* etiam, ac *Græcis* tanta in veneratione, ut teste Macrobio Saturnalium lib. I. cap. XVII. omnes Deorum appellationes ad unum spectare *Solem* credantur. Illum Germanorum deum summum vocat Vossius pater lib. II. de vitiis Sermon cap. XX. existimatque sub nomine *Mercurii* adumbratum adoratumque fuisse. De antiquissimis Germanis Cæsar comment. de bell. Gal. lib. VI. *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur; SOLEM, & Vulcanum, & Lunam, reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Qui *Solis* cultus maximâ ferventissimaque superstitione apud gentem mansit, donec illa Christo nomen daret; quemadmodum cognoscere est ex Annalibus priscis, & præsertim iis Scriptoribus, qui vitas Sanctorum nobis reliquêre. Apud *Noricos* sub nomine *Beleni* adoratum fuisse, affirmat Vossius, adductis Tertulliani verbis, quæ in Apologetico cap. XXIV. leguntur: *Unicuique provinciæ & civitati suus Deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici Belenus.* Sed multò maxima *Solis* veneratio *Saxonibus*, qui huic uni se, more avito, servire apud Wernerum Rolevinc. de situ & moribus Westphal. lib. I. cap. VI. profitentur. Ita enim Regi Britonum, quum in Angliam venissent, de religione interrogati respondent: *Si verò de Religione quæritur, noveris nos, juxta morem paternum, SOLEM adorare.* Si Irenico Exeg. Germ. lib. XII. credendum, *Soltfeldii*, statua *Solis* à Julio Cæsare posita, ad Karolum M. usque stetit: quæ tota facibus ardentibus rutilans, caput radiis decorum ostentabat. Par ejusdem cultus apud cæteras gentes, quæ Septentrionales Germaniæ terras, *Sueciam & Norwegiam* incolebant; quum tantò impensiùs ducem illum & conditorem lucis publicæ sacrificiis placarent suis, quantò parciùs ille inter dira frigora radios salutares terris affunderet. Unde est, quòd extremæ *Septentrionis* nationes, tenui nunc quoque *Christi* notitiâ imbutæ, simulac æstivo tempore Sol conspici cœpit, adorent eum, gratiasque exorienti agant, quòd pro semestris spatii & tenebris & frigore

lucem caloremque afferat; ſicuti Olaus Magnus Rerum Gothicarum lib. III. cap. II. memoriæ prodidit.

X. Solis æmula LUNA eſt, noctis decus, noviſſimum ſidus, & terris familiariſſimum; quæ juxta Plinium II. Hiſt. Nat. cap. IX. *admirationem omnium vincit, ubi ejus vires, incrementa, deliquia, res in tota contemplatione naturæ maximè miras, oſtentoque ſimiles*, intuemur. Unde minùs fortè mirandum, ſi ſolam illam inter deas, ut Cæſar vult, habuerint Germani, quum gens in ſuperſtitionem præceps, hanc terris proximam maximè admiraretur, hujus eximiam pulchritudinem, ſenectutem & redivivam ſemper adoleſcentiam, ſtupendas in plantis, mutis animantibus, & hominibus ipſis vires, attonita ſpectaret, ſimulque veneraretur. Sed ſicuti aliæ per orbem terrarum gentes *Lunam*, nunc *Uraniam*, *Aſtartem*, *Alittam*, *Iſin*, nunc *Dianam*, *Lucinam*, *Junonem*, *Proſerpinam*, *Nemeſin* dixêre: ita Germani diverſum nomen numini indiderunt, prout rebus terreſtribus vires inſinuabat. MANAM priſcis communi appellatione dictam, facilè Montano aſſentior, quum & inde noſtrum Mond/ & Belgicum Maen ac Maendach/ dies Lunæ, remanſiſſe videantur. Nec malè ſuſpicatur Cluverius ISIDEM illam, cui partem *Suevorum* ſacrificâſſe ſcribit Tacitus non aliam, ac *Lunam* eſſe, quum & Ægyptii Græcique per *Iſidem* ſignificaverint *Lunam*, & Suevi ad Iſtri ripas habitantes, & ad Pontum usque Euxinum excurrentes, facile hæc vocabula ab Græcis hauſerint. Sanè poſteriori ævo nomen CISÆ ſive ZISÆ deæ apud Germanos religioſiſſimum fuit, quod ad veterem illam Suevorum Iſidem maximâ literarum cognatione accedit: unde nomen eſſe datum urbi *Ciſara*, ſive *Zizare* in Noricis finibus, Abbas Urſpergenſis in Chronicis ad An. CIↃC LXVII. affirmat. Frequentius & clarius Deæ nomen apud priſcos *Saxones*, ESTAR, ſive OSTAR, ſeu EOSTAR, à quo noſtrum Oſtern/ feſtum Paſchatis, appellationem traxit: quod vocabulum facili literarum mutatione ad *Aſtartem* ſive *Atergatem* accedit, quibus nominibus Sidonii ac Aſſyrii *Lunam* indigetabant. Docet Beda in libro de temporum ratione, cap. XIII. *Anglos*, Saxonicam gentem in Britanniam transgreſſos, per menſem Aprilem Deæ *Eoſtre* feſtos lætosque dies egiſſe, nam ut ait, *Aprilis*, *Eoſturmonath*, *qui nunc Paſchalis menſis interpretatur, quondam à Dea illorum, quæ Eoſtre vocabatur, & cui in illo feſta celebrant, nomen habuit*. Nec minor Deæ honos apud *Saxones*, qui Viſurgis Albisque ripas circumcolebant; cujus ſuperſtitionis famam nomen-

menq; retinuit Urbs *Lunæburgum*, ubi quondam clariſſimum *Lunæ* ſanum ſtetiſſe, Irenicus lib. XII. Exeg. Germ. & Chytræus in Hiſt. Sax. teſtantur.

XI. Poſt *Solem* ac *Lunam*, quos *Cæli oculos* appellabant Pythagoræi, proximus inter ſidera erratica occurrit MARS, vicinum *Soli* aſtrum, rutilumque ac ſanguineum, unde ira ac bella, & animi ardor ac robur: quæ cauſa eſt, ut bellis præeſſe videretur. Præcipuum Deorum vocant ipſi *Germani* apud Tacitum Annal. IV. ubi Tenecterorum Legatus, in hunc modum *Ubios* allocutus ſertur: *Rediiſſe vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Diis, ſed PRÆCIPUO DEORUM MARTI gratias agimus.* Celeberrimum ejus delubrum fuit in *Agrippinenſi Colonia*, ubi Aulus Vitellius quum in Germania Imperator & Cæſar ſalutaretur, *pugionem Othonis, quo ſe is occiderat, miſit MARTI dedicandum*, ut Suetonius in vita ejus loquitur. Etiam maximus ejus poſtea cultus apud *Scandinavia* incolas, de quibus Procopius in II. rerum Gothicarum ait: *Hoſtiarum illis pulcherrima eſt homo, quem bello primùm ſeperint. Hunc verò ſacrificant MARTI, quoniam illum Deorum cenſent maximum.* Quod & ſuâ ætate aſſerit Jornandes libro de rebus Geticis, ubi Martem *aſperrimâ* ſemper *placatum cultura* memorat. Et auctor eſt Althamerus Commentario in Taciti Germaniam, veſtigia Martiæ illius venerationis paſſim in multis Germaniæ urbibus ſupereſſe, quum *Marpurgum* Haſſiæ, *Marsburgium* Sueviæ, & *Martinopolis* Miſniæ à *Marte* devotum nomen hauſerint. Sanè B. Marcellinus apud Surium refert, *Dureſtadi* templum *Martis* fuiſſe, quod ſua adhuc ætate relliquias veteris ſuperſtitionis ſpiraverit. Eundem diu *Slavi Polonique*, teſte Cromero lib. III. ſub nomine *Ladonis* coluêre: quod & ab *Hunnis Vandalisque* ſactitatum, Bonfinius lib. IX. tradit. Id quoque *Saxonibus* in more poſitum ut ſub *Herculeo* ſymbolo *Martem* venerarentur. Witichindus Chronici Saxonici lib. I. *Secundum errorem paternum, ſacra ſua propria veneratione venerati, nimirum MARTEM, effigie columnarum imitantes HERCULEM.*

XII. Inter *Martis* ferventiſſimum, & *Saturni* frigidiſſimum ſidus, JOVIS ſtella media volvitur, quam *ſalutarem ad omnia* Capella, in VIII. ait: unde & *Jovem* ſuum Græci Latinique *Optimum Maximum* appellant. Ipſe olim princeps ac pater deorum hominumque multis gentibus habitus, qui & tonitrua ac fulmina cieret, & mortalium ſcelera ultrice tempeſtate vindicaret. Inde antiqui quoque *Celtæ*, quorum pars optima fuere *Germani*, illum ſub nomine TARANIS id eſt, *Tonantis* coluêre, quemadmodum viri docti ex illo Lucani verſu lib. I. collegerunt.

Et Taranes Scythicæ non mitior ara Diana.

Sanè *Taran* hodierno adhuc die Cambro-Britannis ſive Wallis *tonitru* vocari, aſſerit Bochartus Geographiæ ſacræ lib. I. cap. XLII. unde & trajectis pauculis literis Saxonicum Donner/ & Batavicum Donder deſcendere Cluverius opinatur. Atque ex illo *Tarane* profluxiſſe THOR ſive TOR, quomodo Sueones Danique *Jovem* appellabant admodum probabile eſt: firmatque opinionem M. Adamus Bremenſis, quum de Sueonibus ſeu Suediis ſcribit: THOR, *inquiunt, præſidet in aëre: qui tonitrus, & fulmina, ventos, imbresque ſerena & fruges gubernat.* Et mox: *Thor cum ſceptro Jovem exprimere videtur.* Idem docet Ericus Olaus Hiſtoriæ Suecicæ lib. I. cap. I. *Thor tanquam potentiſſimus & ſummus Deorum, in medio & aliis altior reſidebat, imagine viri nudi, dextra quidem ſceptrum, ſiniſtrâ verò ſeptem ſtellas præferentis, inſignis.* Ac paullo poſt: *Pro pluvia & aura neceſſaria invocabat THORUM, tanquam potentem in ſublimi: cujus etiam pàtrocinio ſe ſperabat ab incommodis impreſſionum, tonitru ac tempeſtatibus, fulmine grandineque conſervari: cui ſingulis hebdomatibus quintâ feriâ per deputatos Sacerdotes ſacrificia offerebat* (Suecorum populus) *à quo dies illa dicta erat Thorsdag.* Aliud teſtimonium culti in Suecia *Jovis* eſt, quod Saxo-Grammaticus lib XIII Hiſtor. Dan. de *Mallibus Jovialibus* perhibet, ubi ſcribit: *Magnus,* (Daniæ Rex) *inter cætera trophæorum ſuorum inſignia, inuſitati ponderis MALLEOS, quos JOVIALES vocabant, apud Inſularum quandam priſca virorum religione cultos in patriam deportandos curavit. Cupiens enim Antiquitas tonitruorum cauſas uſitatâ rerum ſimilitudine comprehendere, Malleos quibus cœli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat.* Ex eodem Saxone conſtat, quàm latè Germaniâ totâ omnique Septentrione patuerit JOVIS cultus, quum & Dani illum ſub nomine *Thori* adoraverint, & ſparſæ ad mare Balthicum Albimque nationes, ejusdem honori templa conſtruxerint. Tenet fama, *Hamburgum* Urbem à *Jove Hammone* appellatam: ibi olim nobiliſſimum ejus templum, ibi ſimulachrum ſtetiſſe, effigie Regis adumbratum, & fulmine ac ſceptro timendum, cujus dexteram maſcula numina *Apollo, Mercurius, Neptunus, Mars, Vulcanus Pluto,* lævam *Juno, Ceres, Venus, Minerva, Diana, Veſta* ſtiparent. Sed rectè Crantzius lib. II. Saxon. cap. XVI. arbitratur, fabulæ propius, quàm verò illud eſſe, quum præcipua Romanorum numina in Regione Trans-Albiana, ubi limes erat Romani Imperii, nunquam fuerint comperta, nedum ſuſcepta; adhæc *Hamburgum* non ab *Jove Hammone* ex ultima Lybia, ſed ab *Hama* nobi-

nobili Saxonum pugile nomen acceperit. Magis manifesta sunt, quæ de ejus cultu apud *Borussos* Eraſmus Stella in Antiq. Boruſſ. narrat; quæve de *Bohemis* refert Coſmas Pragenſis in Chronico Pragenſi, ubi eos *Jovi* litâſſe aſinô memorat.

XIII. At ſuprà *Iovem* ac *Martem* vagatur SATURNUS, ſidus tardum & frigidum, quia proximum extremo Mundo, congelatas tangit cœli regiones: unde & juxtà Ciceronem in III. de Natura Deorum, *SATURNUM vulgò maximè ad Occidentem colunt.* Et teſtis eſt Dionyſius Hal. libro 1. Antiq. Rom. *Celtis* aliisque gentibus Occidenti proximis, cultum eſſe *Saturnum*, humanisque placatum victimis, ut quondam ab Carthaginienſibus factitatum eſſet. Sed haud facilè dixerim, quo nomine ſuum *Saturnum* Germani noſtri, vel univerſi Celtæ appellaverint: nam quòd nonnulli conjectant, eum *Satar*, vel *Sater* vocatum, quia Belgis Weſtphalisque ſeptima feria Saterdag dicitur, vereor, ne objici rectiùs poſſit, id nomen ex Romanorum conſuetudine & lingua diei iſti adhæſiſſe. Verior Alberti Crantzii eſt opinio, cui *Saturnus* apud Germanos videtur nominatus CRODUS: quemadmodum lib. II. Saxon. c. XII. ait: *In arce Hartesborg idolum coluêre Saxones, cui nomen KRODO, (SATURNUM hunc dixêre Latini,) ſenem in piſce ſtantem, qui rotam tenerèt & urnam: in rota unionem populi, in urna rerum ſignificans abundantiam.* Confirmat opinionem præter teſtimonium Saxonis Grammatici, qui Hiſt. Dan. lib. 1. *Crodum* inter Saxonum deos refert, ipſa vocis appellatio, quæ corrupta videtur ex *Cxono*, ut magnus Voſſius exiſtimat: Κρόνος enim Græcis eſt *Saturnus*, deus falciger, quo Tempus ſignatur. Neque profectò alii, quàm *Saturno* temporis præſidi convenit illa *Crodi* effigies, quam Georgius Fabricius proponit lib. 1. Originum Saxonicarum his verbis: *Qui gentis Annales ediderunt, numen populare memorant, CRODUM quendam, MESSORIS ſpecie, qui cinctum luteum geſtat, dexterâ ferens vaſculum roſis repletum, ſiniſtrâ erectâ rotam currus. Pedibus nudis inſiſtit piſci ſquammoſo & aſpero, quem peream vocamus.* Atque hanc ſtatuam dejeciſſe fertur *Karolus M.* quum *Saxones* diutino bello fractos, ad religionem Chriſtianam compuliſſet: etſi nominis relliquiæ in deteſtationem rei peſſimæ, in poſteros duraverint. Crantzius lib. II. cap. XII. *Sed Karolus ſubvertit. Remanſit autem inter Saxones execrationis vocabulum, ut in deteſtationem rei peſſimæ dicant KRODO.*

XIV. Sequuntur ſtellæ VENERIS & MERCURII, quas Cicero in So-

mnio Scipionis vocat *Solis comites*; quòd, ut verbis Vitruvii lib. IX. cap. IV. utar, *circùm Solis radios, Solem ipſum, uti centrum, itineribus coronantes, regreſſus retrorſum & retardationes faciant.* Ac cultus quidem VENERIS à *Gracis*, Iſtri accolis, ad *Germanos* profluxiſſe videtur; numen non ſolùm Orienti toti, ſed Occidenti quoque ſacrum, quòd præeſſe generationi, & ad omneis venire res crederetur. Sed *Germanis* vocata exiſtimatur FREA, quam præſidem libertatis, uxoremque *Wodani*, ſive *Mercurii* Paullus Diaconus rerum Longobard. lib. I. cap. VIII. nuncupat: unde vocabulum illud noſtrum *Frey tag*/ & Suecorum *Frw genetrix*, & *Frööſemen*, manâſſe credibile eſt. Meminit ejusdem Saxo Grammaticus lib. I. II. & VIII. ubi *Friggam* nominat: quæ, more *Veneris Paphiæ*, vulgâſſe ſtuprô fertur corpus, ut ad divinitatis honores liberali impudicitiâ perveniret. Cæterùm ſicuti Græci Latinique ſidus hoc *Veneris* nunc conſiderabant ut maſculum, tunc ut fœmineum, quaſi Deum ἀνδρόγυνον; ita pariter *Germani*, modò ut Deum, modò ut Deam venerabantur. Sic memorat Adamus Bremenſis, ſuo ſeculo Upſaliæ apud *Suecos* templum totum ex auro paratum fuiſſe, in quo præter *Wodanum* cultus fuerit FRICCO, qui pacem voluptatesque largiri mortalibus crederetur: cujus ſimulachrum ingenti rigidoque priapô armatum, incolæ in celebrandis coronabant nuptiis, cæſisque victimis honorabant. Sed *Veneris*, ut deæ, ut fœminæ effigiem, qualis apud *Saxones* fuerit, deſcribit his verbis Lilius Gyraldus in Hiſtoria Deorum, ſyntagmate III. *Sanè fanum in Saxonia fuit, ubi talis VENERIS ſimulachrum in Saxonum hiſtoriis fuiſſe legi. Stabat dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextrâ mundi figuram, ſiniſtrâ mala aurea tria ferebat, poſt erant nudæ Gratiæ, nexis manibus poma geſtantes, averſis invicem vultibus dona conferentes. Jugales quadrigæ aderant, gemini cygni, totidemque columbæ.* Eadem ferè verba habet Cranzius lib. II. Saxon. cap. XII. ut Gyraldus ex hoc Saxonum ſcriptore ea exſcripſiſſe videatur: ſed id præterea à Cranzio additum, ſtetiſſe ſimulacrum illud *Magdeburgi*, ubi à *Romanis*, quum Druſus Nero, & filius ejus Germanicus provinciæ præeſſent, advectum ſacratumque arbitratur.

XV. *Veneri* ſuus adhæret MERCURIUS, quem maritum *Veneris Germani* vocabant. De priſco ejus cultu apud Germanos Tacitus de Moribus Germ. *Deorum maximè MERCURIUM colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Poſteri WODANUM ſive GVVODAN dixêre, de quo Paullus Diaconus Rerum Longobard. lib. I. cap. IX.

IX. ita ſcribit: *WODAN ſanè, quem adjectâ litera quidam GWODAN dixerunt, ipſe eſt, qui apud Romanos Mercurius dicitur: & ab univerſis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur.* Hunc ferè ad verbum ſecutus Gotefredus Viterbienſis in Chronico part. XVII. WOTAN, inquit, *quidam GWOTAN adjecta literâ dixerunt, ipſe eſt, qui apud Romanos dicitur Mercurius: & tunc ab univerſis Germanis ut Deus adorabatur: unde usque hodie GOT Teutonicâ linguâ dicitur Deus.* Ab eo eſt, quod *Mercurii* dies Suecis adhuc Odensdag/ Belgis autem Wodensdag/ ſive Wonsdag appelletur. Sed putat Voſſius pater, minùs rectè hoc Germanorum numen à Tacito vocatum fuiſſe *Mercurium*; quia *Wodan* apud Germanos nec literaturæ, nec facundiæ, nec negotiationi præfuiſſet. Neque *Wodan* Germanis fuit deorum nuncius, ſed ſummus Deus, ſed univerſi præſes: nam *Wodan* ſive *Woden*, eſt idem ac *Guodan*, ſive *Guode*, pro quo *Gode* vel *Got* nunc dicimus, ut idem Voſſius de Origine & Progreſſu Idolatr. lib. I. cap. XXXVII. fuſius deducit.

XVI. Relictis Sideribus accedo ad ELEMENTA, inter quæ primo loco occurrit TERRA ſive TELLUS, mater Deum magna, ad quam maxima *Celtarum* pars originem generis ſui referebat; quod de *Gallis* Cæſar lib. VI. de bel. Gal. teſtatur. Illum *Suevi* HERTHUM vocabant, ut Tacitus in libro de morib. Germ. notat, ubi de Reudingis, Eudoſibus, Suardonibus, & Nuithonibus ait: *Nec quicquam notabile in ſingulis; niſi, quòd in commune HERTHUM, id eſt, terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Ibidem arcanus deæ cultus & immanitas pleniùs deſcribuntur, quæ horrore & religione *Eleuſinia* Græcorum ſacra antecedunt. Et nomen quidem tantæ Deæ manſit poſteris, quum terra nobis Erde/ Anglo-Saxonibus Earth/ dicatur: neque venerationem ejus apud *Saxones Anglosq;* ante ſuſcepta Chriſtiana ſacra exoleviſſe, haud malè Henricus Spelmannus, Eques Anglus colligit ex ingentibus illis ſaxis, quæ in planitie Salisburienſi, certiſſima *Telluris* templi rudera, conſpiciantur. Eandem ſub nomine CERERIS, quod & *Romanis* ac *Græcis* factitatum eſt, cultam apud Septentrionales Germanos reperio; quemadmodum ejus venerationem è Græcia atque Italia in *Sueviam* migraſſe, Johannes Magnus lib. VII. cap. XXI. & Olaus M. lib. IX cap. XLV. notant. Ubi memoratu dignum eſt, quod Joh. Loccenius Antiq. Sueo-Goth. lib. I. cap. III. obſervat, morem illum à priſco *Cereris* cultu adhuc manſiſſe in *Suedia*, ut agreſtium uxores, ubi à puerperio templum ingre-

diun-

diuntur, placentas ex ſimilaginea farina pro Sacerdotibus loco donorum, aris imponant: quales olim à Romanis *Cereri* ejusque ſacerdotibus offerri ſolebant, ſicuti ritum illum tangit Horatius, lib. I. Epiſt. x.

Utque Sacerdotis fugitivus, liba recuſo:
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.

Etiam in Auguſtano Chronico, quod Piſtorius inter Scriptores Germanicos edidit, invenio cap. III. feſtum honori *Cereris* in *Rhætia* & *Vindelicis* agitatum fuiſſe, ibique arcam ſtetiſſe publicam, in qua frumentum *Cereri* ſacrum devotumque cuſtodiretur. Nec fallar, *Bohemorum* PLUTONEM, quem illis ſummo in pretio fuiſſe Cosmas Pragenſis ſcribit, ſub *Tellure* comprehendam, quum juxta Tullium in II. de Natura Deorum, terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata ſit, qui Græcis πλούτων dicitur. Quo pertinent cuncti infernales Dii, quos ex ipſa terrarum caligine Septentrionales maximè templis ſuis admoverunt. Ipſa quoque Nox, cujus honori datum eſt, ut non numero dierum, ſed noctium ſpatia omnis temporis priſci *Germani*, tum poſtea *Saxones*, *Dani*, *Sueci*, *Angli* definirent, ac computarent, ad *Tellurem* referenda eſt, quum & Græci furvam illam ac nigram deam in *Terra* matris veneratione complexi fuerint.

XVII. Sed ab IGNI, ſi præſtantiam Elementorum ſpectamus, initium ducere debebam, quum & ille excellenti agendi vi antecellat *Terram*, & longè ſimilior cœlo exiſtat. Illum nunc *Veſtam*, nunc *Vulcanum* Græci-Latinique dixêre. Sub poſteriore eum nomine, ſi Cæſari lib. VI. credimus venerati ſunt Germani; qui poſt *Solem* *Lunamq́* coluêre *Vulcanum*, quòd maximè ejus potentiâ adjuvarentur. Nec exolevit poſteris ſeculis veneratio, præſertim apud *Sarmaticas* nationes, eorumque vicinos *Germanos*, qui *Ignem* ſub vocabulo *Zniez* ad An. usque CIↃCCXX. coluêre; ut inter Scriptores rerum Sarmaticarum Guagninus refert. In *Boruſſia* quoque *Ignem* pro Deo habitum, eumque Veſtalium ritu ſervatum, ſatis indicant verba illa Guagnini in Deſcriptione Pruſſiæ fol. II. ubi de Peruno Prutenorum Deo agit: *In hujus laudem & honorem IGNIS ex quercubus conſtruebatur, Qui DIE NOCTEQUE PERPETUO ARDEBAT, & NUNQUAM EXTINGUEBATUR. Quod ſi negligentia miniſtrorum ad hoc officium præſtandum deputatorum ignem extingui contingeret, capitali ſupplicio afficiebantur.* A priſcis etiam *Saxonibus*, quum *Solem* præcipuè venerarentur, *Ignem* eſſe cultum, refert Crantzius

zius in Saxonicis: promptâ facilique gentium in elementum illud ſuperſtitione, quum & *Sotis* ſymbolum foret, visque ejus ad aras & focos pertineret.

XIIX. Pergo ad Elementa intermediæ poteſtatis, AQUAM & AEREM; quorum etſi *Aer* cum *Igni* maximè conveniat, quum flamma nihil aliud, quam aer ac fumus ardens ſit, antiquior tamen Græcis, Ægyptiis, Perſisque cultus *Aquæ* eſt, quàm *Ignis*; ſive quòd juxta Pindarum *optima rerum omnium Aqua* haberetur, ſive quod commodiſſima maximè uſibus humanis videretur. An vetuſtiſſimis quoque *Germanis* circa Cæſaris ac Taciti tempora, in veneratione fuerit, ambigere ſoleo, quum uterque Scriptor de illa ſileat. Sed in poſteriori ævo apud Septentrionales Germanos, inprimis *Suedos*, invenio *Aqua Deum*, quem vulgus hodièque, teſte Loccenio libr. 1. Antiquit. Sueo-Goth cap. III. NECCUM appellat, & raptos ab eo, aut ſuffocatos cenſet, quos aqua hauſit. Unde à *necare* fortean nomen accepit, ut & Gloſſarium Belgico-Gallicum Loccenio citatum innuit, in quo *Neccer* ſpiritus aquaticus, & *Necce* necare, interpretatione noſtrâ vertitur. Quæ vulgi ſuperſtitio adaucta eſt, poſtquam deprehenſum eſt, quibusdam undâ extractis gulam fractam, caputque obverſum; accedentibus haud dubio præſtigiis Dæmonum, quibus cœcæ hominum ſuperſtitioni illudere, familiare eſt. Verùm & *Fontes Fluviosq;* pro numinibus habitos oſtendit eruditiſſimus Voſſius de Orig. & Progreſ. Idol. lib. 1. cap. LXXXII. ubi ex Willibaldo affert exemplum *Cattorum*, ſive *Haſſorum*, quos S. Winfrid, cognomento Bonifacius, primus Epiſcopus Moguntinus ad fidem Chriſti convertit. Verba ipſa ex Willibaldi cap. VIII. ſunt: *Tum verò Heſſorum jam multi Catholicæ fidei ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritûs gratia confirmati, manus impoſitionem acceperunt. Et alii quidem, necdum animô confortati, intemeratæ fidei documenta, integrè recipere renuerunt: alii etiam lignis & FONTIBVS clanculò, alii apertè SACRIFICABANT.* Etiam Bohemos *Fontibus* obtuliſſe victimas, Dubravius lib. 1. Hiſtoriæ Bohemicæ teſtatur: idemque ferunt illa ejusdem verba lib. IX. *Cætera in Bojemia tranquilla erant, niſi quod ad vomitum ſuperſtitioſi rurſus revertebantur, Lares & Lemures colentes, VICTIMASQVE TUM AD FONTES, tum ad lucos & compita mactantes.* Ac de Saxonibus pariter Adamus Bremenſis: *Frondoſis arboribus FONTIBVSQVE VENERATIONEM exhibebant.*

XIX. Jam ſi AEREM reſpiciam, magnam quoque *Germanorum* partem in ejus cultu deprehendo; qui more Romanorum, hoc cor-

pus interjectum inter mare & cœlum *JVNONIS* nomine consecravêre. Causam appellationis paucis innuit Cicero in II. de Nat. Deorum, quòd *soror & conjux Jovis, quodve ei similitudo sit aetheris, & summa conjunctio.* De veneratione ejus prisca apud *Tungros* & *Eburones*, illa habet Chronicum Magnum Belgicum pag. III. *Debinc Maternus ascendit ad florentissimam tunc, sive nobilissimam civitatem Tungrensem, plenam idololatriis, quæ à B. Materno recipit fidem Christi: damnatur cultura Jovis, JVNONIS ac Veneris, & exstruitur templum B. Virginis.* Etiam *Saxonibus* deam fuisse habitam, satis indicare videntur verba Crantzii lib. II. cap. IX. ubi de *Irmensuel* agit. *Eresberg*, inquit, *dictus est mons, in quo Mersborg. nam & in eodem Irmenseul à Saxonibus colebatur — Eresberg ab HERA JVNONE dictum accipiunt, quàm etiam hodie VOLITARE rustici fabulantur PER AERA.* Ipsi quoque *Borussi Livonique*, teste Guagnino Veronensi in descriptione Sarmatiæ AERA Deum statuebant, non quidem sub nomine *Junonis*, sed sub appellatione PATELO, quem esse immensum, & infinitum, & semper in motu ferebant; quod Anaximenem olim etiam docuisse, Tullius in I. de Nat. Deorum testatur.

XX. Nec solùm Numinum loco habita sunt *Elementa*, sed præcipiti quoque gradu decursum est ad cultum eorum, quæ ex Elementis constant: qualia Veteres METEORA vocârunt. Ex his ante alia FULMEN divinos obtinuit honores, quod PERUNUM *Rutheni*, *Poloni*, *Lithuani*, *Prutheni* sive *Borussi* vocabant. De *Borussis* Guagninus Veronensis in descriptione Prussiæ fol. II. *Ex qua parte Prutenorum Deum, qui PERVNO, id est, PVLMEN dicebatur, habebant, in hujus laudem & honorem ignis ex quercubus construebatur.* Idem in descriptione Lithuaniæ: *FULMEN quoque, quod PERUNUM Sclavonicâ linguâ appellabant, pro Deo colebant.* Ejus simulachrum Sigismundus Liber Baro in Herberstein comment. rer. Moscovit. memorat, formâ effictum fuisse humanâ, quæ manu teneret lapidem ignitum ad modum fulminis: unde & nomen linguâ *Russicâ* ac *Polonicâ* illi adhæsit. Fama est, idolum illud, quum apud Novogardiam in flumen dejiceretur, natâsse flumine adverso, vocemque illam exauditam; *Hæc vobis, Novogardienses, in mei memoriam.* Sed & *Slavi* FULMEN sive TONITRU venerati sunt, ac summo pro numine habuêre: quemadmodum Procopius libr. III. Hist. Goth. & Dubravius Hist. Bohem. libr. I. referunt. Porrò inter *Meteora* VENTOS quoque cultu divino affectos, arguit illa Francorum consuetudo, qui ad tempestates *Ventosque* placandos, chartas carmine magico incantatas

suspen-

ſuſpendebant in altiſſima arboris ſtirpe: unde *tempeſtarii* & *obligatores* in Carolinis Conſtitutionibus vocari ſolent. Quo pertinet Lex illa *Karoli M.* in Receſſu Comitiorum Generalium cap. XVIII. *Ut clocas non baptizent, nec cartas per perticas pendant propter grandinem.* Major apud *Norwegia Sueciaq;* extremos populos *Venetis* veneratio, quos hodierno adhuc die, diris ſacrificiis, vi ſortium, malisque geniis ad imperium veneficarum cieri, & navigaturis vendi, præter Barclajum in Icone Animorum, multi Scriptores aſſeverant. Id quoque ex Loccenio Hiſtor. Suec. Libr. 1. cap. 1. conſtat, delatum *Erico Ingonis* regnum, *quòd in quamcunque plagam protenderet pileum, ventum ſibi obſequentem & ſecundum haberet:* unde & cognomen *Ventoſi Pilei* nactus eſt.

XXI. Nunc ad HOMINUM viventium cultum divinum venio, quem apud cæteras gentes invexit Principum ambitio, qui ſe ſuperſtites vivosque Deorum religione conſecrârunt: ſed apud Germanos non tam regnantium ſuperbia, quam magicis artibus effectum eſt, ut vivos Principes divinus honor comitaretur. Etenim quum hi multa ſtupenda ſecundo ſæpe eventu patrarent, & nunc ſpectra ac prodigia, nunc oracula ac Deorum reſponſa, è terra cavernis aut ſimulachris, ſolertiâ ſæpe ſuâ, ſæpe præſtigiis diabolicis ederent; facilè perſuaſum eſt populo ſuperſtitioſo & credulo, ineſſe illis vim divinitatis, qui magiâ, velut dignitate quâdam divinæ ac cœleſtis ſapientiæ, cæteris mortalibus præſtarent. Inde Saxo Grammaticus, quum lib. 1. narrâſſet, Mathematicos, genus Sapientum in Dania, præſtigiis ſuis cœleſtes meruiſſe honores, rectè ſubjungit: *Nec mirandum, ſi prodigialibus eorum portentis adducta barbaries, in adulterinæ religionis cultum conceſſerit, cùm Latinorum quoque prudentiam pellexerit talium quorundam divinis honoribus celebrata mortalitas.* Sed inprimis hæc ſuperſtitio Septentrionales Germaniæ terras agitavit, veluti de Suecia ſua Ericus Upſalenſis lib. 1. Hiſt. Suec. ſentit: *Ars magica multùm vigebat in hac terra, cujus artis profeſſores multa miranda & terrifica facientes, & alios ad ſtuporem vertentes, etiam ipſi amplo honore habiti ſunt.* Et Johannes Magnus lib. 1. Hiſtoriæ Epiſcoporum: *Magica ars in omnibus terris idololatriæ connata, maximum ubique præſtitit impedimentum propagandæ fidei Chriſtianæ, maximè verò in Suecia, & regnis Aquilonaribus.* Similia de *Danis* Saxo Grammaticus, de *Saxonibus* & *Vandalis* Crantzius ſcribunt; apud quos volupe eſt, legere Magorum opera, quibus Ulyſſis Æolique fabulam verò prodigiò æquarunt. Inter cœteros autem, quos magica ſcien-

tia ad divinitatis fastigium provexit, THORUS & OTHINUS, sive ODEN præsertim memorantur, qui ex Asia primum in *Suediam* delati, veneficiis suis omnem Septentrionem in admirationem & cultum sui impulerunt. Nec silendus BALDERUS, *inter regni Suecici proceres nobilissimus,, cui admiratione virtutis aut Magicarum artium delusa vetustas opinionem injecerat divinitatis, quòd diis genitus propitios haberet sui generis auctores,* ut Crantzius Saxon. lib. I. cap. v. loquitur.

XXII. Et quid mirum, vivos Principes ad gloriam sanctimoniamque Deorum commigrâsse, quum Fœminas etiam in numerum Dearum superstitio proterva retulerit. De VELLEDA scribit Tacitus lib. IV. Historiarum: *Ea virgo nationis Bructeræ, latè imperitabat, vetere apud Germanos more, quo PLERASQVE FOEMINARUM FATIDICAS, & augescente superstitione VENERENTUR DEAS.* Idem in libro de moribus Germanorum: *Vidimus sub divo Vespasiano VELLEDAM, diu apud plerosque NUMINIS LOCO habitam. Sed & olim AURINIAM, & complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent DEAS.* Causam muliebris istius cultus paulò ante præmittit: *Ineesse etiam sanctum aliquid & providum* (fœminis) *putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.* Inde *Nympharum* cultus apud *Bohemos* mansit, quarum honores & sacrificia & Dubravius Histor. Bohem. libr. I. recenset. Ac de *Rugianorum FOEMINIS Fatidicis,* quæ in rebus dubiis tanquam deæ consulebantur, agit Saxo Grammaticus Histor. Dan. lib. XIV. Ubi ita vaticinantes describit: *Foco assidentes, absque supputatione fortuitas in cinere lineas describebant. Quas si pares numerâssent prospera rei præscias arbitrabantur: si impares, sinistri præsagia autumabant.* Prætermitto heic fatidicas & divinatrices fœminas, quas *Helleruunas* vocat Ricardus Argentinus, *Hellirunas* Lindenbrogius, *Adelrunas* Johannes Magnus, *Alironias* Trithemius & Aventinus, *Alrunas* Loccenius: de quarum divinitate, doctrina, amplissimoque cultu Olaus Wormius Literat. Danic. cap. v, & Elias Schedius de Dîs Germanor. cap. XLIII. multa ex priscis Germanorum literis collegerunt. Sed non reticendum nobis propius ex Palatina Historia exemplum, quod de JETTA, muliere fatidica, ad has *Nicri* ripas cultâ, Hubertus Leodius in Antiquitat. Heidelbergæ urbis nobis reliquit. Placet ipsa verba adscribere, etsi ad scenam aptiora, quàm ad fidem videantur. *Vetula quadam,* inquit, *cui nomen JETTHA, eum collem, ubi nunc est arx Heidelbergensis,* & Jetthæ collem *etiam nunc nomen habet, inhabitabat: vetu-*

stis-

ſtisſimum phanum incolebat, cujus fragmenta adhuc nuper vidimus, dum Comes Palatinus Fridericus factus Elector egregiam domum conſtruxit, quam novam Aulam appellant. Hæc mulier vaticiniis inclyta, & quo venerabilior foret, rarò è phano in conſpectum hominum prodiens, volentibus conſilium ab ea petere, de feneſtra, non prodeunte vultu, reſpondebat. Et inter cætera prædixit, ut inconditis verſibus canebat, ſuo colli à fatis eſſe datum, ut futuris temporibus, regiis viris, quos nominatim recenſebat, inhabitaretur, coleretur, & ornaretur, vallisque ſub ipſa multo populo inhabitaretur.

XXIII. Neque heic ſtetit vefana *Germanorum* ſuperſtitio, ſed ad QVADRUPEDES etiam, & SERPENTES, atque INSECTA deſcenſum eſt, quibus ſtolida mortalitas, ritu Ægyptiorum veſano, divinos honores communicavit. Præ cæteris eximia EQUORUM veneratio, quos *Deorum conſcios* antiquiſſimi Majores noſtri putabant; de quibus Tacitus in lib. de morib. Germanor. *Proprium gentis EQUORUM quoque præſagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, CANDIDI & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos, ac rex, vel princeps civitatis comitantur, hinnitumque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides, non ſolùm apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes.* Simile quid de *Rugianis*, Vandalorum gente, in poſteriori ævo refert Saxo-Grammaticus Hiſt. Dan. lib. XIV. *Præterea*, inquit, *peculiarem ALBI COLORIS EQVUM titulo poſſidebat, cujus juba aut caudæ pilos convellere nefarium ducebatur. Hunc ſoli Sacerdoti paſcendi inſidendique jus erat, ne divini animalis uſus, quo frequentior, hoc vilior.* Addit deinde, auſpicia per eundem Equum ſumpta; quæ breviùs explicabo verbis Ditmari, qui idem equinum præſagium *LUITZICIS* adtribuit. *EQVUM*, inquit, *qui maximus inter alios habetur, & ut SACER ab his veneratur, ſuper fixas in terram duorum cuſpides haſtilium inter ſe transmiſſorum, ſupplici obſequio ducunt; & præmiſſis ſortibus, quibus id exploravêre priùs, per hunc quaſi divinum denuò augurantur.* Ab eadem ſuperſtitione eſt, quod Saxones *centum Equos niveos* Danorum Regum initio dedicaverint; ut Saxo Grammaticus lib. VIII. tradit. Poſt Equum ſua quoque ſacra fuêre ASINO, quem Plutoni conſecratum devotumque à *Bohemis*, Dubravius prodit. Etiam HIRCUM inter ſacra animalia habuêre *Boruſſi*; unde & magnam eorum partem Parentum adhuc memoriâ, Bodtheiligen/ appellatam Willichius commentario in Taciti Germaniam ſcribit. Eisdem *Boruſſis* SERPENTES eſſe cultos, oſtendit apud Guagninum in deſcriptione Boruſſiæ idolum

illud Patrimpo, *cujus cultus erat in SERPENTE vivo retinendo, qui lacte, ut eo commodiùs viveret, alebatur.* Sed & de *Serpentis*, cæterorumque *Quadrupedum & Inſectorum* veneratione apud *Boruſſos*, ſufficiunt illa ejusdem Guagnini verba, quæ paullò poſt ſubjungit: *Praterea tonitruis, Lunæ, ſtellis,* SERPENTIBUS, BUPHONIBUS, & OMNIBUS PENE CREATURIS *divinum honorem deferebant.*

XXIV. Ab *Animantibus* me refero ad res ſenſu expertes, & potiſſimùm quidem ad SYLVAS & NEMORA, quæ ſummo in cultu ac honore fuêre: ſive quod illa proceritas ſylvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ fidem numinis faceret, ut Seneca in Epiſtola XLI. opinatur, ſive quòd Arbores vetuſtæ, & ſolitam altitudinem egreſſæ, diis ſacrari ſolerent: veluti ex fabula de Eriſichtone apud Ovidium in Metamorph. lib. VIII. liquet. Antiquiſſimam ſanè, & ſanctiſſimam Arborum venerationem *Germanis* fuiſſe, affirmat Tyrius Maximus, qui *Celtas* QVERCUM coluiſſe ait, & *Jovis* nomine ſolenniter appellâſſe. Meminit cultus illius ſuâ ætate Claudianus de laudibus Stiliconis lib. I.

> *Ut procul HERCYNIÆ per vaſta ſilentia SYLVÆ*
> *Venari tutò liceat, LUCOSQVE VETUSTA*
> *RELLIGIONE TRUCES, & ROBORA NUMINIS inſtar*
> *Barbarici, noſtra feriant impunè ſecures.*

Solebant autem priſci *Lucos* conſecrare, ac Deorum inſignire nominibus, quos nempe ſibi & præſides nemoris, & numina tutelaria adſciſcebant. Ita *Theodo* Bavariæ Dux apud Aventinum lib. III. *LUCUM proximè Reginoburgium* Danubio imminentem, more majorum, *Alemanno Herculi victori & bellorum Præſidi dedicavit, EJUSQVE NOMINE adpellari jubet.* Pariter *lucus* prope Upſaliam *Odino* ſacratus eſt, unde Odenslundt/ teſte Loccenio, dictus: de cujus ſingulari apud *Suecos* veneratione ſic ſcribit Adamus Bremenſis in deſcriptione Scandinaviæ: *Is Lucus tam ſacer eſt gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus ex morte vel tabe immolatorum Divina credantur.* Atque is *Lucorum Arborumque* cultus, quum per *Longobardos Francosque* maximè vigeret, legibus ægrè coercitus & abolitus fuit, poſtquam jam Chriſtiana ſacra populos pervaſiſſent. Extat lex illa *Liutprandi* regis Longobardorum: *Qui ad ARBOREM, quam ruſtici Sacrivam vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii ſui in ſacro palatio.* Pariter, quum *Fran-*

ci

ei in Arborum venerationem proclives ruerent, interceſſit Gregorius Papa Epiſt. v. libr. VIII. petiitque abs Brunilde Francorum Regina, *Ne CULTORES ARBORUM in regno ſuo eſſe pateretur.*

XXV. Nec tamen promiſcua cunctis *Arboribus* veneratio erat, ſed ſelectæ quædam, & ex numero cæterorum ad ſanctitatem transſcriptæ, quas *SACRIVAS* dictas, ex cap. III. Concilii Altiſidiorenſis, & legibus Longobardicis lib. II. tit. XXXVIII. apparet. Inter has primum ſibi locum vendicabat QUERCUS, de cujus religione audire lubet Aventinum Annal. Bojor. libr. III. poſtquam duas vetuſtiſſimas *Quercus* in ripa Danubii conſecratas à Bavarorum duce Theodone enarrâſſet: *Nihil*, inquit: *SACRATIUS QUERCU Majores noſtri habuêre: nulla ſacra ſine hujus arboris fronde confecêre; ſacrificiis epulisq; ritè ſub hac arbore perpetratis, Deos adprecati ſunt. Viſcum ejus è cœlo miſſum putarunt, ſignumque eſſe á Deo electæ arboris: omnia ſanantem, ſuo vocabulo adpellantes: fœcunditatem eo puto dari cuicunque animalium ſterili arbitrati ſunt. Contra venena omnia eſſe remedio. Eo perinde ac nos aqua luſtrica, in expiationibus ſolennibus uſi ſunt.* Has ob cauſas *Sclavi*, quum *quercus* eximio honore proſequerentur, latiſſimo eas atrio ut Helmoldus refert, & ſepimento accuratiore ex lignis circumdabant, ne quid ex contagione profanorum incommodi acciperent: Boruſſi quoque, Guagnino teſte, ſacras illas arbores ſericeis velamentis obnubebant, condebantque, ut velut ex abdito religionem earum intenderent. Quercum excipiebat ABIES, ſi vera eſt hominum doctiſſimorum conjectura, qui celeberrimum illud *Germanorum* numen TANFANAM, cujus Tacitus in I. Annalium meminit, derivandum à *tan* vel *than abiete*, & priſca Gotho-Teutonica voce *fahna* vel *fan domino* aut *numine* arbitrantur. Ut *Tanfana* nihil aliud fuerit, quàm *luci abiegni patronus* aut *dominus*: quum ingenus arborum, quum adhuc incultum erat *Germania* ſolum, & uberius ad uſum, & lætius ad magnorum nemorum amplitudinem ſuccreſceret. Præterea PINUM præcipuo in honore fuiſſe, oſtendit Sulpicius Severus in vita B. Martini cap. X. ubi vir ſanctiſſimus arborem illam Dæmoni dedicatam, nequicquam tumultuante *Francorum* plebe, excidi imperavit.

XXVI. Heic quoque de MOMTIUM & COLLIUM cultu dicendum erat, quos nominibus Deorum non ſolùm appellabant conſecrabantq;, ut *Theodonis* Bavarorum ducis exemplo Aventinus lib. III. Annal. Bojor demonſtrat: ſed & in illis ſacra ſua faciebant: cujus rei veſtigia quidam contendunt eſſe ſaxa illa, ingentesque ſilices montibus collibusque

que impoſitos, quos quondam ararum uſui inſerviiſſe exiſtimant. Sed ego, ut ex tanta Deorum multitudine tandem elucter, ad *Poeticam Mythicamque* Majorum noſtrorum *Theologiam* propero, quæ per Symbolicum cultum, non ex Naturæ formula Deos, Deorumque dedicabat nomina, ſed ex ſimilitudine quadam numen ac poteſtatem ejus adumbrabat. Sic *Jovis* ſimulachrum apud *Celtas* erat alta quercus, teſte Maximo Tyrio diſſertat. XXXVIII. Et apud *Suiones Saxonesque* colebatur truncus rudis, in altum erectus, quem patriâ linguâ *Irminſul* vocabant; ut Adamus Bremenſis de illis ſcribit. Talis & ille Pruſſorum Deus *Patelo*, rudi ſimilis ſtipiti, cujus *honor in retinendo alicujus mortui hominis capite conſiſtebat*: ſicut Guagninus loco ſæpius allegato docet. Plura ejuſmodi ſimulachra, ſuis inſignis ſymbolisque divinitatem effingentia, videſis apud Saxonem, tum Johannem Magnum, Crantzium, Chytræum, qui fuſius in gentis ſuæ hiſtoria cultum ſymbolicum paſſim deſcribunt. Id adhuc hoc loco memorandum, quod de *Danis* M. Adamus Bremenſis cap. XXX. refert. *Cæſari miſerant GLADIUM, videlicet capulo tenus aureum, & alia multa: pacem firmam, ritu gentis, per arma juraverunt*: Quæ verba, mittendique *Gladii* ratio, lucem capiunt ex illis Ammiani verbis de *Alanis* lib. XXXI. *Nec templum apud eos viſitur, aut delubrum: nec tugurium quidem culmo tectum cerni usquam poteſt: Sed GLADIUS BARBARICO RITU humi figitur nudus, eumque UT MARTEM, regionum, quas circumeunt præſulem, VERECUNDIUS COLUNT.*

XXVII. Verùm ſatis diu in *Deorum* recenſione hæſimus, quorum turbam exactiùs deſcribere, nec ratio inſtituti, nec diſſertationis hujus permittit: nunc ad ea obiter convertemus animum, quæ Majorum Theologia Gentilis, quæ templa ſedesque Deûm, qui ritus religionis fuerint: per quos denique viros ſacra *Germanorum* adminiſtrata ſteterint. Ac primùm quidem, quæ priſca Germanorum *Theologia* fuerit, plenius executus eſt Ph. Cluverius, Germaniæ Antiquæ lib. I. cap. XXVI. & ſeqq. ubi Germanos cognoviſſe ait. *Mundi, Hominis, & Angelorum creationem*; item *horum lapſum, animæ immortalitatem, æternam vitam, terrarum inundationem*, & denique *finem hujus mundi*, qui ad extremum igni animante in cineres collapſurus eſſet. Quæ etſi vir eruditiſſimus ad Chriſtianæ fidei ſacra, ambitioſo quodam ſtudio & induſtria trahat, ut Majorum religionem ad ſanctioris doctrinæ præcepta adſtringat: facilè tamen in multis admittere poſſumus, quum neminem ambigere cenſeamus, quin plurima ex priſca hominum ſanctorum

rum traditione, plurima ex *Judæorum*, imò *Christianorum* sacris in *Gentium Theologiam* irrepsisse credat. At id minùs ferendum est, quòd statuat, *Priscos Germanos unum, verum, æternum Deum in TRINITATE coluisse, sub SOLIS, LUNÆ, atque IGNIS nominibus; ita ut Solem intelligerent esse Deum Patrem, Lunam Deum Filium, Vulcanum Spiritum Sanctum.* Certè quàm infirma sit illa conjectura, quæ ex tribus *Germanorum* diis, ut Cæsar falsò eos descripsit, magnum illud & ineffabile *Trinitatis* mysterium trahit, quivis facilè viderit, qui & infinitum illud, profanisque mentibus insuetum numen, & enormem Germanorum veterum superstitionem secum versaverit. Nisi forte statuendum sit, ab *Ægyptiis* quoque veteribus *Trinitatem* fuisse agnitam, quum olim pariter *Solem, Lunam*, & *Vulcanum*, Deos summos & maximos haberent; & hodie à *Peruanis*, barbaris *Americæ* populis, unam æternumque Deum in tribus coli numinibus, dum tres summos Deos *Viracocl en*, *Solem* & *Tonitru* venerantur. Sed malim in Deorum Gentilium interpretatione, accedere opinionibus Vossii patris, qui in opere illo incomparabili, quod de Origine & Progressu Idololatriæ inscripsit, dum gentium Deos enarrat, eorum sacra & naturam ad tria illa referre solet Theologiæ Gentilis genera, quorum unum *Mythicon*, alterum *Physicon*, tertium *Civile* Augustinus lib. vi. de Civit. Dei, cap. v. ex Varrone appellat.

XXVIII. Ad TEMPLA, Sedesque Deûm quod attinet, id ex Tacito liquet, nulla templa, neque delubra antiquissimis *Germanis* fuisse. Nam ut libro de moribus Germanorum ait: *Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrantur.* Et de Sicambris refert Trithemius de Orig. Francor. ubi de Marcomiri morte agit: *Usque ad illud tempus Sicambri non habuerunt templa deorum, sed sub quercubus litabant, & consultabant.* In qua sententia *Persæ* quoque veteres fuêre, à quibus incensa *Græcorum* templa Cicero in ii. de Legibus memorat, *quòd parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset & domus.* Igitur, teste Tacito, Lucos ac Nemora, consecrabant, Deorumque nominibus appellabant secretum illud, quod solâ reverentia videbant. Quæ opinio ab aliis etiam gentibus accepta est: unde Strabo dicit, *Templa* vocari Lucos à Poetis, quòd domicilia Deorum crederentur. Postea tamen ad tuguria & tecta translati Dii, quum simulacris formari exprimique cœpissent: unde

Scandianis **Sturgudarna** Deos appellatos, narrat Loccenius ex Petri Claudii deſcript. Norweg. quòd idola eorum ſub tectis aut in tuguriis ſtarent. Inde paullatim ad morem aliarum gentium conſtrui cœperunt Templa, quæ pro illius ævi ſimplicitate plerumque lignea fuêre, ut paſſim ex Saxone Grammatico, Adamo Bremenſi, Dithmaro, Witichindo aliisque obſervatur. Neque enim magnoperè ſaxea & lateritia delubra, quæ poſtea ambitio humana ſuperbis faſtigiis cœlo miſcuit, ſimpliciſſimi mortales æſtimabant, ſed ſuis gratiſſimum dius cultum putabant, qui non tam altiſſimis tectis, & invidenda marmorum ſe commendaret mole, quàm, quòd pulcherrimum pietatis genus eſt, dejectis humilibusque animis cœlo ſe inferret.

XXIX. Jam RITUS & CÆREMONIÆ, quibus ſacra ſua obibant, rudè aliquod, & inficetum pietatis genus præ ſe tulerunt. De ſacrificiorum apud Septentrionales ceremoniis Adamus Bremenſis ſic cenſet: *Nunc, quæ in ejusmodi ritibus libatoriis fieri ſolent, multiplices ſunt, & inhoneſta: ideo melius reticenda.* Nos tamen juvat nonnullos ritus ex antiquis eruere monumentis, præſertim eos, qui victimas, præcipuum religionis opus, præceſſerint, quivè ſecuti fuerint. Ante omnia in more poſitum erat, *Virtis* vincire arborem, ad quam hoſtias cæſuri erant. Quæ conſuetudo ex *Italia* profluxit, & non ſolùm in *Germaniam*, ſed in *Galliam Angliamque* ſe ſparſit, ut neceſſum fuerit à *Theodoſio* coerceri graviſſimâ lege, quæ in Cod. Theodoſ. leg. XII. de Pagan. ſacrific. exſtat. Præterea *Lumina* paſſim accendebant, ſaxis aut arboribus affixa; veluti illum morem *Karolus M.* in Capitulari de Reformatione Eccleſiæ Lege LXIV. tangit & ſimul damnat: *Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui ſtulti LUMINARIA, vel alias obſervationes FACIUNT, omninò mandamus, ut ipſe peſſimus uſus, & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & deſtruatur.* Inde *Vinò* arborem ſpargebant, aut nidore *thuris* luſtrabant: more quoque à *Romanis* ducto, cujus Theodoſius M. leg. XII. de pagan. ſacrific. & templ. ſic meminit: *Nullus omninò ex quolibet genere Larem igni, merò genium, Penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat.* Apud *Rugianos* quoque, ſcribente Saxone lib. XIV. priusquam aut immolarentur victimæ, aut auſpicia captarentur, ſacerdos pridie diei ſcopis ædem diligentiſſimè purgabat, obſervatâ illâ lege religioſiſſimâ, ne intrâ ædem funderet halitum, & Dei præſentiam mortalis ſpiritus contagione pollueret. Cæterùm inter iſtas ſacrificiorum præparationes *Donaria* ab affluentibus viris

viris fœminisque offerebantur; de quorum ratione legi poſſunt, quæ ex noſtris quoque moribus Philip. Tomaſinus Italus in erudito de Donariis & Tabellis votivis congeſſit.

XXX. Ipſas victimas apud plerosque commendabat humanus ſanguis, effuſus ante Deorum aras, & diro carmine devotus: introductâ immani illa ac barbarâ Scytharum conſuetudine, qui deos immortales hominum ſcelere ac ſanguine poſſe placari arbitrabantur. Quin vulgata inter omnes opinio, ut Crantzius in Vandalicis libr. III. cap. XXII. notat, delectari ſanguine deos, & facilius ex imis cieri ſedibus dæmones, & ad edenda oracula invitari, ſi pro victimis homines immolarentur. Antiquiſſimum truculenti illius ſacrificii morem obſervat Tacitus in Majoribus noſtris, qui certis diebus humanis quoq; hoſtiis Mercurio litabant: veluti & apud eundem *Suevi ſtato tempore in ſylvam coeunt, caſoque publicè homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.* Sed frequentiora ævo inferiori exempla occurrunt. Procopius libr. II. de bello Gothico refert, *Francos*, etſi Chriſtum jam colerent, humanis tamen ad ſuum ævum hoſtiis uſos. Idem libro eodem de *Scandinaviæ* incolis: *Hoſtiarum illis pulcherrima homo, quem bello primum ceperint.* Quod de *Gothis* quoque Jornandes in rebus Geticis ſcribit, ubi *victimas Martis mortes fuiſſe captorum* memorat. Sic Dithmarus lib. I. tradit, *Normannos* ac *Danos* quotannis menſe Januario dîs ſuis immolâſſe XCIX. homines, totidem equos cum canibus & gallis: ab eaq; barbarie *Henricum Aucupem* eos abduxiſſe. De *Rugianis* narrat Helmoldus in Annalibus Slavorum lib. I. cap. LIII. eos quotannis deo ſuo *Zuanta Vitho* immolâſſe hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaſſet. Similia de cæteris *Vandalis* prodit Crantzius lib. III. rerum Vandalicarum, cap. XXXVII. ubi mactatos ſæpè homines Chriſtianos tradit, quod eorum ſanguinem diis omnibus acceptiſſimum putarent. In *Suecia* etiam auſpicatiſſimum ſacrificium habitum, ſi ſors ipſum Regem tetigiſſet; cujus immolationem univerſa multitudo fauſtis acclamationibus, applauſuque magno proſequebatur: quemadmodum Loccenius lib. I. Antiquit. Sueo-Goth. exemplo Regis *Domalderis* demonſtrat, qui ſacris devotus & immolatus ad mitigandam graſſantem famem fertur.

XXXI. Molliora iſta fuêre ſacrificia, quæ tantùm inter animalium immolandorum ſanguinem ſteterunt: veluti *Herculem* & *Martem* conceſſis animalibus placatos, Tacitus de morib. Germ. aſſerit. Quæ verò conceſſa illa fuerint animalia, in obſcuro eſt, quum non una ea-

demque animalia ab omnibus ad victimas delecta sint. *Celtæ* prisci, si Plinio fides, duos candidi coloris *Tauros* aris admovebant, quorum tunc primùm cornua vinciebantur. *Dani Normannique* veteres, quibus & *Saxones* accedunt, *Equos* immolabant: quibus & *Canes*, & *Gallos gallinaceos* adjungebant, ut Dithmarus testis est. *Bohemos Asinô* litâsse Plutoni, Dubravius in Historia Bohemica lib. I. recenset. Ad *Vandalorum* altaria *Boves* ac *Oves* cecidisse, ex Crantzii Historia Vandalica lib. III. cap. XXXVII. accepimus. At *Borussorum* maxima pars *Hircum* suis mactabant Diis; quod quum nupero adhuc seculo factitarent, nefandum sacrificium Sigismundi Marchionis Brandenburgici pietate sublatum, & interdictum Willichius commentariô in Taciti Germaniam refert. Id quoque disco ex Adamo Bremensi, *Suedos*, aliosque Septentrionales Germanos novenario in numero aliquid mysticum posuisse: unde & publicus Upsaliæ conventus quolibet novennio institutus, qui sicut novem durabat dies, ita nonaginta novem hostias poscebat. Nimirum ut idem scriptor ait: *Ex omni animante, quod masculinum est, NOVEM CAPITA offeruntur: quorum sanguine deos tales placari mos est.*

XXXII. Peractis sacrificiis ad *Ludos* solennes decursum est, quibus festum diem noctemque transegerunt; ut passim ex Tacito liquet. Sed inprimis Epulas lautiores sacro in nemore instruebant; quod idem Romanus scriptor Annal. I. sic notat: *Attulerant exploratores, festam eam Germanis noctem, ac SOLENNIBUS EPULIS ludicram.* Quem morem inferiori quoque ævo servatum, ex historia populorum Septentrionalium constat, qui in Templis solennes instituerunt commessationes, quas patriâ linguâ **Offergille** vocabant. In his poculum singulis diis, eorumq; honori libârunt biberuntque, quo simul votum pro Regis salute & victoriis, regni incremento & fructibus, rebus felicibus terra marique, complexi sunt. Quâ de re prolixiùs agunt Messenius in Theatro Stat. Suec. cap. XXXII. & Loccenius in Antiq. Sueo-Goth. libr. I. cap. III. quorum ille Olaum Magnum, hic Chronicon Norwegicum pro testimonio adducit. Ubi dubius hæreo, num ludicrum illud ab *Asiaticis* acceperint gentibus *Germani*, an à *Græcis*, quorum Olympia, Pythia, Isthmia, sacra simul atque ludicra literis priscis celebrata sunt? Fuisse & apud *Romanos* nullum sacrum publicum sine epulis ludisque, satis ex Livio compertum est; & ex posteriori ævo notum est illud Prudentii lib. I. contra Symmachum:

Ju-

- - Juno etiam celebri de menſe litatur.
Auſpiciis, EPULISQVE SACRIS, quas inveterato
Heu miſeri ſub honore agitant, & gaudia ducunt.

XXXIII. Supereſt, ut de *SACERDOTIBUS* Miniſtrisque ſacrorum dicamus, qui religiones interpretati fuêre, ac ſacrificia publica ac privata procurârunt. Hos olim *Druides* vocatos Diodorus Siculus, Strabo, & Tacitus ferunt: ſive ita dicti ἀπὸ τῶν δρυῶν, quòd querceta inhabitarent, ut Plinius lib. XVI. cap. XLIV. vult: ſive vox illa ab antiquo Germanorum verbo *Dry*, aut *Druchtin*, quod *Magum* ac *Dominum* ſignificat, originem accepit. Neque verò ex plebe aut ingenuis quispiam ad ſacerdotium, aut rerum ſacrarum curam admittebatur: ſed delecti ex prima nobilitate, qui clam & diu vicenos annos, juxta Melam lib. III. cap. II. in diſciplina permanerent. Id enim debebatur Sacerdotum dignitati, qui ſimul Rempublicam religionum authoritate gubernabant: à cujus cura profanos ignobilesque animos arcendos putabant, ne Sacerdotii vilitate ipſa ſimul Respublica peſſundaretur. Ac profectò non alia gens majorem honorem ſuis habuit ſacerdotibus: nam & hi in pace populum ſanctimoniâ religionis obnoxium ducebant, & in bello pœnas præmiaque conſtituebant. Hinc Tacitus de moribus Germanorum: *Neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi SACERDOTIBUS permiſſum.* Par poſteris ſeculis apud plerasque gentes Sacerdotibus poteſtas, cujus exempla profert Helmoldus de Slavis: *Rex apud eos modica æſtimationis eſt comparatione Flaminis.* Et de *Rugianis* idem: *Flaminem ſuum, non minùs, quàm Regem venerantur.* De *Boruſſis* Guagninus Veronenſis in deſcriptione Boruſſiæ: *Bruteno ſummus ſacerdos gentili ritu effectus eſt, nomenque ei dignitatis inditum fuit*, Kirie Kirieyto, *quaſi dicas PROXIMUS NOSTER DOMINUS.* Nec diſſimiliter Trithemius ex Hunibaldo de Orig. Francorum, de *Hildegaſto*, Pontifice ac Vate Francorum, *qui tantæ apud Francos opinionis & reputationis fuit, ut ab omnibus TANQUAM NUMEN ALIQUOD audiretur, imperaretque & Regibus Ducibuque, & univerſo populo Francorum, ſicut DEUS ET DOMINUS.*

XXXIV. Sed jam pertæſus ſuperſtitionis gentilis, jam laſſus prodigioſis Majorum erroribus, ex ipſa caligine reſpicio beatiſſimam Chriſtianæ Religionis lucem, quæ profanas tenebras diſcuſſit, & nos uni DEO aſſeruit.

O salve Lux alma mihi, quæ lumine pulchro
Æternas noctes, tristesque caliginis umbras
Dispellis, totoque imples mea pectora Christo!
Te fulgente suas felix Germania flammas
Extulit, & sacris caluerunt ignibus Alpes,
Ac latè Hercynias sylvas, lucosque vetustâ
Relligione truces sanctissimus imbuit ardor,
Jam mihi cernuntur mœstos altaribus ustis
Demigrare deos, Druidesque excedere sylvâ,
Et pavidas suetis Nymphas ululare sub antris.
Non jam nocturnas Stygio dis inchoat aras,
Et diris hominum supponit viscera flammis,
Ac fronti invergit sacratæ vina sacerdos:
Sed populi in cœlum erecti, qui carmine laudes,
CHRISTE, tuas, & facta ferunt, grandesque triumphos.

DISSERTATIO HISTORICA OCTAVA, POSTERIOR DE RELIGIONE CHRISTIANA VETERUM GERMANORUM.

BREVIARIUM.

§. 1. *Ecclesiarum Germanicarum antiquitas in Germania Cis Rhenana.* §. 2. *Quando quibusque auspiciis Religio Christiana in Germaniam TransRhenanam introducta.* §. 3. *Quæ doctrina, quod regimen Ecclesiæ veteris Germanicæ.* §. 4. *Episcoporum conditio & fortuna.* §. 5. *diversitas inter Galliam & Germaniam.* §. 6. *ratio istius diversitatis.* §. 7. *Mutatio purioris doctrinæ per Bonifacium Mozuntinum Archiepiscopum.* §. 8. *Quis status Eccle-*

Eccleſia, regnante Pipino & Karolo M. §. 9. 10. 11. Quod regimen Eccleſiæ, quæ doctrina Seculo nono. §. 12. 13. Status ſeculi decimi. §. 14. 15. 16 Status Seculi undecimi. §. 17. Quomodo ſeculo duodecimo Eccleſia Germanica ab imperio Cæſaris detracta in poteſtatem Pontificis Romani conceſſerit. §. 18. hinc immenſum creſcunt Eccleſiæ opes, inſtituuntur Ordines Militares, §. 19. deficit doctrinæ puritas §. 20. Exorti Waldenſes. §. 21. conturbatio Eccleſiæ ex Principum diſcordia. §. 22. ſtatus & doctrina ſeculi decimi tertii. §. 23 turbatus Eccleſiæ ſtatus ſub Friderico ſecundo & interregno. §. 24. ſanior doctrina. §. 25. ſtatus ſeculi decimi quinti corruptiſſimus §. 26. prædicatio crucis contra Turcas. §. 27-30. Origo Annatarum in Germania, ac circa illas motus. § 31. ſtatus ſeculi decimi quinti, Huſſiticum bellum § 32. Emendatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ fruſtra tentata. §. 33. Oppreſſa ſanior doctrina. §. 34. Cleri incontinentia & libido. §. 35. Concilium Baſileenſe. §. 36 37. Nova tributa Germanis a pontifice impoſita à principibus quibusdam detrectantur. §. 38. Seculo decimo ſexto Eccleſia per Lutherum Zwinglium & alios purgatur.

CHRISTIANÆ jam hinc *Religionis* apud *Germanos* incrementa, mutationes inclytas, præcepta ſacroſancta, imperiaque rituum & cæremoniarum peragam: quæ ut lætiora gratioraque narratu eſſent, priorum temporum portentoſa ſuperſtitio fecit. Igitur quum *Romam Italiamque* ſanctiſſima *Chriſti* Servatoris noſtri gloria implêſſet, ſimul novæ fidei præcepta per provincias Romanorum, *Germaniam Primam* & *Secundam*, tum *Rhætiam* & *Noricum* diducta ac communicata fuêre: etſi tantum beneficium *Græcis* magis, quam *Latinis* debendum Walafridus Strabo lib. VII. affirmet. Ac tenet haud inanis fama, ut Rhenanus Rer. Germanor. lib. ait, *Maternum* divi *Petri* juſſu veniſſe in *Germaniam*, novisque ſacris populum alligaſſe: cujus proinde monumentum apud *Hellum* tribus milliaribus à *Seleſtadio* diſtantem oſtendatur. Id ſatis ex *Iræneo*, vetuſtiſſimo inter Scriptores Chriſtianos conſtat, maturè *Germaniam* ad *Chriſtum* converſam: eam videlicet, quæ *Cis Rhenana*, Provincia *Romanorum*, & in *Primam* & *Secundam* diviſa ſtetit. Nam in *ulteriorem Germaniam*, quam diſcriminis causâ *Veterem*, aut *Trans Rhenanam* appellant, rarus aut nullus Chriſtiano nomini honos ante ſeculum octavum, quo demum *Pipinus & Karolus M.* operâ imprimis *Bonifacii*, Epiſcopi Moguntini, *Bojos*, *Saxones*, *Thuringos*, *Haſſos*, *Dacos*, *Slavos*, *Friſios*,

ſios, magnamque *Noricorum* partem, in *Chriſtianum* nomen cooptarunt.

II. Igitur nobiliſſimæ *Eccleſiæ*, ejusdem cum *Illyricis* & *Gallicis* vetuſtatis, *cis Rhenum* & *Danubium* inſtitutæ fuêre: quales *Moguntina*, *Trevirenſis*, *Wormatienſis*, *Colonienſis*, *Tungrenſis*, *Argentinenſis*, *Iuvavienſis* memorantur: facili promptoque populorum ad novam doctrinam acceſſu, quum & humanitate cæteros antecederent *Germanos*, & Linguam *Romanam*, quâ divini verbi Præcones ex urbe *Roma* miſſi utebantur, probè callerent. Sed quum mox *Alamanni*, ſuis exciti ſedibus, in *Germaniam Primam* ſe infunderent, oppreſſisque *Helvetiis*, Rauracis, & *Burgundionibus*, vaſtiſſimum imperium cis *Rhenum* inſtituerent, exciſa ſunt à populo veteris ſuperſtitionis tenaciſſimo *Chriſtiana* ſacra, & ingenti ſtrage tàm in ipſos homines, quàm templorum parietes & altaria ſævitum: quemadmodum cladem ipſam divus *Hieronymus* Epiſt. vii. deplorat. Inde vertente ſe rerum fortuna, quum *Franci* magnâ victoriâ ad *Tolbiacum* obruiſſent *Alamannos*, Rex *Clodovæus* votorum reus Religionem Chriſtianam amplexus eſt, eandemque *Francis*, maximæ in terris *Germanorum* genti, inſtauratis priſcis per partes *Cis Rhenanas* Eccleſiis, imperavit. Ab his *Alamanni*, & qui poſt hos domiti aut in ſocietatem adſciti ſunt, religionem ſuſcepêre: adnitente inprimis *Karolo M.* ut omnis *Germania*, ſive per arma, ſive per fœdus coacta, eum novo ritu coleret, quem *Franci* Servatorum humani generis vocarent.

III. Adactis in ſacra Chriſtiana *Germanis Cis Rhenanis*, *Rhætorumque* ac *Noricorum* parte, ſimplicior puriorque doctrina, & juxta præſcriptum *Apoſtolorum* obtinuit: inprimis apud doctiſſimos & optimos accepta eſt *Auguſtini* in rerum ſacrarum interpretatione ſententia, quam poſtea *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Maximus Taurinenſis*, *Proſper Gallus* commendavêre, & in poſteros longè latèque propagârunt. Tunc maxima *Sacri Codicis* reverentia & auctoritas, in qua expreſſiſſe Deum, quæ ad ſalutem neceſſaria, piè cenſebatur. Potiſſima cura, inferre in templa innocentiam puramque mentem: id ſanctius videbatur, ac aurum imponere altaribus, aut anxiis ceremoniis animum onerare. In *Juſtificatione* miſerorum mortalium ante tribunal Dei, ſolum *Chriſti* morientis meritum, quo in fatali trabe expiaſſet hominum ſcelera, ſufficere credebatur. Inde nullis Sancti manes fatigati precibus, aut in cœlitum numero præter *Chriſtum* quæſiti, quorum ope peccator homo in cœlos conſcenderet. Sed quum omnes

ómnes labe errantis *Adami* eſſemus polluti, juſtitiæque divinæ obnoxii, ea erat opinio, hos miſerante Deo deſtinari Superis, eos fatali ſuâ culpâ relinqui inferis, ut læſæ Majeſtatis divinæ pœnas ſuſtinerent. Induere Deum ſimulachris, aut in viliſſima materia dedicare, fas haud putabatur, quum animo caſto ſolaque fide ſummum illud & infinitum Numen concipiendum colendumque arbitrarentur. In magno illo & venerabili Sacramento, quod in ſui memoriam inſtituit moriturus *Chriſtus*, panis & vinum ſymbolicè ſumebantur: ut illo ſpirituali cibo fides noſtra animata Deum admitteret pectore caſtiſſimo, & cœlo ſe inferret. Quæ cuncta prolixis Patrum ac Theologorum ſententiis aſſerunt explicantque *Centuriatores Magdeburgenſes*, ubi Centuria III. IV. V. VI. VII. puriſſimam ſeculorum eorum doctrinam proponunt.

IV. Per eam tempeſtatem *Epiſcopi* ad morem *Romanorum Græcorumque* inſtituti ſunt, qui res divinas curarent. Præcipuum eorum munus, ut religionem è ſacris roſtris docerent atque interpretarentur. Unde *Karolus M.* quum in Capitularium lib. I. cap. LXXXII. id docendi munus omnibus Epiſcopis graviter injungeret, *antiquiſſimum Majorum inſtitutum* vocat, jubetque, *Ut illi pariter non ſinant presbyteros nova vel non canonica ex ſuo ſenſu, & non ſecundum ſcripturas ſacras fingere, ſed ipſimet utilia honeſtè & rectè, quæ ad vitam ducunt æternam, prædicent aliosque inſtituant.* Ad illam autem dignitatem non ambitio, non avaritia Candidatos provehebat: ſed delecti ex populo, quos vitæ integritas, ſenilis ætas, prudentiæque fama commendabat. Nec in illo rerum ſacrarum imperio faſtus aut inſolentia animos agitabat; ſed *Fratrum* titulô, velut Hilarius Epiſcopos *Germaniæ Secundæ* appellat, contenti, maximam nobilitatem decusq; in modeſtia ponebant. Et quum, ut cæteri mortales, ad amorem proclives forent, alligabant ſe uxoribus, & liberos procreabant: quod tam ex Gregorio Turonenſi, quàm ipſo Baronio ſatis conſtat. Nec aliud vult antiqua illa *Francorum* lex, à *Karolo M.* in Capitul. lib. VII. cap. XCIII. repetita, quæ Sacerdotem unâ contentum uxore eſſe jubet.

V. Sed eo tempore tanta Sacerdotii dignitas paupertate magiſtrâ ſtetit: neque enim alii *Epiſcopis* reditus præter *Oblationes Fidelium*, ut Rabanus Maurus vocat, quæ diebus feſtis potiſſimùm in pane & vino exhibebantur. Itaque parùm abfuit, quin ad continen-

tiam *Apoſtolorum* adſtringerentur, quibus diurno quæſtu victus parabatur. Sane ipſe *Bonifacius*, ſive *Winfridus* Epiſcopus, cujus tanta inter *Germanos* exiſtimatio eſt, priusquam quæſtuoſam *Purgatorii* doctrinam invexiſſet, adeò rerum omnium egenus fuit, ut niſi *Abbatiſſa Eadburga* liberalitate fuiſſet adjutus, in ampliſſimo ſacerdotio contabuiſſet. Unde de eo Baronius ad An. DCCXXIV. Num. VII. *Cujus* (Eadburgæ Abbatiſſæ) *quoque juvabatur IN EXTREMA PAUPERTATE muneribus, & libros ſacros ad erudiendos populos accipere conſvevit.* Et ipſe Bonifacius apud eundem Autorem Anno prædicto Num. VIII. ad ipſam Abbatiſſam: *Quia ſæpe ſive ſolamine librorum, ſive veſtimentorum adjuvamine, pietas tua triſtitiam meam conſolata eſt.* Nec tamen ignoro, lautiorem *Epiſcopis Francis* fortunam fuiſſe in *Galliis*, ubi immodicæ opes per Regum populique indulgentiam iis affuſæ, quibus mox regias divitias æquârunt. Hinc illa *Chilperici* Regis querela, quam apud Turonenſem lib. VI. hiſt. Franc. indignanter effundit: *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter: Ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt translatæ. Nulli penitùs, niſi ſoli Epiſcopi regnant. Periit honor noſter & translatus eſt ad Epiſcopos civitatum.*

VI. Cauſam ejus diſcriminis, quum utraque natio parêret *Francis*, haud aliam invenio, ac ipſam Fidei Doctrinæque diverſitatem, quæ inter *Francos* in Galliis, & cæteros *Germanos* fuit. Etenim quum *Clodovæus* Religioni acceſſiſſet Chriſtianæ, ea opinio in Galliam ex Italia commigraverat: *Eſſe Sanctorum animas in cœlo, quæ Deum perpetuis fatigarent precibus, ut miſero mortalium generi faveret. Ea de cauſa propitiandas illas Regum populique muneribus, illarumque memoriæ conſecranda templa, in quibus Sacerdotes, honeſtis fulti opibus, nomina tanta perpetuis clamoribus ingeminarent.* Additum eſt: *Ignem alibi eſſe ſacrum, quem Purgatorium vocant, quo defunctorum animæ ſuis mundandæ ſceleribus, diu magno macerentur cruciatu, niſi precibus Sacerdotum, piisque muneribus ex dira cuſtodia liberentur.* Donati igitur Epiſcopis & Sacerdotibus non ſolùm agri, decimæque, aliique reditus, ſed integra quoque dominia ac Comitatus: quum fervens eo tempore Principum populorumque pietas, tantò arctiore ſibi nexu Numen obſtringi putabat, quantò quis plura in Sacerdotes profudiſſet. At diverſa per *Germaniam* doctrina, quum fide ſuâ ſe conſcendere in cœlos, & ſummis *Chriſti* morientis meritis ſervari crederent: eo modo ſcelera & flagitia hominum aboleri, ut haud neceſſum eſſet, mul-

multis opibus mercari salutem, aut sollicitare Sacerdotum pietatem ne animum sacro in igni torqueri, aut fastidiri à Divis paterentur. Ea de causa nec in superba monasteriorum ædificia opes projectæ, nec in Sacerdotes Episcoposque effusæ, nec fundationes, ut vocant, ambitiosa liberalitate institutæ. Sed illa sanctissima animorum simplicitas, regnante Pipino, excussa est, quum *Bonifacius*, Moguntinus Archiepiscopus *Purgatorium* primus in Germaniam inferret: arrepta enim avidè à *Germanis* doctrina, quum facillimâ libertatis viâ grassari se ad cœlum posse intelligerent, & quantovis pretio redimendas *Purgatorii* ustulationes judicarent. Itaque supra *Gallorum, Italorumque* liberalitatem opes passim in Sacerdotes cumulatæ, sumptuosa templa exstructa, donata Monasteriis integra patrimonia; velut ab eo tempore *Donationes Fuldenses* & *Cœnobii S. Galli* operosè testantur.

VII. Atque hic *Ecclesiæ Germanicæ* status circa seculum octavum erat, quo, ut diximus, *S. Bonifacius*, aliàs *Winfridus* omnem ferè *Germaniam Trans Rhenanam* ad sacra Christiana convertit: unde & *Primum Episcopum & Apostolum Germanorum* vulgò appellant. Is natione *Anglus*, quum eruditione & facundiâ pollens veniset in Italiam, à Gregorio Pontifice *Legatus Germaniæ*, & mox *Archiepiscopus Moguntinus* constitutus est; postquam priùs jurâsset verbis conceptis, nihil abs se docendum, nisi quod Pontifici placuisset. Vir majore nobis laude, studioque dicendus, nisi serviliter Pontifici addictus, *Germaniam* ad ritus, traditionesque *Ecclesiæ Romanæ* traduxisset, ordinemque & ceremonias potiùs, quàm *Christianismum* invexisset. Nam quum hactenus in *Germania Cis Rhenana*, *Norico*, *Rhætia*, aliisque in locis purior & simplicior doctrina, quam *Christus & Apostoli* præscripserant, sanctè viguisset: Is devotos animos ad divinam & sanctam quandam *Pontificis Romani* venerationem impulit, nuptias sacerdotum damnavit, cœlibatum instituit, Purgatorium docuit, mortuorum ossa & imagines coli jussit, *Vestales* sermocinatrices contra *Pauli* præceptum, admisit, vitam monasticam primus in *Germaniam* ad *Benedicti* regulam invexit, *Missas* pro mortuis celebrare imperavit: ut hæc aliaque ex Willibaldo in vita ejus, Reginone, Mariano Scoto, Balæo fusiùs cognoscuntur. Et quàm religiosissimè Pontifici devoverit obsequium suum, simulque vesanis ceremoniis *Germanos* mancipaverit, argumento est vel illa ridicula quæstio: *Quando Germanis lardum esset*

comedendum? Ad quam non minùs prudenter, ac humanè Pontifex *Zacharias* apud Baronium ad An. DCCLI. n. XII. reſpondet: *Nobis á patribus conſtitutum pro hoc non eſt. Tibi autem petenti conſilium prabemus, quod non oporteat illud mandi, priusquam ſuper fumo ſiccetur, aut igne coquatur.* At illud fortaſſe perſuaderi *Germanis* facile poterat, ne crudas carnes, porcosque incoctos vorarent: illud verò nimis durum erat, quod eâdem epiſtolâ eſum leporum ac graculorum miſeris interdiceret.

VIII. Labentem *Germaniæ Eccleſiæ* diſciplinam, & præcipiti gradu æque ad ceremonias *Romanorum*, ac luxum vitiaque ruentem, magno animo fulcivit *Karolus M.* editis in hanc rem Conſtitutionibus clariſſimis, quas in Comitiis *Aquigranenſibus*, *Wormatienſibus*, *Moguntinis*, *Ingelheimenſibus* promulgatas, Goldaſtus Conſtit. Imp. Tom. III. à fol. CII. usque ad CLIX. diligenter congeſſit. Atque quum An. IↃCCLXXVII. in Concilio Nicæno II. decretum eſſet, *Sacras imagines non tantùm haberi poſſe ad hiſtoricum uſum, ſed etiam ex mandato divino neceſſarias in templis eſſe, imò venerandas, oſculandas, ſalutandas, colendas, adorandas*; idem Imperator convocatis *Germaniæ Galliæque* Epiſcopis, Synodum *Francofurti ad Mœnum* IↃCCXCIV. celebravit, in qua imaginum adoratio damnata eſt. Meminêre illius Walafridus Strabo, Ado Viennenſis, Regino, Hermannus Contractus: omnium autem fideliſſimè rem Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus deſcripſit. Nec in cæteris Religionis momentis, quæ jam à *Chriſti* ſententia ſeceſſerant, ſanctiſſimus Princeps curam ſuam deeſſe paſſus eſt, cuncta ad *Divi Auguſtini* doctrinam retrahens, cujus libris, ut ait Aventinus lib. IV. impensè delectabatur. Itaque quamvis jam An. DCCLIV. in Art. de *Sacra Cœna* diſcederet *Damaſcenus*, & applaudentibus Romanis, *Impanationem* effingeret; ſtetit tamen inconcuſſa per *Germaniam* ſententia Auguſtini, quæ Spirituales tanti Sacramenti honores vindicabat. Etſi autem in *Capitularibus* ſive Francorum legibus id potiſſimum agat, ut *Epiſcoporum* ordo ad priſtinas leges à D. *Paulo* præſcriptas reduceretur; in hoc tamen graviter peccâſſe viſus eſt, quod illis, præſertim per *Saxoniam* conſtitutis, nimias opes viresque circumpoſuerit, quibus mox ſuffocatum pietatis ſtudium intepuit & ſimul concidit.

IX. Subit Seculum Nonum, inclytum imperiis *Ludovici Pii*, *Lotharii I.* *Ludovici II.* *Caroli Craſſi*, & *Arnulphi*: quorum inteſtina diſ

diſcordia ſicut *Germaniam* vehementer afflixit, ita veterem Eccleſiæ diſciplinam, paullatim rupit ac ſolvit. Ac quamvis *Ludovicus Pius*, paternis inſiſtens veſtigiis, quum *Epiſcopi* & *Clerus* rebus ſecundis in luxum laſciviamque ruerent, in Comitiis potiſſimùm *Moguntinis* & *Ingelheimenſibus* multa præclara decreta de *Reformatione Cleri*, ac de *Inſtitutione Profeſſionis Regularis* ſanciviſſet; mox tamen ab illo rigore ceſſatum eſt, quum *Epiſcopi* genium ſuum defraudari, ægerrimè ferentes, & in validam conjurationem arrecti, filium *Lotharium* adverſus Patrem concitarent. Quo civili bello, quum *Germania* ac *Gallia* conflagrarent, Sacerdotii potentia inter publicas turbas vehementer crevit: donec mox *Ludovicus Pius*, ſive neceſſitati cedens, ſive in pietatem intempeſtivam delapſus, noxiâ liberalitate veterem Eccleſiæ frugalitatem plane ſuſtulit. Lubet hac de re audire applauſum Gotfridi Viterbienſis Monachi, Scriptoris Germani antiqui, qui *de Ludovico Pio* in Chron. part. XVII. ſic canit:

Hic pater Eccleſiam vario prævenit honore,
Veſte, domo, Cerere, cujus fuit aulla favore,
Jure ſuo legitur grandis ubique fore.
Hic proprias habitare domos, equitesque tenere,
Nos facit, & veſte variâ griſeaque nitere:
Niſus & accipiter hac quoque lege ſedet.
Talis honor Clero, niſi Cæſare dante, veniret,
Grande genus Comitum Cleri juga nulla ſubiret.
Ruſtica ne fieret, nobilitate viget.

X. Extincto *Ludovico Pio*, aliud gravius ac damnoſius bellum inter *Karolingos* exarſit, quod *Francorum* vires, floremque Nobilitatis ita attrivit, ut penè conciderent: creſcente interim in ruinis everſæ Nobilitatis *Eccleſiâ*, quæ cultoribus ſuis immanes opes, grandemque potentiam ex calamitatibus temporum præbuit. In illo turbulentiſſimo rerum ſtatu, quid mirum, ſi priſca *Chriſtiana* doctrinæ diſciplina magis magisque præceps iret, quum reges diſcordiis fatigati fractique curam rerum ſacrarum invalido auxilio ſuſtinerent, ferociſſimi autem procerum in partes, cæteri terrore, vecordiâ, poſtremùm anxiâ pietate averterentur. Huc acceſſit *Pontificis Romani*, qui Eccleſiæ Germanicæ publica fata, rerumque arbitrium in ſe transferre, faſtigio regio illudere, Imperatores minis ac fulminibus ſacris

terrere cœpit: peſſimo exemplo, ſed vix tunc avertendo, quum ad pudendum *Romæ* obſequium *Europa* omnis fatali ſocordiâ ſe converteret. Nec tamen defuêre juſtiſſimæ Regum querelæ, ac decreta, quibus jus ſuum adverſùs Pontificis tyrannidem tuerentur: qualia apud Pithœum in Annal. Franc. & Goldaſtum in Conſtit. Imp. extant. Sic quum *Adrianus II.* juberet, ut Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis Romam ad dicendam cauſam veniret, *Carolus Calvus* generosè reſpondit: *Reges Francorum ex regio genere natos non Epiſcoporum vice Dominos, ſed terræ dominos hactenus fuiſſe computatos.* Epiſcopi etiam, ſubſeſſorem potentiæ ſuæ haud facilè paſſuri, addunt: *Poſſe ſingularum provinciarum Epiſcopos cauſas ſuæ Eccleſiæ finaliter dijudicare.*

XI. Ingraveſcente interim Pontificis potentiâ Traditiones *Romanæ* plenâ manu ſparſæ, cupideque ab iis receptæ, quos in illo bellorum motu, quo omnes ſilebant literæ, ignorantia ad *Romanæ Sedis* obſequium bruto impetu propellebat. Præ cæteris *Paſchaſius Robertus Corbeienſis* propugnat *impanationem*, ſacræque Euchariſtiæ verba ab antiquo ſenſu eximens, tanti Sacramenti dignitatem per *Saxoniam* violat. Sed illum feliciter refutat *Rabanus Maurus*, Monachus Fuldenſis, cujus inter alia de Inſtitutione Clericor. l. 1. cap XXXI. verba ſunt: *Maluit Dominus corporis & ſanguinis ſui Sacramenta fidelium ore percipi, & in paſtum redigi, ut per viſibile opus, inviſibilis oſtenderetur effectus.* Eadem tempeſtate *Gotteſchalcus* Orbacenſis Monachus, ſententiam Auguſtini de *Prædeſtinatione, Gratia, morte Chriſti, Libero Arbitrio* profeſſus, *hæreſeos Prædeſtinatianæ* ab Hincmaro Rhemenſi accuſatus eſt: adeoque jam ſanior illa doctrina eviluerat, ut vix præter unum Remigium Lugdunenſem inveniretur, qui patrocinium ejus ſuſciperet. Feliciùs per *Ludovicum Pium* repreſſa eſt imaginum veneratio, quam poſt *Synodum Francofurtenſem* invehere in *Germaniam* Pontifex ſummò ſtudio nitebatur. Qua de re ex illo ævo Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus adverſus Hincmarum Laudunenſem: *Auctoritate itaque hujus Synodi nonnihil repreſſa eſt imaginum veneratio: ſed tamen Hadrianus, & alii Pontifices in ſua opinione perſeverarunt, & mortuo Carolo ſuarum pupparum cultum vehementius promoverunt: adeò ut Ludovicus Caroli filius, libro longe acriori infectatus ſit imaginum cultum, quàm Carolus.*

XII. Jam Seculum Decimum ingredior, *tempus eſtaminatum*, ut Auctor faſcic. temp. ait, *in quo fides Chriſtiana valde cœpit deficere, & decli-*

declinare à priſtina virilitate : Sanctitasq; Papas & Epiſcopos demiſit, & ad imperatores acceſſit, Inprimis per artes Pontificias effectum, ut ſcientiis omnibus jacentibus, ignorantia & caligo templa ſcholasque involverent, omnisque pietatis cultus inter cæremonias ritusque externos hæreret. Unicum ſtudium, bonis operibus inclareſcere: qualia potiſſimùm habebantur, exſtruere monaſteria, ac Sacerdotes opibus mactare: inde vita æterna, inde ſcelerum expiatio ſperabatur. Hinc frequens illa per hanc ætatem formula in Annalibus Fuldenſibus, ubi villæ agrique monaſterio donabantur: *Pro remedio animæ meæ: Pro æterna retributione: Pro meis immenſis peccatis.* Magna quoque pietatis pars habita, per certos dies macerantibus jejuniis exinanire ſtomachum, & piſculentis inſanguineisque cibis caſtigare: Globulis precatoriis annumerare Deo preces, & ſentinam peccatorum expurgare in aures Sacerdotis: Virgini *Mariæ* magnum habere honorem, quòd Filio ſuo haud minor eſſet. Sed & cæteris Sanctis divinus magis magisque communicari honos: veluti ſub Henrico Aucupe in *Concilio Erfurtenſi* natalitia *Apoſtolorum*, conſecrata, ab *Ottone Primo* in Comitiis Ingelheimenſibus feſta Patrum ſancita, ſub *Ottone III.* feſtum omnium animarum inſtitutum, poſtquam Monachus haud malus retuliſſet, audita ſibi apud ollas *Vulcani* tormenta animarum patientium, & dæmonum querelas ſuper pietate *Monachorum Cluniacenſium*, quorum precibus miſeras ſibi raptari animas fremerent. Nunc quoque in *Comitiis Auguſtanis* repetita edicta adverſùs Epiſcopos Presbyterosque, qui uxores plerisque in locis adhuc retinuerant: ne quicquam adverſante *Udalrico* Epiſcopo Auguſtano; qui novum & inſolens cœlibatus illius genus damnabat. Sed perſuaſum quoque populo eſt, conjugatos Sacerdotes cum uxoribus ac liberis mutari in anguillas: cujus rei triſte exemplum apud *Anglo-Saxones* Malmesburius ut Balæus recenſent.

XIII. Per illud tempus, quum *Germania* à Francico imperio ſecedens, in peculiarem Rempublicam ſe collegiſſet, Reges id negotii potiſſimùm ſibi datum exiſtimârunt, ut rerum ſacrarum curam, quæ ſemper civili annexa imperio apud politiſſimas gentes fuit, faſtigio ſuo aſſererent. Itaque non ſolùm *Epiſcopos* per *Germaniam*, ſed & *Pontifices* in *Italiæ* creabant, & rurſus ſi ignaviâ aut ſceleribus polluiſſent officium, locò ſubmovebant. Quod jus imprimis exercuit *Otto I.* qui *Johannem I.* ac *Benedictum VII.* Papas dejecit, & *Leone* mor-

mortuo *Brunonem*, nepotem Conradi, Pontificem designavit. Idem *Magdeburgensem* Episcopatum erexit, *Mindensi* novum Præsulem concessit, *Fridericum* Moguntinum Archiepiscopum Hamburgum, *Rudherdum* Argentinensem Corbejam relegavit. Et extant gravissimæ apud Goldastum Constitutiones, quibus luxum lasciviamque Cleri per hoc seculum Imperatores coercuêre: feliciori usuri reformatione, ni ipsi, intempestivâ turbati pietate, maximas opes in monasteria profudissent, aut Episcopos civili imperio, politicisque negotiis inseruissent. Itaque quamvis in Comitiis Augustanis An. DCCCCLII. sancitum ab Ottone I. esset, *Ne Episcopi, Presbyteri, vel de Clero aliquis canes aut accipitres venandi amore haberent; ne aleâ luderent; ne secularis vitæ negotia attrectarent, aut susciperent*: facilè illa legis severitas elusa est ab iis, quos divitiæ abundantes ad omnem ambitionem fastumque sustulerant. Nam & Episcopus *Verdensis*, quum palpum fecisset Cæsari, privilegia venationis impetravit: & jam extremo *Ottonis I.* Imperio *Ecclesiastica & secularis* potestas in una jungi persona cœpit, postquam *Bruno* Ottonis frater, Archiepiscopus Colonienſis, investitur provinciis æquè, ac Princeps Secularis fuit. Quod quum novô, & hactenus inauditô apud *Germanos* exemplo factum esset, Witichindus Annal. Sax. lib. 1. hoc modo lepide defendit: *Brunonem Pontificis summi, ac Ducis Magni vidimus officium gerentem; ac ne quis eum culpabilem super hoc dixerit, cùm Samuelem sanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus & Judices.*

XIV. Ad Seculum Undecimum delapsus adultam video *Pontificum Romanorum* auctoritatem, qui in plenum imperium arrecti, non solùm *Ecclesiam Germanicam* pro lubitu disponunt deformantque, sed & ipsum Imperium gravissimis agitant procellis, nundinationibus fœdè exponunt, sacraque pariter & profana bello civili miscent. Primus enim *Hildebrandus*, qui & *Gregorius VII.* armis *Normannorum* fretus, feralique *Germanorum* Principum discordiâ inflammatus, præter Majorum morem, Cæsarem ipsum excommunicare, & mox regnô imperioque privare ausus est: post quod factum, maxima illius & omni seculo tremendæ venerandæque *Romani Pontificis* & infinitæ penè potestatis jus, in omnem Christianum orbem manavit. Labefactatâ Cæsaris auctoritate, facilè prisca Religionis disciplina magis magisque lapsa est, quum Episcopi in Pontificis potentiam intenti, invalidum legum civilium auxilium aspernarentur,

tur. Itaque in *Synodo Salingſtadienſi*, ubi de Reformatione Eccleſiæ agendum erat, nihil præter riſum & ſcomma actum: nam id præcipuè decretum, ut Acta Synodi oſtendunt, *Ne jejunia in feſtorum quorundam negligerentur vigiliis: ne nuptiæ ab adventu Domini usque ad* XIII. *Januarii celebrarentur, ne Presbyter, qui æſtivis noctibus poſt Galli cantum ingurgitâſſet ſeſe vino, proximâ die Miſſam celebraret, quum id hyeme media fas tantùm habitum, ſi neceſſitas urſiſſet.* Pariter in *Synodo Tremonienſi*, quum Cæſar ad meliorem frugem Sacerdotes hortaretur, irriſa imperantis majeſtas, & diris ferè devota eſt, quòd exultantis laſcivientisque *Eccleſiæ* genium turbâſſet.

XV. Sed poſt oppreſſam Cæſaris poteſtatem, nihil æque majoribus ſtudiis per *Germaniam* à Gregorio VII. tentatum eſt, quàm ut à Sacerdotum contubernio uxores perpetuo exilio proſcriberentur. Igitur divulgata paſſim & propoſita Edicta: *Ut Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur: nè quisquam omninò ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profitetur.* Quod tamen haud feliciter ex ſententia Pontificis ſucceſſit; nam ut Schaffnaburgenſis in hiſtoria anni MLXXIV. ait, *Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait; Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere capiat. Et Apoſtolus: Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere, quam uri; violentâ exactione homines vivere cogeret, ritu Angelorum, & dum conſuetum curſum Naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret.* Itaque quum in *Synodo Erphordiana* Moguntinus Archiepiſcopus, Pontificis legatus, vehementiùs urgeret, ut aut conjugium abjurarent, aut ſacerdotio abirent, Clerus conſilium trucidandi Archiepiſcopi inivit, parumque abfuit, quin inſtar Penthei à furente turba diſcerperetur. Nec feliciùs res ceſſit Curienſi Epiſcopo, quum ſequente anno in Synodo Moguntina, cœlibatum nomine Pontificis urgeret: *exurgentes* enim, ut Schaffnaburgenſis ait, *qui undique aſſidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vita comite Synodo exceſſurum deſperaret.*

XVI. Verùm quantò tenaciores, conſtantioresque fuêre *Clerici Germani*, ne ab uxorum amplexibus, quibus inſueverant, per Pontificem avellerentur, tantò faciliores ac promtiores in cætera con-

ſensêre novorum rituum præcepta, quæ quotidie ex *Italia* afferebantur. Interdebant Eccleſiæ caliginem neglecta literarum ſtudia, quæ adèo per hoc jacebant ſeculum, ut Magus, teſte Bellarmino haberetur, qui Philoſophiæ operam navaret. Jam quoque *Impanationis* vox magno impetu introducta, quæ realem ſubſtantiam in auguſto illo ſacramento impotenter aſſeruit: ne quicquam reclamante Berengario, qui *corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in pane & vino non ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter*, docebat. Sed jam ea erat Eccleſiæ Romanæ per Germaniam auctoritas, ut *Hæreticus* haberetur, qui ab ea diſſentiret, ut Lanfrancus hoc argumento Berengarium refutabat. Et ſubſtravit huic cœlo, inſtar Atlantis, humeros *Theologia Scholaſtica*, cujus initia multi ad *Lanfrancum* referunt. Percrebuit eadem tempeſtate, ut Aventinus lib. v. ſcribit, in *Germania* conſtans opinio, imminere excidii fatum orbi terrarum: accedente vaticinandi prurigine, qua Sacerdotes, quorum intererat plebem pavoribus agitari, terribilem diem cum gemitu denunciabant. Unde paſſim trepidare mortales, & per *Bavariam*, *Noricum*, *Sueviam*, monaſteria varia conſtruere, Sacerdotum pietatem integris demereri patrimoniis, ut & inſtanti incendio ſubtraherent fluxas opes, & vitam æternam jacturâ illa pararent. Ingens etiam hominum vis, & ex ſola quidem *Bavaria* duodecim millia, nuncupatis votis in *Paleſtinam* diſceſsêre, ut ſanctiùs ibi exciperent diem,

Quô mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa labaſcat.

XVII. Inter hæc exoritur Seculum Duodecimum, caſibus atrox, bellis varium, conjurationibus civilibus inſigne; quo tandem *Eccleſia Germanica* à Regis Principisque ſui imperio detracta, in *Pontificis Romani* poteſtatem planè conceſſit. Nam quum hactenus crescente Pontificum auctoritate, multa faſtigio Imperatorio, quæ ad gubernationem Eccleſiaſticam ſpectabant, extorta eſſent, Collationes tamen Epiſcopatuum & Abbatiarum penes Cæſarem mansêre; fuitque hoc magnum illud virium regiarum robur, quo tacitum in omnes imperium jactabat. Quippe & *Epiſcopi*, beneficii vinculô adſtricti, obnoxiam Cæſari fidem ducebant; & *Nobilitas* in ſolum Imperatorem converſa, ejus aulam frequentabat, ejus nutum reſpiciebat, quum Epiſcopatus & opima Sacerdotia, abundé in tanto imperio vacua, à ſolius Imperatoris arbitrio exſpe-

ſpectarentur. Primus hoc potentiæ frænum excutere manibus Cæſarum anniſus eſt *Gregorius VII.* Papa, eaque de cauſa atrocibus Principum conjurationibus *Henricum IV.* implicuit: quæ tempeſtas & filium ejus *Henricum V.* invaſit. Sed quum hic tot injuriis turbisque laſſatus, ad tranquillitatem confugeret, tandem in *Comitiis Wormatienſibus* A. CIↃCXXII. juri *Epiſcopos* conſtituendi & inveſtiendi renunciavit. Quibus verbis id factum fuerit, docet ſic Abbas Urſpergenſis: *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, Sanctæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, &c.*

XVIII. Ruptô illô potentiæ Cæſareæ vinculô, opes *Eccleſiæ Germanicæ* vehementer crevère, ipſa *Reſpublica* peſſum ivit: nam hoc ipſo Cæſares dimidium imperii amiſiſſe, prudenter & verè Onuphrius Panvinius notavit. Inprimis *Nobilitas*, antea in ſolum Imperatorem reſpiciens, poſtquam locus referendæ gratiæ in aula deeſſet, liberos ſuos ad monaſteria propellebat, ut opulenta ſacerdotia venaretur, ſacrumque otium infructuoſæ militiæ periculisque anteferret. Sic innumera nobiliſſima ingenia in Monaſteriis ſepulta ac defoſſa, quæ ornamento ac præſidio fuiſſent ſuæ Reipublicæ, ſi judiciô inſtitutum naturæ ac generi ſuo congruens ſumſiſſent. Ne tamen in ipſis clauſtris militares deeſſent animi, qui neceſſitate poſtulante res Pontificias propugnarent, inſtitutus eſt clariſſimus ille Nobilitatis Germanicæ ordo, quem *Teutonicum S. Mariæ in Hieroſolyma*, ſive *Marianum* vocant: magnum *Romanæ Sedi* præſidium, quum & fortiſſimus quisque ad ſocietatem ſacræ hujus militiæ confluëret, & omnis ferè *Germania* exornandam illam locupletandamque exiſtimaret.

XIX. In illo Pontificum imperio, quum *Sedis Romanæ* majeſtas percelleret omnium animos, purior doctrina tandem defecit: quippe inter externa rituum ſimulacra, & nova Pontificum edicta omnis pietas ſtetit, & ſimul obmutuit. Ac primùm circà An. CIↃCXIII. *Stephanus* Auguſtoduni Epiſcopus, introduxit vocabulum *Tranſubſtantiandi*, quo ipſe *Impanationis* propugnator panem in uſu ſacro ſuprà naturalem ſubſtantiæ ſuæ modum conditionemque elevari innuebat. Id nunc, jubente Papa, *Germania Eccleſiis* paſſim obtruſum, explosâ divi *Auguſtini* ſententiâ, quæ hactenus auguſti illius Sacramenti juſtos honores vindicaverat. Jam quoque, Præſulibus Sacris ad venera-

tionem Papæ compoſitis, Tuitienſis Abbas *Purgatorium, & Limbum Patrum* ſcriptis aſſerit: alii oſſilegia relliquiasque *Sanctorum* magnâ ſuperſtitione commendant, meritisque divorum hominum vota ſua ſpesque deſtinant. Ac fuêre, qui in viſiones & ſomnia fœculenti, vaticinandi libidine plebeculam diſtenderent, & ad donationes pias, Pontificis obſequium, ſacrumque mentium ſtuporem impellerent. Interea munia ſacra nundinationibus fœdè expoſita, & per fraudes pecuniamque honores quæſiti, quos olim ſola continentia probitasque impertiverant. Ut non ſine cauſa ex illo ævo Theodoricus S. Trudonis Leodinenſis Abbas inter cætera exclamet.

Res nimis injuſta: ſit nummis Præſul & Abbas.
Cerne lupum Monachum.

Et de pravo regimine Eccleſiæ:

Ut Mopſo Niſa, corvo datur ecce columba.
Qualis pullus erit, quem fert commixtio talis?

Et paulo poſt

Quid non ſperemus, ſi nummos poſſideamus?

XX. Inter illam ſeculi caliginem exorti ſunt *Waldenſes*, qui & aliis nominibus *Lugdunenſes*, ſive *Pauperes de Lugduno*, *Albigenſes*, *Catari*, *Publicani*, *Gazari*, *Bohemi*, *Picardi* dicuntur. Hi, ut ex Riberio, & Æenea Sylvio refert Thuanus Hiſt. lib. v., docere cœperunt: *Eccleſiam Romanam, quoniam veræ Chriſti fidei renunciaverit, Babylonicam meretricem eſſe; & arborem illam ſterilem, quam ipſe Chriſtus diris devovit, & revellendam eſſe præcepit: proinde minimè parendum eſſe Pontifici & Epiſcopis, qui ejus errores fovent. Monaſticam vitam Eccleſiæ ſeminam ac Plutonium eſſe, vana illius vota, nec niſi fœdis puerorum amoribus ſervientia: presbyterii ordines magna beſtia, quæ in Apocalypſi commemoratur, notas eſſe; ignem purgatorium, ſolenne Miſſarum, templorum encænia, cultum Sanctorum, ac pro mortuis propitiatorium, Satanæ commenta eſſe.* Purior ſanctiorque doctrina, quum in *Gallias* ferrô flammisque peteretur, in *Germaniam* tranſiit: quippe multi ſedibus avitis pulſi in *Bohemia*, *Moravia*, *Sileſia*, *Livonia* lares fixêre, caſtioremq; ſimul religionem invexere. Sed & labentem ſuam auctoritatem fulcivit Pontifex, & *Waldenſium* incrementa dejecit, oppoſitis novis *Monachorum* ordinibus, qui per hoc ſeculum fœcundo germine, velut fungi, paſſim ſurrexêre. Nam præter *Dominici* & *Franciſci* notiſſima nomina, *Præmonſtratenſes*, *Carmelitæ*, *Humiliati*, *Fratres Mendicantes*, devota *Romanæ Sedi* pectora, adversùs cun-

cunctos Pontificis hoſtes urendo ſecandoque proruerunt, annitente inprimis *Bernhardo*, Abbate Clarevallenſi, ut Monaſteriis, Monachorumque turbâ, omnis *Germania* repleretur.

XXI. Fatalem *Eccleſiæ Germanicæ* cladem adjuvit Principum diſcordia, poſt exceſſum *Henrici VI.*, quâ factum eſt, *ut vix remanſerit aliquis Epiſcopatus vel dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa & Romam deduceretur ipſa cauſa, ſed non manu vacuâ:* quemadmodum his ipſis verbis *Conradus Lichtenavius* Abbas Urſpergenſis, qui eo tempore Romæ fuit, in Chronico ſub *Philippo* ſcribit. Unde & idem Auctor, quum patriæ ſuæ calamitatem reſpiceret, *Gaude*, exclamat, *mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, ut ad Te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Jucundare ſuper adjutrice tua diſcordia, quæ erupit puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum pramia. Habes, quod ſemper ſitiſti; decanta cantitum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem viciſti.* Sic *Germaniæ* opibus pecuniisque exhauſta, ad ſummam egeſtatem redacta eſt, dum & dignitas ſacra auro vendita, & cauſæ omnes *Romam* devolutæ, & Appellatio inſtituta, & Privilegia inde quæſita: ingenti Imperii damno, & haud tolerando Cæſaris opprobrio, quum maxima *Germanorum* pars caput extra *Germaniam* conſtitutum agnoſceret, atque impotenter veneraretur.

XXII. Invaluerat jam per *Germaniam* Monarchia Papalis, quum Seculum Decimum Tertium illuceſceret: quo quicquid reliquum purioris doctrinæ erat, per *Theologiam Scholaſticam* profligatum oppreſſumque eſt. Hæc enim per *Albertum M.* Epiſcopum Ratisbonenſem renovata, ſicuti omnem Europam Chriſtianam, ita inprimis *Germaniam* invaſit, & *Philoſophiam Ariſtotelicam* non ſolùm in Theologiæ limen, ſed in ipſa adyta invexit. Tunc major *Ariſtoteli*, quàm *Sacræ Scripturæ* auctoritas haberi cœpit: quod enim Auguſtino Paullus, id illi ætati *Ariſtoteles*: cujus ſcripta demonſtratione niti, at Verbi Divini doctrinam opinione vel credulitate teneri putabant. Itaque Scripturam Dei per tranſennam, ſed libros *Ariſtotelis*, tanquam proprium Profeſſionis ſuæ pertractabant: quod latiùs Hiſtorici Magdeburgenſes Centur. XIII. & Graſerus, Danæus, Hottingerus probant. Ab eo tempore omnia more *Academicorum & Scepticorum* in publicam diſceptationem adducta ſunt, & cœnâ quæ-

ſtionum, ut Aventinus rectè loquitur, *rivuliſque opinionum conturbata*: quâ re factum eſt, ut non ſolùm extinctâ docendi dexteritate, facilitas etiam diſcendi amitteretur, ſed & Ariſtotelicis nebulis lux divina penitùs obſcuraretur.

XXIII. Huc acceſſit turbatiſſimus *Germaniæ* ſtatus, quo & viventem *Fridericum II.* Imperatorem indigniſſimis modis exagitârunt Pontifices, & poſt ejus exceſſum, quum multorum annorum interregnum eſſet, omnia ad lubitum diſpoſuêre. In qua triſtiſſima rerum facie crevêre novi *Monachorum* ordines & ad propagandam Pontificis dominationem opportuni heroes; quales in hoc ſeculo *Fratres Spiritus Sancti*, *S. Trinitatis*, *Servi Mariæ*, *Minimi*, *Celeſtini*, *Bethlehemitæ*, exorti memorantur. Quin & mulieres, quas *Beguinas* vocant, tanta multitudine ad monaſteria confluxêre, ut in una civitate *Colonienſi* Balæus aliquot millia reperta fuiſſe ſcribat. In tanta clientela, facilè erat perſuadere *Germanis*, ne moleſtè ferrent ſibi adimi calicem ſacrum, quem *Innocentius III.* in *Synodo Lateranenſi* eripiendum *Laicis* decreverat. Nec magnus labor poſcebatur, propellere gentem in peregrinationes ſacras, pecuniisque emungere, quum & leviſſimo claſſico ſimplicisſima natio inflammaretur, & ob ſacras indulgentias, quibus cœlum vendebatur, ſuas exenterari crumenas patienter ferret. Quâ gentis ſimplicitate delectatus *Martinus* Pontifex, ſæpius optâſſe fertur, ut tota *Germania unum ſtagnum eſſet, ipſeque in ciconiam, Germani autem in ranas verterentur.* Unde venuſtum illud hominis Epitaphium, quod *Nicolaus de Bibrach*, qui ſub annum CIↃCCXC Erfordiæ vixit, in libello ſuo *Occulto* recitat:

Hic jacet ante chorum SUBMERSOR TEVTONICORUM
Paſtor Martinus, extrâ qui totus ovinus,
Et lupus introrſus, cui nulla redemptio prorſus,

XXIV. Fuêre tamen, qui illam temporum abominarentur labem, Pontificisque tyrannidem inſectarentur. Extat ea de cauſa apud Aventinum lib. VII. Ann. Bojor. graviſſima *Juvavienſis Epiſcopi* oratio, qua vehementer in Pontificem Romanum, flaminumque corruptos mores invehitur. Inter alia verba eſt: *Sub Pontificis maximi titulo, paſtoris pelle, lupum ſævisſimum, niſi cæci ſumus, ſentimus. Romani flamines arma habent in omnes Chriſtianos: audendo, fallendo, & bella ex bellis ſerendo magni facti, oves trucidant.* Et poſtea: *Tria potiſſimùm Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, ſibique ſervire co-*

git

git : insustentabili dominatione populum Christi sanctosque Dei vexat: Divina humana miscet: infanda, execrabilia molitur. Nec mitiùs postea *Honorio IV.* responsum est, quum juberet, ut *Rudolphus Imperator Romam veniret, Augusti nomen à Papa acciperet, ablata à Gallis Hispaniisque regna Imperio restitueret, Sacerdotes ac Monachi utriusque sexus, quartas omnium rerum suarum in bellum sacrum erogarent.* Etenim in Synodo Herbipolensi Tullensis Episcopus illam *Pontificis* ambitionem gravi repressit oratione, cujus initium est: *Quousque collega charissimi, Romulei illi vultures, patientiâ vostra, ne dicam stultitiâ abutentur? quousque eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus archisynagogon pessimum, nisi omnes ad egestatem & servitutem durissimam redegerit.* Sed & in *Suevia*, præsertim *Hala* se opposuêre Pontifici *Praedicatores Monachi*, quod *Simoniæ* labe dignitatem sacram polluissent; ut Abbas Stadensis refert. Addit Bzovius ad An. CIↃCCXLIX, ubi hos Monachos vocat *Circumcelliones*, eos *pulsis campanis & convocatis Baronibus in publica statione praedicasse, Pontificem esse haereticum.*

XXV. Sequitur Seculum Decimum Quartum, quo tenebræ plùs quàm Cimmeriæ in Ecclesiam invectæ, ac ipsa Sacra Scriptura in oblivionem penitùs venit. Postquam enim tertia *Scholastica Theologia* ætas ab *Hereno de Bojo*, An. CIↃCCXX. initium sumsisset, innumerabilis Doctorum ac Magistrorum turba enata est, quæ profligatâ audaciâ determinandi ac pronunciandi, tum monstrosâ barbarâque terminorum distinctionumque phrasi, omnem puriorem Sacræ Scripturæ doctrinam contaminarunt, & simul submoverunt. Factum hinc nullo negotio est, ut Clarissimus Heideggerus in Dissert. de Theol. Schol. loquitur, *ut in ceremonias Ecclesiæ superstitio, in cultum idolomania, in dogmata falsitas, in gubernationem tyrannis palàm invaderent, verum lumen per hos homines, veluti nocturnos grassatores excuteretur, & verbum Dei supprimeretur.* Ea tempestate *Alvarus Pelagius* scribit de *Planctu Ecclesiæ*, & *Nicolaus Clemangis* corruptum ejusdem statum, fusiùs proponit. Sed & *Occamus*, ac *Bonagratia* Pontificem *Johannem* hæreticum proclamant, quòd sacrosanctas sanctiones everteret, defunctorumque animas damnaret ad captivitatem & tenebras, donec universus Mundus uno igne sentiret interitum; velut Nic. Burgundus in Hist. Ludov. Bav. recenset,

XXVI.

XXVI. Tunc quoque, ut Trithemii verba sunt, *crux atque passagia contra Turcas prædicantur in Germania:* tanta Pontificis indulgentia, ut ad militum sacrorum vota, tres aut quatuor animæ, quas eripere vellent, è purgatorio educendæ concederentur. Qua noxiosissima liberalitate, quum Populus Germanicus intempestivâ turbatus pietate, in bellum rueret, robur nobilitatis extinctum subversumq; dicitur. Quin secta *Flagellantium*, qui bini & bini incedentes per vicos oppidaque, virgis crudeliter terga lacerabant, multa millia domô abegit, præsertim *Spiram*, *Wormatiam*, *Moguntiam*, *Sueviam*, *Austriam* dirô illô pietatis exercitiô stupefecit: donec sumtam temerè religionem *Bavarus*, aliique Principes coercerent. Festivior pietas *Brigittæ*, sueviæ Principis fuit, quæ, referente Trithemio, ordinem instituit, quo fœminæ viris imperarent.

XXVII. Nondum malorum satis erat, nisi & Pontifices Romani *Ecclesiam Germanicam* novis exactionibus exhaurirent, populum emungerent, opes viresque totius regionis ad se traherent. Itaque primùm introductus est *Annatarum* usus, quibus dimidia redituum Ecclesiasticorum pars ad Sedem Romanam devolvitur. De quo vectigali rectè judicat Polydorus Vergilius de invent. Rer. lib. VIII. cap. II. nullum fuisse inventum, quo majores Pontifici Romano opes cumulatæ fuerint. Atque id *Annatarum* onus, etsi An. MCCCV. in *Concilio Viennensi* improbatum fuisset, *Germani* subire minus recusarunt: sed quum insuper postea An. MCCCLVIII. *Innocentius. IV.* per Philippum Episcopum Cavallicensem, Legatum, *pro subsidio Camera Apostolicæ decimum omnium proventuum à Clero Germanico denarium* peteret, conventus Principum à Karolo IV. indictus est, in quo *Conradus de Alzea*, Ruperti Comitis Palatini Cancellarius, pro defensione Cleri sententiam nomine Cæsaris dicere jussus, gravissima oratione avaritiam Pontificum perstrinxit, libertatemque *Germanorum* vindicavit. Haud abs re fuerit, ipsam orationem ex Historia M. S. Trithemii, quæ in Bibliotheca Bipontina est, in medium proferre, ut status *Ecclesiæ Germanicæ* per id tempus, penitiùs cognoscatur.

XXVIII. *Aurifodinam*, inquit, *Romani Germaniam semper habere & exhaurire cupientes, multos & varios ab olim excogitavêre modos, quibus omnia suo subderent imperio: Cum autem adnos divina providentia Romanum transtulerit imperium, reor nobis invigilandum, ne viribus & nervis Sacerdotium evacuet Regnum. Quid Romanus Pontifex præter literas*

&

verba regno confert Germanico? Nihil certè. Sit Dominus beneficiorum omnium, quantum ad eorum dignis provisionem pertinet, sed eorum proventus ministrantibus permittat. Stulta est meâ sententiâ Germanorum devotio, qua Romanis vulturibus, qui sunt insatiabiles, cibum parat, filiis propriis magna inedia laborantibus. Vestrum est igitur, ô Cæsar & Principes, vestrum est cogitare, quòd multis & variis modis, causis simul & commutationibus Germaniam vestram pecuniis suis exhaurit & denudat Italia: cujus avaritiæ nihil est satis. Quanquam singulis annis multa florenorum millia, nostris de sudoribus, ne dicam sanguinibus, in os suum, quod nunquam dicit, sufficit, trajiciat. —— Filios nostros mittimus Romam non sine multis pecuniis, ut mores Curiæ, ne dicam, ut abusiones, dolos, fraudes, vel ibi discant, vel in Avenione; seu ut literis dent operam, & Ecclesiastica beneficia, quæ patres nostri suis instituere pecuniis, novis semper obtineant, non dico, emant commerciis. Nemo est vestrùm, ô Principes, qui non intelligat, multam Curiæ Papali pecuniam ex Germania singulis annis inferri, pro confirmatione Prælatorum, pro impetratione beneficiorum, pro causis litium & contentionum, quibus provocatur ad examen Sedis Apostolicæ: pro dispensationibus quoque, pro consequendis indulgentiis, & gratiis, & variis privilegiis absolutionibusque.

XXIX. *Neque hoc latet Serenitates vestras, quod ab initio Christianæ Religionis, omnes Archiepiscopi per totum orbem subjectos sibi confirmabant Episcopos, & quòd juxta Constitutionem Beati Papæ Gregorii I. Archiepiscopus dabatur gratis, & pro eorundem confirmatione nihil penitùs exigebatur: secundùm quòd Dominus & Salvator noster in Evangelio suis præcepit Apostolis, dicens, Gratis accipistis, gratis date: sed omnia nunc videmus inversa, omnia in deterius commutata. Confirmationes hodie gratis non dantur; nec pallium sine pecuniâ datur Archiepiscopis, sed magnam auri summam compelluntur exponere: & nihilominùs pristinum Episcopos suos confirmandi privilegium, his nostris temporibus per Johannem Papam XXII. eis violenter ablatum: in grave totius regni Germanici damnum, incommodum & detrimentum, quod omnibus est manifestum. Et ecce post hæc & alia tanta gravamina, quibus non solùm Clerus, sed universum Germaniæ regnum exhauritur & læditur, novum & hactenus nunquam auditum Romanus Pontifex à Clero petit subsidium: quod antea nullus Papa præsumsisset cogitandum: Censuras minatur & pœnas, non dantibus vel contradicentibus infligendas. Quapropter cùm ista nova sint, & priùs inaudita, nullâ sunt ratione admittenda. Principiis ergo malorum obsistite,*

& non permittatis ſervitutem hanc turpem prævalere. Memento te Principes, quantam calamitatem, miſeriam, deſtructionem, & in utroque ſtatu diſpendium proviſiones Apoſtolicæ pleriſque Eccleſiis Germaniæ intulerint, dum Pontifices Romani Canonice per Capitula electos repudiârunt, & non electos præſules introduxerunt &c.

XXX. Hæc aliaque, quæ *Tritbemius* adjungit, magno animorum motu inter Principes jactabantur: addebatque Cæſar, *Iniquè ſe animò ferre, quòd præ cunctis nationibus Europæ Papa Germanos hamò piſcationis inconſueta atque illicita penitùs in ſervitutem vellet deducere.* Unde commotus animo, & in legatum intentus, *Quid eſt*, inquit, *Domine Epiſcope, quod Papa pecuniam multam à Clero exigit, & mores reformare Clericorum non intendit? Videtis quomodo vivant, in quanta ſuperbia & elatione, avari, cupidi, luxuriosi, & ſuprà modum delitiis affluentes? Quo incedant habitu, pudet dicere: impotè qui militibus hujus mundi ſimiliores ſunt, quàm ſervis omnipotentis Dei. Sine ordine vivunt ubique, ſine honeſtate, ſine timore Dei, in omni libertate peccantes: & nemo eſt, qui corrigat, nemo qui prohibeat, nemo qui emendet. Vos autem Romani Paſtores & Pontifices lanam rapientes, nihil de ſalute ovium eſtis ſolliciti.*

XXXI. Pergo ad Seculum Decimum Quintum, inſigne bellis *Huſſitarum*, qui mediis in tenebris ad clariorem Evangelii lucem converſi, non ſolùm *Bohemiam* omnem, ſed & vicinas *Germaniæ* partes illuſtrârunt. Auctor eorum *Johannes Huſſius*, qui perlectis *Wicleffi* Angli libris, Papam publicè *Antichriſtum* dixit, flagitia Eccleſiæ Romanæ magnâ libertate redarguit, Purgatorium, Imagines, Invocationem Sanctorum, Tranſubſtantiationem, Indulgentias, aliosque errores voce & ſcriptis oppugnavit. Arrepta avidè à plurimis doctrina, quòd jam avaritiæ Romanæ pertæſum eſſet: frementibus maximè *Bohemis*, deſpoliari ſe calice ſacro, quem Jeſus Chriſtus in Cœna ſua communicantibus tradidiſſet. Inde res ad *Concilium Conſtantienſe* à Sigismundo Cæſare pertracta, in quo inter cætera Laicis calix ereptus, his verbis: *Etiamſi Chriſtus & inſtituerit & adminiſtraverit cœnam ſub utraque ſpecie, hoc nihil obſtante &c.* Mox *Huſſo* & *Hieronymo Pragenſi* ad ſupplicium raptis, irritati indignatione *Bohemi* ad bellum procùrrerunt graviſſimum, *quod plùs admirationis, quàm fidei habiturum apud poſteros*, Æneas Sylvius verè dixit. Tandem fatigatis Pontificis Cæſarisque viribus, à Sigismundo Imperatore & Philiberto Conſtantienſi Epiſcopo pronunciatum eſt, *Bohemos ſub duabus ſpeciebus communi-*

micantes esse legitimos Catholicæ Ecclesiæ filios. Qua de re, ipsaque Hussitarum doctrina, & gesto bello fusius agunt Æneas Sylvius in Hist. Bohemica, Cochlæus Hist. Hussit. Poggius in Epist. ad Aretinum, & præ reliquis *Germanis* Trithemius in Hist. M. S. ubi & Articulos *Hussitarum* plenius recenset.

XXXII. In eodem Concilio *Sigismundus* Cæsar magno annitebatur studio, ut emendatâ disciplinâ Clerus reformaretur; verùm ut Trithemius in Hist. M. S. ad An. MCCCCXV. loquitur, *Patres & Domini Cardinales, Episcopi, & cæteri fidelium Rectores, qui aderant, considerantes, quòd propositum reformandi modus omni Clero, & maximè Prælatis utramque jurisdictionem habentibus esset in omnimodam destructionem citò & indubitanter futurus, unanimi Regis consilio contradixerunt proposito, qui ex abundantibus sub Reformationis prætextu, intenderet facere mendicantes.* Sic elusô Cæsaris consiliô in pristinis vitiis perseveratum est, tantâ peccandi pervicaciâ, ut profligato omni pudore, nihil pensi, nihil sacri haberent. Memoratu dignum est, quod vir Eruditissimus in Dissertat. de Theol. Scholast. narrat, *Tiguri* in Patria sua, alibique passim, conciones sacras ex *Thoma* & *Scoto* habitas: veluti & *Melanchthonem* confessum refert, Ethica Aristotelis publicè populo diebus Dominicis prælecta, & abs se *Tubingæ* audita esse. Magis horrenda sunt, quæ Status Imperii Protestantes in opere vernaculo de causis recusati Concilii Tridentini pag. XVII. memorant, Studiosos *Theologiæ* ante triginta annos graviter & publicè questos esse, se toto quinquennii aut sexennii spatio, quod tempus studio Theologico lectionibusque definitum erat, à Præceptoribus suis nomen *Jesu* vel *Christi* citari nunquam audivisse: quum omnia nominibus *Lombardi, Alberti M. Scoti, Thomæ* perstreperent.

XXXIII. Nec impunè erat, tantis adversari doctoribus, quum Pontificis favorem potentiamque sibi circumposuissent. Itaque quum *Johannes de Vesalia*, Concionator Wormatiensis, probatissimæ vitæ Theologus, diversam ab iis sententiam iniisset, Parodoxa ejus à *Thomistis* excepta, & primùm *Moguntino* Archiepiscopo, inde Universitati *Heidelbergensi* atque *Coloniensi* communicata sunt, minisque ac clamoribus importunissimorum hominum effectum, ut vir innocentissimus hæreseos condemnatus, monumenta ingenii sui in publico foro urenda traderet. Etsi non dissimularent *Heidelbergenses* Theologi, nimis præcipitanter cum tanto viro actum esse: ut Urspergensis Paralipomena testantur. Sed is impetus illa tempestate

invaſerat Religioſos, ut juſtiſſimum triumphum de eo agi putarent, qui *Thomam* peculiariter non coluiſſet.

XXXIV. Præter illam barbaram gentilemque docendi licentiam invaſit effrænis Cleri libido, quâ impuris amplexibus omnia impunè polluebantur. Nam ut Principes Imperii in Comitiis Noribergenſibus ſuperioris Seculi queruntur: *In locis plerisque Epiſcopi & eorum officiales non ſolùm Sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa perſolvatur pecunia, ſed & ſacerdotes continentes, & qui abſq; concubinis degunt, concubinatus cenſum perſolvere cogunt, aſſerentes, Epiſcopum pecunie indignum eſſe, quâ ſolutâ licere ſacerdotibus vel ut cœlibes permaneant, vel concubinas alant.* Quam incontinentiæ licentiam, quum *Helvetii* animadverterent, eum in nonnullis pagis, referente Sleidano, introduxere morem, *ut, quum novum quempiam Eccleſia miniſtrum reciperent, juberent eum habere concubinam, ne pudicitiam alienam tentaret.* Nec quis piam hanc Sacrorum hominum libidinem mirabitur, qui majora quoque nefandæ Veneris flagitia per indulgentiam Pontificiam conceſſa, ſecum reputabit. Qualis jam illa tempeſtate vigebat *Taxa Apoſtolica*, ſed quæ ſequenti demum ſeculò publicis typis Romæ apud Marcell. Silber. divulgata eſt: *Abſolutio pro eo, qui Matrem, Sororem aut aliam conſanguineam vel affinem ſuam, aut commatrem carnaliter cognovit.* groſſ. v.

XXXV. Imperante adhuc *Sigismundo* inceptum eſt *Concilium Baſileenſe*, quod grandem in Chriſtianiſmo commotionem dedit; ut Æneas Sylvius loquitur. Nam quum *Eugenii* Papa irritatus minis *Germanorum*, qui ſuis in finibus intractabiles videbantur, id magno ſtudio anniteretur, ut Patres Concilii diſſiparet, aut libertatem eis auferret, Principes primum *Norinbergæ*, & inde *Francofurti* convenerunt, ut diſcordiam inter Papam, ac Patres Concilii ſopirent. Sed quum Patres haudquaquam concederent, ut Concilium transferretur in Italiam, Pontifex autem illud per minas motusque flagrantiſſimè urgeret, tandem à Theologis concluſum eſt: *Generale Concilium ſupra Papam eſſe: id nec diſſolvi, nec transferri, nec propagari poſſe à Pontifice: quin eſſe hæreticum, qui iſta attentaret.* Agitata inde vehementiſſimè res inter cultores Pontificis, & cæteros, qui Concilii libertatem ſalvam incolumemque cupiebant: qua diſſenſione factum eſt, ut ſacra ac profana per Germaniam, Italiam, Galliamque miſcerentur. Sed prævaluit

tandem Concilii auctoritas, quâ *Eugenius* à Pontificia dignitate deturbatus, & *Amadæus*, Sabaudiæ dux tanto fastigio admotus est.

XXXVI. Post, illos, motus, quum *Ecclesia Germanica* novis quotidie convelleretur morbis, destinabat sibi ultimas ejus exuvias Pontifex: quæ ambitio maximis turbis bellisque *Germaniam* involvit. Nam quum *Pius II.* Pontifex novum tributi genus *Germanis* imponeret, primum Dioterus Archiepiscopus Moguntinus, & postea *Fridericus Victoriosus* Elector Palatinus, tantæ ambitioni obviam euntes, magnam *Germaniæ* partem adversùs *Sedem Romanam* concitarunt. Inflammatus irâ Pontifex *Dioterum* fulmine sacro percussit, & Archiepiscopatu dejecit: causæque mox divulgatæ, *Quòd non consentiret Dioterus in impositione decimæ, vigesimæ, aut tricesimæ; quòd nollet se adstringere Pontifici Romano, petenti, ne unquam Principes Electores absque Pontificis consensu convocaret; quòd Legatis Pontificiis haud permitteret, ut pro arbitrio libituque Clerum convocarent.* Ea de causa appellat Dioterus à Papa ad Concilium Generale, hortatusque literis Principes Germaniæ, ut communi auxilio nationem Germanicam à Pontificis jugo liberarent. Justissimam causam amplexi *Fridericus* Palatinus, & *Fridericus* Marchio Brandenburgensis, aliique Principes, appellationi adhærent, binisque literis acerrimè à Pontifice postulant, *Ut Decimas tolleret, Constitutionem Mantuanam revocaret, Annatas secundùm Decreta Concilii Basileensis aboleret, Concilium generale indiceret, Dioterum Moguntinum dignitati restitueret.*

XXXVII. Responsum à Pontificiis Oratoribus est, *Papam Duci velle, non cogi: infringi Sedis Romanæ Majestatem, si ad Concilium appelletur: Annatas decimasque priscò Pontificum jure defendi: Moguntinum restitutum, iri, si verbis humilibus veniam flagitaret.* Additum ab ipso Pio Pontificè est: *Quod vera etiam in Papam dicere, esset contra juramentum Episcoporum.* Inde ad arma procursum est, quum alios Principes ad defendendam Pontificis potentiam superstitio impelleret; cujus belli infelix eventus fuit, ut à *Palatino* tres Principes, Episcopus Metensis, Marchio Badensis, Comes Wirtenbergensis, plurimis ex nobilitate cæsis, capti in triumphum abducerentur. Quare maximum damnum rebus Pontificiis illatum est, multis Principum velut è somno expergefactis, & in rem suam intentis, ne sacrorum curam ab imperio suo avelli in posterum paterentur.

XXXIX. Sed jam Seculi Decimi Sexti felicissima tempora intueri gaudeo, quibus maxima Ecclesiæ Reformatio per *Lutherum*, *Zuinglium*, aliosque facta, & magna *Germaniæ* pars ab obsequio *Romanæ Sedis* aversa est. Cujus rei causas, originem, progressum, quam Scriptores superioris Seculi passim enarrent, tum peculiari Historiâ complexus est *Johannes Sleidanus*, Historicus candidissimus ac tersissimus, quo non alius latum Ecclesiæ Reformatæ felicius perscripsit. Nos heic, quoniam ad *Maximiliani* tempora deventum est, pedem figimus, Deoque immortali agimus gratias, quòd iis temporibus in ea nos nasci voluerit Ecclesia, quâ totum *Christum* casto complecti animo, ejusque immensis meritis conscendere in cœlos licet. Quamvis justissimâ illâ gratulandi causâ nos ipsos defraudemus, si nomine, non re *Christiani* vitam à sanctissima professione alienam ducimus, si cupiditatibus pravis deliquescimus, si in avaritiam luxumque præcipites ruimus, si opertis odiis, implacabilibus inimicitiis, dirâ invidiâ in proximum accensi, mitissimum illud *Christi* nomen, proterve sauciamus. Sed querelis, etsi forsan necessariæ forent, finire dissertationem nostram haud lubet; precari potiùs Deum, ut rem Christianam suis semper auspiciis augeat, atque fortunet.

DISSERTATIO HISTORICA NONA,

DE

RE FEUDALI VETERUM GERMANORUM,

BREVIARIUM.

§. 1. *Feudorum origo in Germania, undè in Orbem terrarum dispertita sint.* §. 2. *Qui Germaniæ populi Feuda introduxerint.* §. 3. *Qua occasione, quove modo invecta.* §. 4. *Quid sit propriè Beneficium, quid Feudum.* §. 5. *Feudi & Allodii diversitas.* §. 6. 7. *Historia Feudorum, in qua primævus eo-*

eorum uſus, & natura explicantur. §. 8. Diſtinctio Feudorum. §. 9. De Feudis Vexillariis. §. 10. De Feudis Ligiis. §. 11. Qui ritus in conferendis feudis adhibiti. §. 12. De inveſtitura, per Gladium, Vexillum; §. 13 De Inveſtitura per Annulum, & Baculum §. 14. Quid ſit Homagium. Formula profeſſionis in Homagio præſtando uſitata. §. 15. Alia Formula. §. 16 An Vaſallus debuerit eſſe præſens §. 17. De Fidelitate ſive Juramento Fidelitatis. §. 18. Quibus verbis, quove ritu ſacramentum fidelitatis dictum ſit. §. 19. 20. Diverſa Vaſallorum nomina recenſentur, & explicantur §. 21. Quæ ſervitia Vaſallorum fuerint. §. 22. 23. De Onere militiæ & profectionis ad campos Roncalia §. 24. Quid ſint Hoſtenducia, Heribannum. §. 25. Quid Foderum. §. 26. Reliqua onera. §. 27. 28. 29. De Felonia, cæteriſque cauſis quibus Vaſalli feuda amiſerint.

INter omnia ea inſtituta, quibus inclyta Veterum Germanorum Reſpublica ſtetit, una præſertim ſe effert RES FEUDALIS, quæ ortu ſuo nobiliſſima, uſu clariſſima, ſucceſſu felicisſima, & imperium Majorum ampliſſimum ſuſtinuit, & rarâ veterum conſuetudinum felicitate, inter leges noſtri ſeculi principem ferè locum occupavit. Adauget famam, quòd quum *Germanicum* inter populum enata eſſet, nomen ſuum protulerit longiùs, quàm *Germaniæ* termini finesque poſtulabant: quippe in *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Britanniam*, *Daniam*, *Sueciam*, *Poloniam*, & ut verbo dicam, in omnem *Europam* illata, noſtris moribus priſcam fori aulæque rationem paſſim immutavit, uſuque comprobata, poſt tot ſeculorum decurſum, in hujus ætatis leges celebre nomen transmiſit. Ut jam prætermittam, in ipſam *Aſiam*, *Africamque* diſpertita illa gentis noſtræ jura, ubi hodie magnus ille populorum victor ac regnator *Turca* ſuos *Timariotas* alit, qui ad primævum Vaſallorum noſtrorum morem, precario Principis beneficio, agros obtinent, eorumque emolumentis uſi, ingruente bello ſine ſtipendio militant.

II. Sed magnum inter Juris Feudalis interpretes certamen eſt, num *Feudorum* inſtitutio ad *Francos*, an ad *Gothos*, an ad *Saxones* auctores referenda ſit; quum vocabula quædam antiqua, & Feudorum mores, cognationem illarum gentium oſtendant. Vulgatior etiam fama eſt, primordia eorum deberi *Longobardis*, quod hi præter relictas Legi voces, Jura Feudalia coluerint præ cæteris, & in *Italia* ad famam de-

cus-

cusque provexerint: ſicuti quoque *Gerardum Nigrum*, & *Obertum de Orto*, qui primi leges ipſas, imperante *Friderico Barbaroſſa*, inſcripta retulêre, *Longobardica* ditionis, id eſt, *Mediolanenſes* fuiſſe conſtat. Verùm fruſtra res illa tam operoſis agitatur diſceptationibus, quum ſive *Franci*, ſive *Gothi*, ſive *Saxones*, aut *Longobardi* Feuda invexerint, certè ad *Germanos* auctores conditoresque deducenda ſint; poſtquam omnes illæ gentes è *Germania* tanquam ex magna communique parente, non ſolum ſtirpis originem, ſed & legum ac morum ſimilitudinem hauſerint. Quare rectè cum doctiſſimo Spelmanno cenſuero, mores ritusque Feudales ab antiquiſſimis manâſſe *Germanis*; inde longa diductos conſuetudine, & traditione, non ſcriptis tabulis propagatos ſtetiſſe: donec *Longobardi*, rerum in *Italia* potientes, acceptos mirè auxerint, atque exornârint. Inde lex ipſa ſenſim ſuccreſcens, & edictis Principum adaucta indies & firmata: quo in genere celeberrima ſunt, quæ *Conradus Salicus*, *Henricus II. Lotharius III. Fridericus I.* promulgarunt. Ac de poſteriore hoc Rege notum eſt illud ex Guntheri lib. VIII.

Mox de communi FEUDORUM JURE, quod illa
PERSPICUIS nondum SCRIPTIS expreſſerat ætas,
Hæc dedit, & SCRIPTO JUSSIT NOTESCERE LEGES.

III. Nec tamen aſſentior maximæ eruditionis Equiti, primævam Feudi Vaſallorumque conditionem repeti poſſe à *Comitibus*, quos Tacitus Principibus pagorum *conſilium adfuiſſe & auctoritatem*, in libro de morib. Germ. ſcribit. Nam quàm infirmum illud ſit argumentum, *Vaſallos* dictos à priſca Germanica, & inde Gallica voce *Geſſel* quæ *Comitem* notet; quivis facile animadverterit, qui cum Voſſio *Vaſallum* à Latino *Vas*, aut Germanico **vaſel** / *prole*; ſive cum Loccenio à veteri Gothico **wåſel** / quod *obnoxium* ſignat, rectius deſcendere judicabit. Neque heic ferenda Cujacii ſententia, qui ex Romanis moribus tracta Feuda affirmat; quod opinor non excidiſſet Jure Conſultorum Principi, ſi ſecum reputaſſet, quid alibi de *clientibus Romanis*, & diverſa *Germanorum* conſuetudine ſcripſiſſet. At verior opinio eſt, introducta demum Feuda, Vaſallosque inſtitutos, labente jam ac fatiſcente Romano Imperio, quum Germanicæ gentes, velut ſedibus ſuis excitæ; partim in *Illyricum Italiamque*, partim in *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Britanniam* maximis bellis coloniisque ſe effunderunt. Ea enim tempeſtate, quum imperium iisdem artibus, quibus partum erat, ſervandum

dum foret, rei militaris neceſſitas inventum *Feudorum* peperit: dum Imperatores atque Reges Patriciis & Proceribus ſuis, quos *Capitaneos* vocarunt, integras regiones, præſertim finitimas & hoſti expoſitas, diſtribuebant: quòd promtiùs ſua, quàm aliena defenſuri viderentur. Adjecta tamen conditio eſt, ne totas ſibi reſervarent provincias, coacervandisque ejus opibus ſoli incumberent: ſed ut diviſas in idoneas portiones militibus ſtipendii locò elocarent. Præcipuum omnibus ſacramentum impoſitum, *Ut patriam armis tegerent, Dominum defenderent, militanti auxilium portarent, ſua fortia facta gloriæ ejus magnitudinique aſſignarent.*

IV. Atque hoc ipſum, quod propriè *ſtipendium* ſive *ſalarium* erat, primitùs BENEFICIUM appellatum eſt: quod in Legibus Longobardicis, tum in Jure Civili atque Canonico crebrum occurrit. Sed inprimis vox illa inclaruit illuſtri lite inter Fridericum Barbaroſſam Imperatorem, & Adrianum IV. Papam, poſtquam hic ſcripſiſſet: *Inſigne videlicet coronæ BENEFICIUM Tibi contulimus.* Nam, ut Radevicus de geſt. Friderici I. lib. 1. cap. IX. X. & XXII. narrat, altius hæc verba in Cæſaris deſcenderunt animum, tanquam Romanum Imperium ex beneficio, id eſt, clientela ſua teneri ab Imperatore objiceret: ſed perculſus metu Pontifex, acerbitatem verbi callide & blande excuſavit, quod *Beneficium in Curia Romana non Feudum, ſed bonum factum* diceretur. At uſu frequentior invaluit vox FEUDI, ſive FOEDI aut FEODI: nam & hac terminatione in Charta Mathildis Imperatricis, ac Conſtitutione Wilhelmi Imperatoris legitur. Sed unde vox originem ceperit, diſcordibus interpretum ſententiis diu quæſitum eſt. Iſidorus à fœdere deducit; cujus rationem hanc reddit Spiegelius ad Guntherum: *Quoniam in ſolis fœderibus forma fidelitatis ultrò & citrò conſtet.* At Obertus de Orto aſſerit, *Feudum à fide vel fidelitate dici*; quod Cujacius quoque rectiùs putat. Magis ingenioſam originem affert Bodinus de Republ. lib. 1. cap. IX. ubi à fide præſtanda, feuda vocitata vult: *hinc enim*, ut ait, F. E. D. U. M. *dici videtur, quòd qui fidem daret, his verbis utebatur:* FIDELIS ERO DOMINO VERO MEO; *contractis autem dictionibus in literas, Feudi appellationem traxerunt.* Sed falli ſummos Viros manifeſtum eſt, quum *Feudum* non à voce *Latina*, ſed à *Gothica* arceſſendum ſit; ut Voſſius & Loccenius benè admonuerunt. Itaque erit vel à Gothico ſôdet vel ſôda / *alere*, quaſi pro alimentis datus ager: vel à ſeida *bello*, cu-

jus præmium hæc beneficia erant: vel à ſe / ſã *bona*, & od vel ȯd *poſſeſſio*. ut poſſeſſio fiduciaria eſſet.

V. Igitur *Feudum* erat genus clientelæ, quo vel prædium vel dignitas, vel vectigal cuiquam tribuebatur, ut & ipſe, & poſteri, beneficii auctorem agnoſcerent pro patrono, ejusque caput, honorem, ac fortunas defenderent. Nec aliter Cujacius definit ad lib. I. Tit. I. *Feudum eſt jus in prædio alieno, in perpetuum utendi, fruendi: quod pro beneficio Dominus dat ea lege, ut qui accipit, ſibi fidem ac militiæ munus, aliudve ſervitium exhibeat.* Itaque propriè *Feudum* non eſt ipſum prædium, ſed jus in prædio: quod & ipſum Jus Feudale his verbis expreſſit lib. III. Tit. I. *Beneficium eſt illud, quod ex benevolentia alicui ita datur, ut proprietate quidem rei immobilis beneficiata penes dantem remanente, uſus fructus illius rei ita ad accipientem tranſeat &c.* Unde *Feudo* adverſatur ALLODIUM, quum illud noſtrum ſit ſolum uſu, hoc etiam mancupio & proprietate: quomodo & *in Allode eſſe, atque ex beneficio obtineri*, in Kapitul. Karoli M. lib. I. cap. XXXII. opponuntur. Scilicet *Feudum* ſervitii & fidelitatis causâ dabatur, proprietate fundi penes dantem remanente, ſine cujus licentia nec ad exteros, nec ad filios nepotesque primitùs tranſibat: ſed *Allodium* eſt prædium liberum, nulli ſervituti obnoxium, quod per omnem hæredum ſeriem diſcurrit. Qua de cauſa Rhenanus lib. III. Rer. Germ. *Allodium* Germanicè dici Ein Anlodt ſcribit, quod inſeparabile à familia eſſet; Voſſius etiam lib. II. de vit. Serm. cap. II. deducit ex Belgico Alvout/ quaſi quod jam ab antiquis temporibus, tanquam proprium, poſſeſſum ſit; utroque autem melius rectiusque Loccenius in Explicat. voc. Feud. vocem Gotho-Saxonicam agnoſcit, & ex *all omni*, & odhe/ vel ȯdhe *poſſeſſione*, *proprietate* derivat.

VI. Sed quæ primùm natura Feudorum, quis uſus, quæve inde facta fuerit mutatio, lubet audire ex ipſo Libro Feudali, ubi ita diſſerit Gerardus Niger lib I. Tit. I. de iis qui feud. dar. poſ. *Antiquiſſimo tempore ſic erat in Dominorum poteſtate connexum, ut quando vellent, poſſent auferre rem in feudum á ſe datam. Poſtea verò eò ventum eſt, ut per annum tantum firmitatem haberent: deinde ſtatutum eſt, ut usque ad vitam ſi delis producerentur. Sed cùm hoc jure ſucceſſionis ad filios non pertineret, ſic progreſſum eſt, ut ad filios deveniret, in quem ſcilicet, Domi-*

nus

nus hōc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita ſtabilitum eſt, ut ad omnes æqualiter filios pertineat. Cùm vero Conradus Romam proficiſceretur, petitum eſt à fidelibus, qui in ejus erant ſervitio, ut lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur: & ut frater fratri ſine legitimo hærede defuncto, vel filius, in beneficio, quod eorum patris fuit, ſuccedat. Sin autem unus ex fratribus à Domino feudum acceperit, eo defuncto ſine legitimo hærede, frater ejus in feudum non ſuccedit: quod etſi communiter acceperint, unus alteri non ſuccedit, niſi hoc nominatim dictum ſit: ſcilicet, ut uno defuncto ſine legitimo hærede, alter ſuccedat: hærede verò relicto alter frater removebitur. Hoc quoque ſciendum eſt, quod beneficium advenientes ex latère, ultra fratres patrueles, ſucceſſione non progreditur, ſecundùm uſum ab antiquis ſapientibus inſtitutum: licet moderato tempore usque ad ſeptimum gradum ſit uſurpatum. Quod in maſculis deſcendentibus hodie novo jure, in infinitum extenditur. Hoc autem notandum eſt, quod licet filiæ, ut maſculi, patribus ſuccedant, legibus tamen à ſucceſſione feudi removentur: ſimiliter & earum filii, niſi ſpecialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat.

VII. In illa Feudorum hiſtoria primùm obſervo, *Antiquitus in Dominorum poteſtate ſic fuiſſe feuda, ut quando vellent, poſſent auferre: deinde ſtatutum eſſe, ut ad vitam Fidelis producerentur.* Fuit igitur priſcum Germanorum feudum inſtar Turcarum *Timar*, quo illi vocabulo feuda ſua hodie inſigniunt: hæc enim Principis beneficiô, & quidem precariô, non tamen diutiùs, quam fructuarii vita, fruenda permittentur: unde & Leonclavius *Timar, honorarium prædiorum fructum, & arbitrio Domini ſubjacentem* definit. Sequitur poſtea: *Ut uno defuncto ſine legitimo hærede, alter frater ſuccedat: hærede vero relicto alter frater removeatur.* Nimirum, ut eodem libro Tit. IV. dicitur: *Succedunt tantum filii æqualiter, vel nepotes ex filio, loco ſui patris:* neque Patruis ad ſucceſſionem locus, ubi Nepotes ſuperſtites fuerint. Regnante *Ottone Primo*, quum ingens eſſet ea de re inter Proceres controverſia, an avo ſuccederet nepos unà cum patruo, placuit rem committi gladiatorio certamini, in quo victoria ceſſit illis, qui nepotes computabant inter filios: velut Sigebertus in Chronicis, & Witichindus lib. II. memoriæ prodiderunt. Adjicit paulô poſt, *Feudum in maſculis deſcendentibus hodie novo jure in infinitum extendi.* Vocat novum jus, quum teſtibus Johanne Fabro & Bodino, Feuda non minùs cætera, quàm Ducatus, Comitatus, Baroniæ, apud Gallos ſub *Hugone Cape-*

Capeto circa Ann. DCCCCLXXXVIII. inter perpetuas demum hæreditates haberi, & in patrimonio numerari cæperint. Quod eadem ferè ætate apud Germanos ſub *Ottonibus*, & mox ſub *Conrado Salico* invaluit: donec poſtea *Henrici IV.* imperium adeuntis immatura ætas, ad plenam libertatem vaſallos proveheret. Ultima ferè verba ſunt, *Filias à ſucceſſione feudi, legibus removeri, licet de facto*, ut videtur, *Patribus ſæpe ſuccedant.* Cauſam referunt leges Longobardicæ, *Quia fœmina neque faidam levare, neque pugnam facere poſſunt:* id eſt, quia ineptæ bello gerendo ſunt, cujus neceſsitas feuda peperit. Hoc jure nixus *Rudolphus I.* Imperator, ut Æneas Sylvius ſcribit, repetiit Auſtriam, quam *Ottocarus* Bohemiæ Rex retinebat per uxorem *Margaretam*, ſororem *Friderici* Ducis Auſtriæ, qui ſine maſculis hæredibus diem obierat. Et teſtis eſt Papirius Maſſonius, Reges *Galliæ* exercuiſſe hanc legem adversùs eorum ſucceſſores, qui in bello ſacro, haud masculâ ſobole relictâ, animam effuderant.

VIII. Cæterum primis temporibus Feuda triplici ordine erant diſtincta, quorum prima *Imperatoria* ſeu *Regalia*, ſecunda *Capitanea* ſeu *Media*, tertia *Militaria* ſimpliciter dicebantur. *Feuda Imperatoria*, omnium ampliſſima & nobiliſſima, à ſolo Imperatore vel Rege ſub Ducatus, Marchionatus, Comitatus, aliisque illuſtribus titulis conferebantur; quorum poſſeſſores vocati Regni vel Imperii *Capitanei*, quia in *Capite*, hoc eſt, à Rege vel Imperatore rem immediatè tenebant. Quæ quidem feuda, quum jam cætera minora ad filios irent, diu ad terminum vitæ legibus adſtricta ſteterunt: unde in Gloſſa ad LL. Feud. Tit. de his qui feud. dar. poſſ. dicitur, quòd *iſtud feudum finitur cum perſona accipientis, quia hæres in eo non ſuccedit, niſi iterum ab Imperatore inveſtiatur.* Jam *capitanea* ſeu *Media feuda* erant, quæ non Reges immediatè, ſed *Capitanei* ſuis concedebant clientibus, nimirùm Baronibus & Caſtellanis, *qui propriè*, ut Feudor. lib. I. Tit. I. refertur, *Regis vel Regni Valvaſores dicuntur: ſed & hodie* Capitanei *appellantur.* Iidem *Majores Valvaſores* in libris Feudalibus, & apud Aimonium ſæpe *Vaſſi Dominici* vocantur. Poſtremò *Feuda Militaria* fuêre, quæ nec à Rege, nec à Capitaneis Regni, ſed à *Valvaſoribus Majoribus* in milites ſuos erogabantur: de quibus Niger locô ſuperiùs citato: *Et ipſi* [Valvaſores Regis) *feuda dare poſſunt: Ipſi verò, qui ab eis accipiunt feudum*, minores Valvaſores, *dicuntur.* Reperio quoque lib. II. Tit. X. *Valvaſinos* dictos, qui à *Minoribus Valvaſoribus* feudo donati erant.

IX.

IX. Verùm iſta diſtinctio, ut benè monet Spelmannus, parùm ſolenniter eſt obſervata, quum brevi Reges omne genus Feudorum, Capitanei autem feuda ſimpliciter militaria donare ſolerent. Inde multiplex eorum denominatio, prout natura ipſius Feudi, aut conditio ſervitii indicti ſe habebat. Alia enim vocata ſunt *Feuda Vexillaria*, alia *Haubertica*, *Loricata*, *Scutifera*, *Nobilia*, *Franca*, *Generarchica*, Anglis *Talliata*, *Ligia*, *Quaternata*; alia denique *Feuda de Caneva*, *Feuda Caſtaldia*, *Gardia*, *Advocatia*, &c. quæ paſſim in libris Feudalibus, eorumque Gloſſis leguntur explicanturque. Inter omnia eminebant *FEUDA VEXILLARIA*, Germanis Fahn-Lehen dicta, ſub quorum appellatione, illuſtriora feuda, veluti Regna, Ducatus, Comitatus comprehendebantur. Sic verò appellata ſunt, quia conferebantur traditione vexillorum, ſub inveſtituræ nomine: quod à ſolo fieri Imperatore poterat. Unde nec vacante Imperio, dum *Palatinus* & *Saxo* Rempublicam Germanorum vicariâ poteſtate adminiſtrant, hæc cuiquam capeſſere ac tribuere permittitur: quemadmodum expreſſè in Aurea Bulla *Karoli IV.* data An. CIↃCCCLVI. ſub his verbis cautum eſt: ---- *Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ* Vanlehen *vulgariter appellantur: quorum inveſtituram & collationem ſoli Imperatori, vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervamus.* Sæpe de eo agit Speculum Saxonicum, ut lib. III. Art. LII. LIII. LIV. & LVIII. quo poſtremo loco verba iſta ſunt: *Nullum eſt feudum vexilli, de quo poſſit Illuſtris ſeu Princeps fieri, niſi illud ſibi à Rege conferatur.*

X. Magnum & eximium quoque FEUDI LIGII nomen, quod à *ligando* appellationem traxit: quippe tanta ejus vis, ut Vaſallum obſtringeret ad ſtandum ſemper à partibus Domini, adversùs cunctos mortales: ut priſcæ leges habent. Inde apud Scriptores eſt *Ligantia*, quâ ipſum debitum fidelitatis ſive obligatio denotatur. Atque ut illi, qui Feuda Ligia tribuebant, *Domini Ligii* vocati ſunt, ita ipſi Vaſalli *Homines Ligii* dicti: quos ſic in Richardo Comite Pictaviæ expreſſit Brito Aremoricus Philippid. lib. II.

Eſſe tenebatur Homo Ligius atque fidelis,
Et tanquam Domino jurando jure ligari
Reddere ſervitium, quod Jus Feudale requirit.

Itaque quum cætera Feuda Vaſallum certis obligarent conditionibus, *Ligia Feuda* jubebant, ut dominum defenſitaret contrà quoſvis, & nec ipſum Regem, aut Pontificem, aut antiquiorem Dominum excipe-

ret. Unde illud Feud.lib. IV. Tit. XCIII. *Nullo antepoſito fidelitatem fecit.* Sed Regem primus excepit Fridericus Barbaroſſa, qui teſte Radevico lib. II. cap. VII. legem tulit An. CIↃCLII. in Roncaliis, *Ut in omni Juramento Fidelitatis Imperator nominatim exciperetur.* Qua de re ſic ipſe apud Guntherum Ligurin. lib. VIII.

Præterea quotiens feudali jure recepto
Vaſallo Domino fidei juramina præſtat,
EXCIPIENDUS erit ROMANUS NOMINE PRINCEPS.

Quæ lex ab aliis Principibus repetita poſtea eſt: adjunxitque Jus Feudale, *Antiquiores Dominos etiam eximendos.* Ex illa autem *Hominis Ligii* obligatione factum eſt, ut poſtea *Homines Ligii* tantùm appellarentur, qui Principum ſupremo gaudentium dominio ſubjecti eſſent. Ut nunc perſpicuè diſtinguantur *Ligii* & *Vaſalli*, tum *Feudum Ligium* ac *Vaſalliticum*, quod maximus JCtus Hottomannus minùs rectè negavit. At id diſcrimen clariſſimè liquet apud Albertum Argentinenſem ſub An. CIↃCCCIV., ubi ſcribit: *Quamvis autem iidem Principes Aquilonis,* (Galliæ Belgicæ) *ipſum Francum ipſis gravem haberent: cùm tamen omnes quaſi ejus eſſent VASALLI, niſi ab Imperatore monerentur, cujus eſſent HOMINES LIGII, invadendi eum cum honore occaſionem aliquam non habebant.*

XI. Ritus in conferendis *Feudis* ſolennes fuêre, quos eleganter & prolixè Jovianus Pontanus lib. II. Hiſtoriæ Neapolitanæ deſcribit. In univerſum ſub INVESTITURÆ nomine inclaruerunt: de qua Feud. lib. I. Tit. XXVI *Sciendum eſt Feudum SINE INVESTITURA nullo modò conſtitui poſſe.* Sunt, qui vocem à Latino *inveſtimento*, quod apud Livium lib. IV. occurrit. derivandam putant: ſed rectius *Veſtire* & *Inveſtire* cenſentur vetera vocabula originis Germanicæ, nimirum à *fäſta / infäſta / inveſten /* quæ voces *ſtabilire* ſive *confirmare aliquem*, juxtà Grotium & Loccenium ſignificant. Planè ut *Inveſtitura* nihil aliud ſit, ac confirmatio in Feudis: ſive ut Cujacius ad Feudd. lib. I. Tit I. definit: *Inveſtitura eſt teſtio Feudi ſolennis ſive contractus ... quam ſequitur traditio poſſeſſionis vacuæ.* Quæ poſteriora verba valent, ſi *Impropria Inveſtitura* intelligatur, quæ ſine traditione poſſeſſionis per ſe ſubſiſtit, dum ſymbolum aliquod rei nomine porrigit: at in *Propria* ſive *Vera Inveſtitura* res ipſa ſimul traditur: veluti poſſeſſio terræ ſuper ipſam terram traditione glebæ ab eadem revulſæ, antiquitùs ſæpe donabatur. Sed & uſu receptior, & famâ illuſtrior invaluit *Inveſtitura Impropria*, quæ in Conſtitutione Friderici Imperat. de

de pacè. *Donum Inveſtitura* nuncupatur: dum nempe ſymboli quidpiam, veluti gladius, haſta, baculus, vexillum, annulus, ſagitta, calcaria, aut aliud hujusmodi pro vario locorum more, Vaſallis inveſtiendo tradebatur. Nos, ne ſingulorum interpretationi diutiùs inhæreamus, clariora tantùm videbimus ſymbola, quibus illuſtria Feuda Majores noſtri conferri voluêre.

XII. Ac Regna quidem per GLADIUM, Ducatus Comitatusque per VEXILLUM tribuebantur: per illum ſuprema poteſtas, per hoc auctoritas educendi in militiam populi notabatur. Utriusque ſic meminit Otto Friſingenſis de geſt. Frid. I. lib. II. cap. v. *Eſt enim conſuetudo curiæ, ut REGNA per GLADIUM, provincia per VEXILLUM à Principe tradantur & recipiantur.* Refert idem auctor in Chron. lib. VII. cap. XX. Lotharium Imperatorem & Innocentium Papam de conferendo Apuliæ Ducatu contendentes, hac tandem ratione conveniſſe, ut *in dando Duci vexillo, utrique manum adhiberent.* Pro magnitudine autem præſtantiaque Ducatûs, multiplicari ſolebant *Vexilla*: veluti apud Friſingenſem Fridericus I. Henrico Juniori, Duci Bavariæ, *Ducatum Bajoariæ per ſeptem vexilla*, ſed *Ducatum Auſtriæ cum duobus vexillis* Sorori ejus confert. Quamvis verò juxta Friſingenſem conſuetudo curiæ eſſet, ut per *Vexillum* Ducatus traderentur; ſæpius tamen ad alia quoque ſymbola deſcenſum eſt. Apud *Anglos*, ex priſcis Saxonum moribus Eduardus III. filium ſuum Eduardum Cornwalliæ Ducem creavit *per ſertum in capite, annulum in digito, & virgam auream*, ut Cambdenus auctor eſt. Et idem Rex filios ſuos Leonellum Ducem Clarentiæ, & Johannem Ducem Lancaſtriæ *per cincturam gladii, impoſito capitibus pellito pileo* creâſſe fertur. Quod nec alienum à noſtris fuiſſe moribus, arguunt verba illa, quæ Seldenus, narrante Spelmanno, ex privilegiis Auſtriacis notavit: *Dux Auſtriæ, principali indutus veſte, ſuppoſito Pileo Ducali, circumdato ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, &c.* Sane in Ducali Auſtriæ habitu, ſub prima ejusdem inſtitutione, Pileum cruce inſignem, expreſſe Charta Friderici II. memorat: *Concedimus etiam noſtro illuſtri Principi Duci Auſtriæ, Crucem noſtri diadematis, ſuo Principali Pileo ſufferendam.*

XIII. Sed *Francorum Gallorumque* vetuſtiſſimus erat mos, non ſolùm Epiſcopatus, ſed omnia Feuda tradere per ANNULUM & BACULUM: quod per *rain & baſton* dicebant, ut Cujacius ad II. Feud. Tit. III. annotavit. Et *Baculi* quidem uſus ab antiquiſſimis Germanis

manis acceptus est, qui *Festucam*, id est, virgam simplicem dixêre; cujus tanta apud cunctos erat veneratio, ut quod ratum esse vellent, eâ interpositâ confirmarent, per eam sacramenta conciperent, fidem facerent, potestatem cederent. Hinc in Leg. Ripuar. Tit. xxx. §. II. *Cum festuca fidem facere.* In formula vett. incerti Auth. cap. II. *Tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adrhamire.* Et in formull. solenn. passim occurrit, *villas, mansos, terras, per fistucam atque per andelangum tradere.* Sic qui alium in possessionem rei donatæ immissurus foret, *festucam* in ejus sinum projiciebat: quod *Affatomiam* sive *Adfatomiam* Leges vocant. Lex Salica Tit. XL. de Affatomia. *In cujus laisum*, (sinum) *festucam jactavit, & heredem fecit.* Inde *exfestucare* apud Scriptores mediæ ætatis est, possessione prædii aut dignitatis exuere aliquem: veluti in illo Ottonis Frisingensis de gest. Frid. I. lib. I. cap. VIII. *Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum* (Sueviæ) *exfestucaret.* Jam *Annulli* usum antiquioribus Germanis in *Contractibus, Venditionibus Traditionibus* solennem fuisse constat: unde prisca formula, *Annulo subarrari*, in Legibus remansit. Cæterum ea per *Annulum* & *Baculum* investitura, ab Imperatoribus Germanicis diu in confirmandis Episcopis usurpata est, donec Henricus V. circà An. CIↃCXXII. omnem *investituram per Annulum* & *Baculum*, ut Abbas Urspergensis loquitur, Pontifici Romano cessit. Guntherus tamen solius baculi meminit, quod *eburnum sceptrum* lib. I. vocat:

Arbitrioque suo pastorem ponere sedi:
Nec prius electum quenquam de jure sacrandum,
Quàm SCEPTRO Princeps regalia præstet EBURNO.

Sed in ritu tam *Baculi*, quàm *Annuli* explicando, Scriptores Ecclesiastici commenti sunt causas mysticas, quæ ingeniosæ magis, quàm veræ prudentissimis viris visæ sunt. Id satis, opinor, compertum est, Baculum, sive virgam, sive Festucam fuisse symbolum subsidii, quod *Vasallus* præstiturum se Domino suo pollicebatur. Aut si in ipsum Regem Principemque juvat respicere, *Baculus* sive *Virga* symbolum erat potestatis ac imperii: quod ab antiquorum Regum sceptris, quæ nihil aliud, quàm virgæ ac scipiones fuêre, tractum est. At *Annulus* signum fidei & constantiæ semper fuit: undè & in Romanorum ac Germanorum veterum nuptiis donari solebat.

XIV. Magna investituræ pars, aut certè complementum fuit HOMAGIUM sive HOMINIUM, solennius, arctius, humiliusque servi-

tii

tii genus, quo cliens obſequium voce ſupplici præſtat, ſeque Domini ſui *Hominem* id eſt, *Vaſallum acturum* profitetur. Igitur Francorum moribus Candidatus Feudi, qui avita ſucceſſione in illud admittendus erat, intrà anni ſpatium, ad Dominum accedebat, gladio diſcinctus, calcaribus exutus, caput nudus: mox adſedentis procidebat genua, manusque ſupplices inſerebat in Principis manus, quod antiqui *invaſſire* & *commendare in manus* vocant. Tum hæc verba recitabat: *Devenio homo veſter ab hac die in poſterum de vita, de membro, & de terreno honore: verus & fidelis vobis ero, & fidem vobis portabo ob terras, quas à vobis teneo: ſalvâ fide Domino noſtro Regi & hæredibus ſuis.* Ubi verba illa *de vita, de membris, & terreno honore* alludunt ad notiſſimæ ſubjectionis conſuetudinem, quæ illis vocibus declarari ſolebat. Quamvis ab ipſis quoque Dominis verba illa interpollicitationes Vaſallo factas interdum proferrentur: veluti in mutuo Regum Galliæ & Angliæ fœdere, ubi teſte Matthæo Pariſienſi. CL. ſic conventum eſt. *Ego Philippus Rex Francorum Richardo Regi Anglorum Bonam fidem ſervabo, ut Fideli meo & Amico, de VITA, & MEMBRIS, & HONORE TERRENO. Et Ego Richardus Rex Anglorum, id ipſum Regi Francorum facere promitto, de VITA ET MEMBRIS, ut Domino meo & Amico.* Hoc *Obſervare* barbarè dicebant, ut Barthius Animadverſ. in Britonis Philip. lib iv. notat. Ita Hovedenus DXCIII. in conventione Henrici & Philippi: *Sic ſumus, & á modo volumus eſſe amici, quod uterque noſtrum OBSERVABIT alteri vitam & membra, & terrenum ſuum, contra omnes homines, pro poſſe ſuo.*

XV. Et hæc Profeſſionis formula cæteris uſitatior erat: à qua parùm diverſa abit, quæ ſeculo vetuſtiori, nimirum An. DCCC LXX. obtinuit: cujus exemplum tale affert lib. v. Aimoino adſcriptus: *Ego Hincmarus, Eccleſiæ Laudenenſis Epiſcopus -- Seniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ſecundùm miniſterium meum ero: ſicut homo ſuo Seniori, & Epiſcopus per rectum ſuo Regi eſſe debet.* At diverſa erat *Hominis Ligii* Profeſſio, quum ipſum Regem aut Pontificem haud exciperet. Unde Arturus Dux Britanniæ ſub An. CIↃCCII. in Hiſt. Britan. l. III. c. LXXI. ſic profitetur: *Noveritis, quòd ego feci clariſſimo meo Domino Philippo, Regi Francorum illuſtri, Homagium ligium contrà omnes, qui poſſunt vivere, vel mori, de feudo Britanniæ, &c.* Quanquam mollior illa fuerit formula, quam *Eduardo III.* Regi Angliæ, præſcriptam à *Philippo Valeſio* memorat Bodinus de Republ. lib. I. cap. IX., cujus verba ſunt: *Tu quidem evadis*

in Hominem Ligium Regis Francorum, uti Dux Aquitanorum, Par Franciæ, Comes Pictonum, & Montrolienſium: Teque in ejus fide & obſequio ſemper futurum ſpondes. Reſponde, Aſſentior. Hic Rex Anglorum aſſentiriſe dicet. Tum Rex Francorum ad fidem & oſculum Regem Anglorum admittet.

XVI. Ad *Homagii* dignitatem ſpectabat, quod nec per literas nec per Procuratorem, ſed *in Perſona*, ut ajunt, *tam ipſius Domini, quàm Vaſalli* faciundum eſſet. Id tamen antiquis Feudorum legibus licebat, ſi fortean Vaſallus legitimis excuſationibus, veluti bello, carcere, morbo, vi undatum abſentiam ſuam excuſaret, ut in Cuſtumar. Norman. Art. CV. habetur: ſed *mox illud antiquatum eſt ubique gentium*, ut Bodinus de Republ. lib. I. cap. IX. ait planè ut ne in Italia quidem, unde jura feudorum mânaſſe dicit, *Procurator fiduciarius* admittatur. Itaque *Philippus Pulcher* Rex Galliæ, quamvis morbum abſentiæ ſuæ obtenderet Anglorum Rex *Eduardus III.* recuſavit ab ejus procuratore ſuscipère homagium; moxque Anno MCCCCXXX. in fœdere his verbis definitum eſt: *Eduardus Tertius Rex Anglorum recipit ac promittit, ſe mox in Galliam, fidei, præſtanda causâ, venturum, aut ſiquidem morbum neceſſarium ſine dolo malo excuſaret, cùm primùm convaluiſſet, & effecturum.* Nec violat patrium morem pactio inter Maximilianum Auſtriæ Archiducem, & Ludovicum XI. Galliæ Regem An. MCCCCLXXXII. inita, etſi leniùs decernat: *Ne Vaſalli fidem procuratorio nomine exhibeant, ſed præſentes ad id cogantur: niſi morbum, ſenectutem, aliamve neceſſariam cauſam excuſârint.* At juſtiſſima ſemper excuſatio fuit, quam Vaſallus impubes præbet: unde tenera Galeacii Genuenſium Ducis ætas adegit Regem Ludovicum XI. ut per Legatum admitteret *homagium*, quum actum legitimum fidelitatis differri noluiſſet.

XVII. Proximè *Homagium* ſequitur FIDELITAS, ſive, JUSJURANDUM FIDELITATIS, præcipuum & grande ſacramentum, quo fidem obſequiumque ſuum Vaſallus Patrono obſtringit. Quod malè tamen cum *Homagio* confundunt viri docti, quum alterum ſine altero conſiſtat, & *Fidelitatem* Vaſalli, juxta Cujacium, non ſemper præſtent, quibusdam etiam pactione remittatur. Eâ ratione apud Crantzium lib. VIII. cap. XXIX. Hamburgenſes è priſco ipſorum more, Regi Daniæ feciſſe *homagium*, ſine *Fidelitatis ſacramento* dicuntur. Nam ut idem eodem loco ait, *DE HOMAGIO*

qui-

quidem nulla mora: ſed de præſtando JURAMENTO ſit dubitatio. Et apparet ex antiquis Legibus à Pithæo datis in XII. Scriptoribus, Laicos ſolos præſtitiſſe *Sacramentum*, Epiſcopos verò *profeſſionem homagii* tantùm edidiſſe. Itaque poſtquam Vaſallus, in genua provolutus *formulam Homagii* recitâſſet, Dominus impingebat jacenti oſculum, eumque de terra ſurgere jubebat. Erectus ſacramentum fidelitatis dicebat, cujus varias formulas reperio. Karolus M. breviori iſtâ, quæ Leg. Franc. lib. IV. Tit. XLVI. exſtat, contentus fuit: *Promitto* (ego ille) *partibus Domini mei Karoli Regis, & filiorum ejus, quia fidelis ſum, & ero diebus vita mea, ſine fraude & malo ingenio.* Nec prolixius fere jusjurandum, quod imperante Karolo Calvo ab omnibus Francis recitatum eſt: *Ego* (*ille,*) *Karolo HLudovici filio, ab iſta die in ante fidelis ero ſecundùm ſavirum meum, ſicut Francus homo per rectè eſſe debet ſuo Regi. Sic me Deus adjuvet & iſta reliquia.* Sed quum hujus generis ſacramenta plurimum indigerent interpretatione, multis poſtea acceſſionibus aucta ſunt; ut tum ex Feudor. lib. II. Tit. VII. tum ex formula illa Juramenti Fidelitatis, quæ circà Rudolphi Habsburgenſis tempora obtinuit, apud Goldaſtum Conſt. Imp. Tom. III. pag. 404. obſervare licet.

XVIII. Ipſum Sacramentum, ut venerabilius ſanctiusque eſſet, aut ſuper relliquias hominum divorum, aut complexu Evangelii Codicis, aut contactu armorum, aliarumque rerum concipiebatur. Prioris exemplum luculentum eſt in Annalibus Rer. geſtar. à Pipino, ubi ad An. DCCLVII. ſcribitur. *Illuc & Taſſilo Dux Bojariorum cum primoribus gentis ſua vênit, & more Francico in manus Regis invaſſati cum manibus ſuis ſemet ipſum commendavit, fidelitatemque tam ipſi Regi Pipino, quam filiis ejus Carolo & Carolomanno jurejurando SUPER CORPUS SANCTI DIONYSII promiſit. Et non ſolùm ibi, verum etiam ſuper corpus Sancti Martini, Sancti Germani ſimili ſacramento fidem eſt pollicitus.* De altero more, quo tactis ſacroſanctis Evangeliis jusjurandum dicebatur, lex illa extat in libro Feud. II. Tit. V. *Jurare ſcilicet ſic debet: Ego juro per hæc ſancta DEI EVANGELIA, quod amodo in antea ero fidelis, &c.* Et in altera formula Juramenti Fidelitatis Vaſallorum apud Goldaſtum: *Juro ego per Deum omnipotentem, per --- QUATUOR EVANGELIA, quæ in manibus teneo meis, & per Quatuor Evangeliſtas, &c.* Denique ante Karolum M. per Arma juratum eſt, vel armatâ dextrâ, vel ſuper armis interdum honoratioris alicujus, interdum pro-

priis, velut Diis Penatibus: quod Formula vetus apud Lindenbrogium Num. CXIX. Aimoinus lib. IV. cap. XXVI. Leges Bojoar. Tit. XVIII. l. V. uberiùs docent.

XIX. Poſt tradita acceptaque Feuda, ſicut beneficii donator jam DOMINI, jam SENIORIS, modo PATRONI nomine veniebat, ita clientes variis appellationibus pro Feudorum diverſitate inſigniebantur. Notiſſimum & noſtro ſeculo uſitatiſſimum eſt nomen VASALLORUM, de cujus vocis origine ſuperiùs quædam diximus. Huic affines ſunt VASSI & VALVASORES, obvium quoque in Jure Feudali, & in Scriptoribus Germanicis ab Urſtiſio editis vocabulum; etſi *Valvaſorum* nomen quidam deducant à **wall** *agere*, ſive *propugnaculo*, & **vaſt** firmo; quaſi quibus arx aut propugnaculum à Domino committeretur. Iidem MILITES paſſim appellati, quod militare Principi ſuo cogerentur. Unde apud Britonem Aremoricum lib. IV. Rex Angliæ Richardus Philippum Galliæ Regem ſic alloquitur:

bone Rex, cui Francia paret,
Cujus ego MILES, cui ſum juratus in arma

A belli quoque ſtudio vocati ſunt ARIMANNI ſive ERIMANNI, ab Ἄρης, ut Lydius vult, id eſt, *Marte* dicti: quorum Longobardorum leges lib. I. Tit XVIII. l. II. & Tit XXV. leg. I. item lib. III. Tit. XII. l. V. meminerunt. Nec alii ſunt AMTRUSTIONES ſive ANTRUSTIONES, quorum frequens mentio in formulis Bignonianis ac Lindenbrogianis occurrit: deductâ voce ab **Ampt** *munus*, & veteri Germanico **truſtii** *fidus*, quòd cum *Arimania ſua*, id eſt, clientela militari, Regi fidelitatem jurarent.

XX. Porrò vaſallis illuſtribus inditum eſt BARONUM nomen; ut oſtenduntOtho friſingenſis de geſt. Frid. I. l. II. c. XIII. & Aimoinus. l. V. c. XLIX. ubi poſtremus hic ſcriptor ait: *Multos Baronum, ſive Vaſallorum cum Rege crucem accepiſſe.* Eosdem LEUDES ſive LÆODES ſæpius leges Burgundionum & Weſt-Gothorum nuncupant: pertinetque huc, quod Turonenſis Hiſt lib. III. cap. XXIII. ſcribit: *Theodobertus Rex à Leodibus ſuis defenſus eſt, & in regno ſtabilitus.* Similiter BUCCELLARIOS Weſt. Gothi vocant; uti apparet ex Legum Wiſigoth. lib. V. Tit. III. lib. I. *Quodſi Buccellarius filiam tantummodo reliquerit ---, ipſam in poteſtate Patroni manere jubemus.* In Anglo-Saxonum legibus Hiſtoriisq; occurrit etiam DRENCHES ſive DRENGORUM vocabulum, quos Cambdenus Vaſallos militares interpretatur. Sed commune atque uſita-

uſitatum maximé in literis Francorum eſt FIDELIUM illis nomen, quòd Juramentum fidelitatis Domino præſtitiſſent: unde & DRUDES ſive DRUDOS, à Germanico *treu fide*, dictos invenio. Auctor vitæ S. Udalrici p. 139. *Drudes ſuos donis congruis ſibi complacere ſatagebat.* Ab ipſo etiam beneficio BENEFICIATOS Fridericus Cæſar apud Radevicum, vocat: & eadem de cauſa BENEFICIARII in Jure Civili & Canonico paſſim vocitantur. Poſtremò HOMINES tam in Jure Feudali, quàm in vetuſtis Francorum, aliorumque Germaniæ gentium hiſtoriis ſimpliciter appellantur, quod Dominis homagium præſtare ſoleant. Inde quoque eſt *Homo Ligius*, cujus ſuperiùs meminimus: *Homo de Armis* in Legibus Anglo-Saxonum: *Homo exercitalis* in Legib. Longobardicis & Weſt-Gothicis: *Homo commendatus* in Legibus Ripuariis: *Homo Novus*, qui novô feudô donatur.

XXI. Sed jam propiùs venire lubet ad Leges ſive conditiones, quibus Domini Vaſallos ſuos duxère obnoxios: quippe poſtulabat ratio, ut tantis mactati beneficiis non ſolùm verbis humilibus devotisque, ſed & re ipſa obſequium Dominis redderent. Id Feudales libri vocant *Servitia, onera, auxilia:* Sed alii triſtiore vocabulô *Servitutes duras, mancipiatum, onera poſt mortem etiam gravia*, appellârunt. At æquum fortaſſe fuerit, eò impendi laborem ac periculum, unde emolumentum ac honos capeſſeretur. Neque ſanè errorem magis exitialem errare poſſunt Patroni, quam ubi clientes ſuos magnis involvunt opibus, eosque inde liberos, & ab omni obſequio exemptos pronunciant: plerumque enim accidit, ut hi tot ſaginati bonis, viribus ſuis tandem adversûs poteſtatis ſuæ Auctores abutantur. Sed in univerſum æſtimanti, nihil ſuprâ vaſalli fidem obſequiumq; eſt, quum tanta juris fiduciarii ſit obligatio, ut etiam adversùs fratres ac liberos, imò in ipſos Parentes, Vaſallum pro ſalute ac dignitate Patroni armet. Itaq; benè cenſet Bodinus, Jus fiduciariũ ſeu feudale ſanctius grandiusque eſſe patrocinii ſive clientelæ jure, quum clienti nec onus militiæ impoſitum, nec minùs officioſo quicquam eripi poſſit: a Vaſallus Dominum ſummâ fide obſervare ac colere, periclitanti opem ferre, ejus dignitatem tueri cogatur. Nec tamen Vaſalli ſunt Servi, ſed ἀνδρόδουλοι, ut Cujacius ex Æſchylo loquitur: & quamvis ſæpe *Homines* dicantur, qua ſignificatione Servi quoque veniunt, multùm tamen & libertate & fortunâ à conditione eorum *Hominum* abſunt. Cæterum quum ipſa ſervitia pro ratione jurisjurandi & pactionis in

Inveſtitura varient, & hujus populi moribus intendantur, illius conſuetudine mitigentur, nos obiter ea tantùm inſpiciemus, quæ apud *Francos*, & inde Imperiô ad *Germanos* translatô, noſtra in gente valuêre.

XXII. Jamprimùm Vaſallis incumbebat onus militiæ, cujus potiſſima cauſa Feudum inſtitutum accepimus: unde & *Militum* illis appellatio adhæſit. Quoniam autem *Militum* nomine per illud ævum ſola *Nobilitas* cenſebatur, hæc quidem nullo conducta ſtipendio militare, cogebatur Principibus, à quibus *Feuda* obtinuerat: cæterum miniſtros ſervosque ſub ſe habebat, militantes ære, aut ſervitio addictos, qui apud Matthæum Pariſienſem, Hovedenum, Rigordum *Servientes*, apud Britonem Aremoricum autem *Satellites* ſæpiſſimè appellantur. Unde lucem capiunt, quod apud Hovedenum Richardus Angliæ Rex pro ſummis copiis trecentos milites duxiſſe, Philippum Galliæ Regem memoret; quodve ſæpius in hiſtoriis legitur, caſtella validiſſima triginta militibus cuſtodita, & ægrè victa: quum *militia* Nobilitatem tantùm notaret, quæ reſiquum copiarum numerum ex ſervis ſuis conficiebat. Sed neceſſitatem militândi, quam Feudorum leges Vaſallis impoſuère, præ cæteris commendat apud Guntherum lib. VIII. Fridericus Barbaroſſa:

Publica MILITIÆ vaſallus munera juſta
Non renuat; dominique libens in caſtra vocatus
Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat iturum
Judicio Domini, vel quam Laudaverit ille
Compenſet, redimatque ſua mercede laborem.

Neque ſolùm militanti adeſſe Regi, ſed illum quoque comitari ad *Roncaliam* ſeu *Roncalios* jubebantur, ſive Romam ad coronam ſuſcipiendam contenderet, ſive *curiam generalem*, ut vocabant ibidem haberet. Diploma Karoli M. datum Wormatiæ An. DCCXC. *Cuicunque autem ſecundùm hanc legem eadem expeditio imperetur, ſi ad* CURIAM GALLORUM, *hoc eſt, in campum, qui vulgò* RUNGALLE *dicitur, dominum ſuum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræſentetur &c. feudô privetur.* Erat autem Roncaliorum campus in Italia, ad fluvium Padum, non longé à Placentia, ubi Imperatores agere ſolennes conventus ſolebant. Sed morem evocandi Vaſallos ad ſervitium, quod in Roncaliis præſtandum erat, plenius deſcribit Otto

Friſin-

Friſingenſis lib. II. de reb. geſt. Friderici I. cap. XII. cujus verba malim verſibus Guntheri Ligurinorum lib. II. exprimere:

Roncaliam properat rapidis attingere caſtris,
Hic quoties claram Regnator tendit ad urbem
Teutonus, Auſoniam ſumpturus rite coronam,
Ponere caſtra ſolet. ligno ſuſpenditur altè
Erecto clypeus. tunc præco regius omnes
Convocat à Dominis feudalia jura tenentes.
Excubiæ Regi primæ celebrare Fideles
Nocte, vetuſtorum debent ex more Parentum.

XXIII. Ab utraque tamen expeditione, ſeu ad *Roncalios*, ſeu alibi adversùs hoſtem inſtituenda eſſet, liberare ſe ipſos Vaſalli poterant, ſi alium ſuo mitterent loco, aut certâ pecuniâ ſervitium redimerent; veluti jam ſuperiùs ex lege *Friderici I.* apud Guntherum accepimus. Ad primum quod attinet, neceſſum erat, ut vicarius ille ad *arbitrium Domini* eſſet, quemadmodum Poeta ait: ſive ut ipſe Imperator *Fridericus I.* apud Radevicum loquitur, *ut Domino acceptabilis foret*; cæteri enim aut viribus aut ætate invalidi, aut armis equisque militaribus parùm inſtructi, ad Dominos ſegnioris delectùs reos redire jubebantur. Lego tamen, faſtiditos rejectosque ſæpe ante & poſt *Friderici* tempora, præſtantiſſimos etiam vicarios, ipſosque *Vaſallos in perſona*, ut ajunt, ad arma accitos: quod maximè elucet ex diplomate Karoli M. Wormatiæ An. DCCXC. promulgato, quod Rittershuſius ſuo Gunthero adjunxit. Et apud Robertum in Supplemento Sigeberti eſt: *Sumſit Henricus rex pecunias de feudo uniuscujuſque loricæ: Capitales Barones ſecum duxit.* Ita quum *Philippus* Elector Palatinus arcem *Geroltzeckianam* obſidione cingere ſtatuiſſet, evocati ſunt Comites Hanovienſes, Solmenſes, Erbacenſes, aliique majores Vaſalli, qui & ipſi præſentes copiis Palatinis interfuêre; quemadmodum Bernh. Hertzogius in Chron. Alſatiæ notavit. Nec hoc in Galliæ regno ex priſcis Francorum moribus novum aut inſolens, ubi, ut Brito Aremoricus lib. II. Philippid canit:

Regis ad edictum coeunt in bella Quirites,
Cumque ſatellitibus Equites, Proceresque, Ducesque.

Quo jure fultus *Philippus* Pulcher Galliæ Rex, non dubitavit imperare Anglorum Regi *Richardo*, ut ſecum in Palæſtinam, gravi & difficili itinere contenderet. Rigordus in An. MCLXXXVIII. *Rex Francorum*

eorum Regem Angliæ quaſi Hominem ſuum commonuit, ut ſicut juraverat, mare cum eo tranſiret.

XXIV. Jam de mercede ſive pecunia, qua ſervitium militare redimebant, id compertum eſt, eam admiſſam, quam ipſe Patronus *laudâſſet*, id eſt, *Judicâſſet*, ut Cujacius illud Guntheri verbum exponit. Sed definit illam apud Radevicum lib. II. cap. VII. *Fridericus I.* Imperator, *& dimidium reditûs feudi unius anni* exigit. Plus poſcebant antiqui Francorum mores, qui diu in Galliæ regno remansêre. Unde lex illa apud Rigordum in Anno MCLXXXVIII. *Miles crucem non habens, Dómino ſuo habenti eam, cujus erit Homô Ligius, dabit de Suo Proprio mobili decimam, & de Feudo quod ab ipſo tenebit.* Atque eam pecuniam, ſive cenſum vocârunt HOSTENDITIAS, non quaſi *Hoſtelitium*, id eſt, *Hoſtis litum*, ut multi voluêre: ſed vox eſt mera Teutonica, Oſtendienſt/ quaſi auß vel uß den Dienſt/ id eſt, *pecunia qua redimitur ſervitium in exercitu*: ut Loccenius vocem ex Frehero explicat. De eo *Conradus* Rex in Feudor. lib. IV. Tit. XLIX. *Hoſtenditia dicuntur adjutorium, quod faciunt Dominis, Romam cum Rege inhoſtem pergentibus Vaſalli, qui cum eis non vadunt. Verbi gratia: in Lombardia dimidiam: In Teutonia tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum ſolummodò ejus anni quo hoſtem faciunt.* Idem erat HERIBANNUM, quod interdum pro tributo & ſubſidio ad alendum exercitum in Legibus Francicis ſumitur. Quibus affine erat ESCUAGIUM ſive SCUTAGIUM, obvium in Gallorum Anglorumque priſcis literis vocabulum, quod Lindenbrogius & Voſſius fuſius interpretantur.

XXV. In regia expeditione inclaruit FODERUM ſive FODRUM *extraordinaria collatio ad felicíſſimam numinis regalis expeditionem*, ut Fredericus I. de Jure Fiſci definit. Ubi & inter *Regalia*, ut vocant, *Fodrum* numerat: quod Proceres Italiæ apud Radevicum quoq; fatentur. Hinc ſeverius in Conſtitutione *Conradi* exigitur: *FODRUM autem de caſtellis, quod noſtri anteceſſores habuerunt, habere volumus.* Exponitur vox ipſâ apud Aimoinum lib. V. cap. III. *Karolus M. inhibuit à plebeis ulterius annonas militares, quas vulgo FODERUM vocant.* Sed diſtinctiùs Sigonius lib. VII. de Regno Italiæ: *Foderum ſumma quædam frumenti fuit, quam advenienti in Italiam Regi, populi ſolvere tenebantur: pro quo ſæpe etiam æſtimata pecunia pendebatur.* Ipſius exordium rei tradit Otho Friſingenſis de geſt. Frid. I. lib. II. cap. XIII. *Mos enim*

ab

ab antiquis, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum eſt, ad noſtra usque deductus tempora, ut quotiescunque Reges Italiam ingredi deſtinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas civitates ſeu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum regalem ſpectant, quæ ab accolis Fodrum dicuntur, exquirant.

XXVI. Præter hæc publica militiæ ſervitia, quibus tam *Capitanei Vaſalli*, quàm eorum *Valvaſores* obſtringebantur, alia præterea onera ac ſubſidia utrisque impoſita fuêre. De quibus Cujacius ad lib. II. Feudd. Tit. VII. *Quædam alia ſunt, quæ etſi non exprimantur, debentur tamen, ut ipſo jure moribus noſtris & Conſtitutionibus Neapolitanis ἀνάκαμψις mortuo Vaſallo, qua redemptio dicitur & reſtauratio feudi, vendito feudo ἐισδεκτικὰ, quæ laudationes vocantur. Debentur & quibusdam locis Domino collationes vel munera quædam certis ex cauſis, putà nuptialium herilis filiæ eloçanda causâ, & λύτρον ob redemptionem Domini ab hoſtibus capti, & equeſtris ſportula ſumta à Domino vel filio ejus majore natu equeſtri dignitate, qui ſummus eſt militiæ gradus.* Ubi quæ ἀνάκαμψις ſive *redemptio* feudi dicitur, in Conſtitutionibus quoque Neapolitanis, & apud Matthæum Pariſium RELEVIUM vocari invenio; quod nomen ex eo, juxta Voſſium de vit. Serm. lib. III. c. XL. quia morte Vaſalli, ut Vaſallus cecidit, unde *Cadaveri* nomen, ita cum eo cecidit feudum, quod propterea denuo oportet *relevari*, id eſt, attolli: unde & *Relevatio* in antiquis chartis dicitur. Haud multùm ab eo diſcrepabat LAUDIMIUM, vel LEUDIMIUM, Cujacio LAUDATIO, honorarium quoque munus, quod *Leudes* ſive *Laudes*, id eſt, Vaſalli, Domino fidem accipienti, in recognitionem Dominii vel obſequii dabant. Ac ſicuti ab adulto Patronus poſcebat *Relevium*, ita eodem mortuo capeſſebat feudalium prædiorum & hæredis pupillaris cuſtodiam, quam GARDIAM, *Guardiam & Wardam* Leges vocant. Unde Feudiſtis *Guardio* pro cuſtode, & *Feudum Guardiæ*, quod cuſtodi prædiorum, vel alius rei, mercedis nomine tribuitur. Addit Spelmannus ex priſcis Anglo-Saxonum legibus, etiam MARITAGIUM hæredis pupillaris à Domino percipi: quod explicant leges Scoticæ à Skenæo editæ lib. II. cap. XLVIII. *Præterea poteſtas hæredum in matrimonio collocandorum eſt penes Regem, cùm ad nubilem ætatem pervenerint: adeo ut dos ad eum jure pertineat: vulgò* Maritagium Regis *dicunt.*

XXVII. Reſtat jam, ut cognoscamus, quibus de cauſis Vaſalli feuda amiſerint. Ac antiquiſſimis quidem temporibus Feuda ad voluntatem Domini adimebantur, etiam non delinquen-

tibus: donec id prohibuit Lotharius Imperator *ſine culpa fieri*, vel ut alii loquuntur, ſine *cauſa egregia ingratitudinis*. Itaque amittendi feudi cauſa una eſt, perfidia ſive ingratitudo Vaſalli, quæ in libris Feudalibus FELONIA dicitur, non tam à Græco φήλωσις ſive φήλωμα, ut Cujacio placet, quàm à verbo Teutonico-Gothico fehl/ feilt fill/ *noxa, defectu, lapſu, peccato*; ut Loccenio oſtenſum eſt. Id nomen ab Anglo-Saxonibus inter graviſſima poſt læſæ Majeſtatis crimina poſitum, quum per illud incendia, raptus, homicidia, latrocinia intelligant: unde *Felonia* reus, quod in Regem, dignitatem ejus, pacemque publicam deliquerit, pretiô feudi, id eſt, totius hæreditatis, fortunarum omnium, ipſiusque vitæ plectitur. Sed mollius *Felonia* crimen inter cæteros populos, & levibus interdum injuriis exortum: quamobrem Vaſallum feudô tantùm deſpoliat, & juxtâ Hoſtienſem definitur, *Culpa ſeu injuria, propter quam Vaſallus amittit feudum*. Quamvis nullum crimen *infidelitate Vaſalli* olim odioſius, quod & parricidio comparat Brito-Aremoricus Philippid. XII.

Vaſallo infido voluit Rex fidus haberi,
Qui ſervare fidem juratam noluit illi.
Quem licitè poterat quovis extinguere letho,
Cui debebatur cultus & ſimia.

XXVIII. Sed ipſa *Felonia* in varias rurſus & multiplices ſpecies ſubdividitur, quæ omnes, ut Hotomannus cenſet, definiri nequeunt. Nos cæteris prætermiſſis, hac de re Leges Friderici Barbaroſſæ tantùm recitabimus, quas, judice Cujacio, Guntherus lib. VIII. explicat rectiùs, quam tota Feudiſtarum fæculenta cohors. Prima amittendi feudi cauſa eſt, venditio vel oppignoratio ſine licentia Domini, factâ à Vaſallo:

Si quis habens feudum, pretio ſeu vendere totum,
Seu pro parte velit, Dominique licentia deſit,
Seu dare, ſeu vadio ſuppoſuere cogitet, illud.
Qui dedit amittit, non qui ſuſcepit habebit:
Nullique vel longi præſcripto temporis obſtet,
Quo minùs ad Dominum redeant translata priorem.

Altera cauſa eſt, ſi inveſtitura per annum & diem haud petatur.

Si cuiſlibet feudi, tectum ſi ſtirpe per annum
Atque diem, tacito prima jam tempore pubis,
Sive dolo, ſeu deſidia, ſeu mente ſuperba,

Spre-

Spreverit à Domino feudalia pascere jura,
Perdat, & hæc Dominus proprios assumat in usus.

Tertia est, si Vasallus vocante Domino detractet munera justæ militiæ: qua de re jam superiùs Poëtæ carmen adduximus. Quarta est, si Filii sui culpam Vasallus apud Dominum non purget;

Si patris Dominum Vasallus filius acri
Læserit offensâ, festinet providus illum
Conciliare patri: quod si contemnet agendum,
Munere privetur: si verò audine monentem
Filius indomitâ neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus illo.

Quinta est, si Vasallus Subvasalli contumaciam & Feloniam adversùs Dominum commissam non purgârit.

Si tuus ex feudo cuiquam Vasallus id ipsum
Contulit, atque tuo Vasallum munere fecit
Ipse sibi, si fortè tuam jam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa Domino mediante secundo
Fecerit ipse satis, reprobato protinus illo
Ad Dominum redeant feudalia jura secundum.

XXIX. Quemadmodum autem ante Justinianum exhæredationis causæ positæ erant in judicio Centum virorum, ita ad removendum abdicandumque Vasallum, quod & *exhæredare* vocant Historici, requiritur Judicium ac disceptatio *Parium*, id est, *Convasallorum*: ut Constitutiones *Conradi, Henrici, Lotharii* jubent. Et Fridericus apud Guntherum lib. VIII.

Si tibi pro feudo, quod Te tribuente fatetur
Acceptum, tu verò negas, Vasallus agendam
Fortè movet litem, non Tu, sed curia judex
Audiat, & certo determinet ordine causam.

Itaque quum de Ducatu Saxoniæ contenderent *Henricus* Dux Lawenburgensis, & *Fridericus*, quem *Sigismundus* Imperator investierat, illo urgente, ut à Concilio Basileensi res definiretur, hoc flagitante, ut Cæsar solus causam inspiceret; rescripsit in hæc verba Imperator ad Concilium Basileense; *Feudalis contentio per Dominum feudi, ac Pares curiæ terminanda est.* Sic quum *Johannem* Angliæ regem Rex

Francorum, cujus Vaſallus erat, ob necem Arturi Comitis Britanniæ, detrahere â poſſeſſione nobiliſſimi in Gallia Feudi ſtatuiſſet, *poſt multas citationes per judicium Parium eum exhæredavit*: ut Tilius ex annalibus priſcis loquitur. Tametſi tanto reo arma magis in Actorem Dominum, quàm jura arriſerint: pari *Henrici* Regis Anglorum exemplô, qui quum bellum inferre *Philippo* Galliæ Regi ſtatuiſſet, homagium renunciavit. Id *quietum clamare* eo ævo vocabant, quod ad verbum eſt Germanorum **quit ſchelten**. Hovedenus DCLIII. *Et tunc Rex Angliæ iterum fecit homagium Regi Franciæ, quia ipſe in principio hujus guerræ* QUIETUM CLAMAVERAT *Regi Franciæ Dominium ſuum, & Rex Franciæ quietum clamaverat ei homagium ſuum.* Qui ludus ſanè Vaſallis non fuerit inutilis, ut Dominis, quos lædere velint, homagium reddant, idemque poſt violentos conatus reſumant. Sed exinde apparet, quàm imprudens ſemper & damnoſum fuerit, parem potentiâ, aut viribus ſuperiorem involvere agris provinciaque, & ad Vaſallorum obſequium invitare quum & armatus juſſa impunè ſpernere, & injurias ſuas ac dignitatem vindicare poſſit. Sane nunquam Pontificis Romani rebus majores illatæ ſunt clades, ac poſtquam validiſſimos Hiſpanorum Reges inter ſplendida Vaſallorum ſuorum nomina numerare cœpit, & in nobiliſſimam Italiæ portionem admiſit. Et fortaſſe putidum fuerit, ac auctoritati regiæ adverſum, ſi cuiquam ſervire, & imperanti, ſeu invitus, ſeu ſpontè parere cogitur, qui poſt Deum immortalem ſubditus eſt nemini, & grande illud majeſtatis nomen jactat. Veriſſimè olim à Martiali judicatum eſt:

Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

DISSERTATIO HISTORICA DECIMA,

DE

RE NUMMARIA

VETERUM GERMANORUM,

Bre-

BREVIARIUM

§. 1. Ratio inſtituti §. 2. Priſcis Germanis nullus pecuniæ uſus. Opes cunctæ in pecoribus. Permutatione rerum commercia agitata. §. 3. An. aurum argentumque Germaniæ negaverint Dii. §. 4. Diu remanſit iſta conſuetudo apud Germanos ſeptentrionales §. 5. 6. Pecunia primùm introducta in Germaniam à Romanis. De Serratis Eigatisque nummis §. 7. Maximus apud Francos uſus Byzantinorum §. 9. De Francorum, Gothorum &c. priſcis nativis nummis, §. 10. 11. Quid fuerit apud Germanos Libra quo pondere, quo pretio. §. 12. 13. De Solidis, eorumque pretio & ratione. §. 14. 15. 16. Quid & quotuplex Denarius. §. 17. 18. De Marca, uſitataque per eam computatione. §. 19 De Florenis, §. 20. De Ducatis §. 21. De Taleris §. 22. De Groſſis & Bernis, §. 23. De Obolis, Schillingis, &c. §. 24. 25. Quæ Veterum Nummorum inſcriptio, queve figuræ. §. 26. 27. 28. 29. 30. Recitantur leges veteres rei monetariæ, & explicantur. §. 31. Epilogus.

SApientiſſimi olim hominum *Ægyptii* tripartitò ſuam Rempublicam diviſêre, Religione, Bello, Artibus iis, quibus communio populorum inter ſe commercia exercere inſtituit. Eos quum *Germani*, Majores noſtri, in condenda exornandaque civitate ſua fuiſſent imitati, nos primùm de Religione eorum ac Bello egimus: quibus explicatis nunc ad eas ſecedere lubet artes, quas ad ſocietatem ineundam, ac commercia miſcenda attulêre. In quibus primum occurrit RES NUMMARIA, clariſſimum ſocietatis vinculum, commodiſſimum miſcendis inter populos ac nationes commerciis inſtrumentum, negotiationis nervus, & ingentium civitatum robur atque anima: cujus eruditâ contemplatione nihil jucundius, nihil utilius exiſtit. Nam ut infinitam illam & propè incredibilem ejus varietatem, auguſtam antiquitatem, neceſſariam in veterum legum, hiſtoriarum, contractuum explicatione notitiam prætermittam; quid pulchrius digniusque eſt, ac omnes penè res ſacras profanasque, militiæque geſtas, nummorum orbibus videre inſculptas, & in tantillo clauſum compendio luſtrare, quicquid ullis hiſtoriis & annalibus commendari, ullo marmorum ac monumentorum apparatu exprimi celebrarique potuit? Itaque nunquam defuêre præclara ingenia, quæ ad indagandam *Rei Nummariæ* veteris notitiam, ſtudia ſua atque induſtriam appulerint: in quorum numero poſt *Fulvii Urſini, Antonii Auguſtini, Georgii Agricolæ, Bu-*

dai, *Goltzii*, *Freheri*, aliorumque veteres labores, noviſſimè magnum nomen adepti ſunt *Ezechiel Spanhemius*, & *Carolus Patinus*, qui ampliſſimum hoc argumentum facundiſſimè diligentiſſimèque tractarunt. Sed horum egregius labos in illuſtrandis *Romanorum* numiſmatibus potiſſimùm deſudavit, ad quod ſtudium multi luculenti & eximii ſcriptores, plurimùm illis adjumenti tribuerunt: nobis autem in barbaris ſeculis inveſtiganda eſt *Germanorum* Res Nummaria, quæ denſis tenebris jacet involuta, & paùm lucis ſubſidiique ex clariſſimis Auctoribus nobis ſuppeditat.

II. Temporibus vetuſtiſſimis, quum nondum primi mortales avaritiâ aut ambitione turbati, in auri argentique veſanum pretium conſenſiſſent, permutatione rerum ac compenſatione, ſingula emebant: quod quum aliarum gentium obtineret moribus, *Lycurgus* etiam, teſte Juſtino lib. III. apud *Lacedæmonios* lege inſtituit. Quæ permutatio, ut juxta Homerum antiquiſſima & ſanctiſſima, ita apud *Germanos* uſitatiſſima; qui diutiſſimè auri argentique uſum, velut omnium ſcelerum materiam, é Republica ſua exclusêre. Unde de iis ſua ætate Tacitus in lib. de Morib. Germ. *Interiores SIMPLICIUS ET ANTIQUIUS PERMUTATIONE utuntur.* Quæ potiſſimùm pecorum armentorumq; æſtimatione inſtituebatur, quum *hæ ſolæ ac gratiſſimæ opes*, ut idem Scriptor teſtatur. Ex quo diutino uſu factum, ut poſtea apud *Germanos* Septentrionales, inprimis *Gothos* & *Saxones*, pecunia receus inventa ejusdem nominis cum *pecore* ſuâ fuerit, ſicut apud *Romanos* ab eodem *pecore* appellationem traxit. Atque illis innoxiis divitiis gaviſi, nec montium viſcera crudeli ſcrutabantur avaritiâ, nec auri argentique ſplendorem admirabantur. Quod Tacito vocem illam extorſit: *Poſſeſſione & uſu auri argenti, haud perinde afficiuntur. Eſt videre apud illos argentea vaſa Legatis & Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quàm qua humo finguntur.* Et quam invidendum illud integritatis ac abſtinentiæ elogium, quod poſtea magnus Auctor adjicit: *Fœnus agitare, & in uſuras extendere, ignotum: ideòque magis ſervatur, quàm ſi vetitum eſſet.*

III. In illa frugalitatis *Germanicæ*, ac ſanctiſſimæ ſimplicitatis enarratione, dubitat Tacitus, *Aurum & Argentum irati an propitii Dii* Germanis negaverint. Ad idem Annal. XI. cap. XX. fatetur, *Curtium Rufum* in Germania, in agro nimirum Mattiaco *recluſiſſe ſpecus*

quæ

quærendis venis argenti. Et fruſtrà dubius hæret, num abiratis an propitiis Diis aurum *Germanis* recuſatum ſit, quum jam câ tempeſtate cognitum *Romanis* foret, *Rhenum*, ampliſſimum amnem, fluere auro opulentum: quod nec è *Græcis* Nonnus in Dionyſiacis lib. XLIII. ignoravit. Verùm rectè ſummus Scriptor poſt dubitationem ſuam ſubjungit: *Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argenti aurivve gigni, quis enim ſcrutatus eſt?* Nimirum, quamvis copioſum aurum argentumque paſſim in montium ſederet viſceribus, ut curioſiore ſeculorum noſtrorum avaritiâ oſtenſum eſt; gens tamen ſimplicioris atque antiquioris permutationis tenaciſſima, non ſollicitavit montium venas, nec auri poſſeſſionem uſumque quæſivit, quòd contenta victu ſimplici ac domi nato famam ſine apparatu ac blandimentis expelleret, ac corpus veſtimentô etiam inemptô, feris detractô tegeret: quæ cuncta inter facillimam promptiſſimamque pecudum negotiationem conſiſtebant. Qua de cauſa quoque factum eſt, ut ſerò inter *Germanos* inquiſitum ſit in venas argenti aurique: quippe ante *Ottonis I.* tempora venæ nusquam apertæ leguntur. Prima earum mentio fit apud Ottonem Friſingenſem, cujus verba ſunt Chron. lib. VI. cap. XXIV. *Hic eſt Otto, qui ---- imperium Romanum virtute ſuâ ad Francos Orientales reduxit, PRIMUSQUE VENAS ARGENTI ET ÆRIS juxta civitatem Goslariam in Saxonia INVENIT.* Et apud Ditmarum lib. II. *Temporibus ſuis.* (Ottonis I.) aureum illuxit ſeculum, *APUD NOS PRIMUM INVENTA VENA ARGENTI.*

IV. Priſcam permutationis compenſationisque conſuetudinem diutiſſimè retinuêre *Germani Septentrionales:* quòd nullus ad eos aditus mercatoribus *Romanis* foret, quodve ipſi nihil earum rerum inferri paterentur, quibus priſtina virtus elangueſcere remittique poſſet. Quare ipſi Reges, etſi jam rarior nummorum uſus poſteris temporibus inductus eſſet, annuos reditus in eduliis colligebant: ſicuti liquet tum è Legibus & Chartis antiquis *Alamannicis*, tum è libris *Anglorum* fiſcalibus: ubi Reges *Anglo-Saxonum* eô modô victitâſſe feruntur, donec *Henricus II.* ex juſta occaſione morem abolevit. Ac quantum eduliorum à ſubditis oppidisque fuerit exactum, docet *Inas* Rex apud Spelmannum, ubi legibus ſuis cap. LXX. conſtituit, ut ex decem *hydis terræ*, hoc eſt, quanta totidem ſufficiat aratris, exhibeantur.

Mellis dolia X. *Panes* CCC.
Cereviſiæ Wallicæ, id eſt, potentioris ambr. XII.

Cere-

Cerevisiæ tenuioris ambræ			XXX.
Boves adulti II. *aut Verveces*			X.
Anseres X.	*Gallinæ* XX.	*Caſei*	X.
Butyri ambræ I.	*Salmones*		V.
Fodri ſeu pabuli lib. XX.	*Anguillæ*		C.

Et hi regii reditus, hæ opes fuêre: ignotâ adhuc ſeculorum poſterorum avaritiâ, quâ ærarium multô ſtipatur aurô, & per omne exactionum genus, per bella, per terræ marisque diſcrimina, ad ſuſtinendum Majeſtatis ſplendorem pecunia quæritur. Sed nec aliæ Nobilium Septentrionalium ea tempeſtate divitiæ, quum cunctæ opes in frugibus & pecore ſitæ eſſent: unde nec ſibi pudori ducebant, paſtores pecudum agere, quod olim de antiquis illuſtribus Græcis ac Latinis Varro affirmavit. Adamus Bremenſis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. CCXXXIX, *In multis Nordmanniæ vel Suecia locis PASTORES PECUDUM SUNT ETIAM NOBILISSIMI HOMINES, ritu Patriarcharum, & labôre manuum viventes.*

V. Sed rejecto veteri more, ad auri argentique uſum primò reſpexere *Germani Cirbenani*, cæteriquæ, qui propter propinquitatem & commercia, *Romanis* aſſuefacti moribus, didicerunt vitiis blandientibus ignoſcere, quibus jam tunc victor ille terrarum populus, gentiumque dea Roma ſuccumbebat. Sic de iis Tacitus de morib. Germ. *Quanquam proximi ob uſum commerciorum, Aurum & Argentum in pretio habent, formasque quasdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt atque eligunt.* Subjungit ſtatim, quam pecuniam potiſſimum elegerint: *Pecuniam probant veterem, & diu notam SERRATOS BIGATOSQVE.* Quid *Bigati* fuerint, compertum eſt ex illo Plinii lib. XXXIII. c. III. *Nota argenti fuere biga atque quadrigæ; & inde BIGATI Quadrigatique dicti.* Sed de *Serratis* ambiguitur: niſi cum Lipſio ſtatuendum eſt, *Serratos* appellatos, quòd eorum ambitus dentatus atque aſper eſſet, in modum *ſerræ*, cujusmodi ſe etiam vidiſſe teſtatur. Admiſsâ autem ſemel in animos cupiditate nummorum, facili mox & promiſcuo pecuniarum delectu, in omne nummorum genus gens fortiſſima exarſit: ut apud quam paullo ante maximus parſimoniæ ac temperantiæ honos erat, jam libidine avaritiæ exagitata, & voluptatibus opulenta, omnia nummis venalia haberet. Unde de *Germanis* Danubium Rhenumque accolentibus triſte illud elogium Herodiani lib. VI. *Sunt enim Germani*

mani pecuniæ admodùm avidi: semperque Romanis pacem venalem habuit.

VI. Invecto nummorum usu, & per gentes *Romano* imperio additas finitimasque comprobato, nullam tamen pecuniam ipsi cudebant *Germani*, sed *Romanâ* utebantur. Itaque ut in gentis commercia suppeteret pecunia, Romani *Procuratorem Monetæ* Treviris constituerunt, cujus meminit Libellus dignitatum, qui sub posterioribus Imperatoribus confectus videtur: veluti & in lapidibus, apud Gruterum, III. *Virorum Monetæ Treverice* mentio extat. Sic literæ illæ, quæ in antiquis monumentis conspiciuntur, PTR. & P. TRE. & T. & TR. & TRS. & TR. P.S. innuunt, *Pecuniam Treveris signatam.* Sed & Lugduni in Galliis Præfectus Monetæ Romanæ collocatus est, cujus præter Notitiam Imperii, sæpius antiquæ Inscriptiones meminerunt, in quibus literæ illæ P. LUGD. *pecuniam Lugdunensem* denotant. Atque hanc Romanorum pecuniam triplicis generis fuisse reperio. Primum erat ex auro flatum, quod SOLIDOS dixêre, quorum clarissima ac frequentissima in Jure Civili mentio occurrit. Alterum erat argenteum, quod DENARIOS, QUINARIOS, LIBELLAS, SEMBELLASQUE appellârunt. Tertium fuit æreum, quod ASSES dicebant, si ex ære Cyprio foret: DUPONDIOS, si ex ære flavo, & pondere crassius esset: SESTERITIOS, si grandius & amplius, notâque S. C. insigne, & pariter ex ære meliore flavoque constaret. Verum de *Rei Nummariæ* apud *Romanos* ratione, usu, præstantia, dicere supersedeo, quum multi præstantes ac eruditi Viri hoc argumentum diligentissimè explicâverint.

VII. Post collapsum *Romanorum* imperium, quamvis *Gothi, Franci, Longobardi* viribus ac imperiô jam invalescerent, comiter tamen *Imperatorum Byzantinorum*, qui suos habebant *Exarchos* apud Ravennam majestas in Occidente observabatur colebaturque. Unde & pecunia apud *Byzantium* cusa, per Occidentis provincias *Italiam, Galliam, Germaniam* frequens usurpabatur: quam BYZANTIOS sive BYZANTINOS Itali Germanique, Franco-Galli *Bezants d' or* dixêre, quorum figuram Freherus de Re Monetaria lib. II. cap. I. exhibet atque exponit. Frequentissima eorum mentio in Annalibus mediorum temporum, Diplomatis & Fundationibus, ut Barthius ac Lindenbrogius exemplis pluribus ostenderunt. Nobis duntaxat observâsse sufficit, quæ in confirmatione *Henrici IV.* apud Trithemium in Chron. Hirsaug. ad An. MLXXV. legun-

guntur: *Super hæc omnia Comes ſæpe dictus Apoſtolicum privilegium adquiſivit, & conſtituit, ut UNUS AUREUS, QUEM BYZANTIUM dicimus, ſingulis annis Romam ad altare S. Petri ab Abbate perſolvatur.* Ex quo liquet, tenaciſſimum nummi *Byzantini* fuiſſe uſum apud *Germanos*; quum introductâ jam propriâ nativâque pecuniâ, clarum adhuc nomen, in tam ſera usque ſecula extenderit; quamvis jam Cæſarum *Conſtantinopolitanorum* auctoritas concidiſſet per *Italiam*, tantaque fortunæ alluvies Pontifici Romano accreviſſet.

VIII. Neque tamen, quum vergente *Romanorum* fortunâ *Byzantini* tanto in pretio uſuque eſſe cœpiſſent, *Germani* pecuniam vernaculam minùs habuére: quippe *Francos*, qui *Gallias* ac *Germaniam* tenebant, tum *Gothos* in *Italiam Hiſpaniamque* incumbentes, nummos cudiſſe ac ſignaſſe, ſatis compertum eſt. De *Francis* memoratu digna ſunt, quæ Procopius lib. III. de bello Gothico ſcribit: *Ad certaminis equeſtris Spectaculum AUREUM NUMMUM NATIVO E GALLIARUM METALLO HI CUDUNT, non Romani Imperatoris, ut cæteri ſolent, IMAGINE, SED SUA IMPRESSA. Perſarum ſiquidem Imperator, etſi aut arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi ſus eſt ſuum ut imponat effigiem, nec barbarorum Princeps alius quiſquam id facere auſit.* Fatetur Freherus, viſos ibs ſe ejus generis aureolos, cum inſcriptione CHARIBERTUS Rex: quamvis rariſſimos agnoſcat. Jam *Gothorum* Reges, qui *Italiam* inſederant, ſignaſſe vultu ſuo pecuniam, ſatis indicant Caſſiodori formulæ lib. VI. cap. VII. & lib. VII. cap. XXXII. ubi inter alia Theodorici Regis verba eſt: *Si vultus cujuslibet ſincero colore depingitur, multo juſtius metallorum puritate principalis gratia cuſtoditur.* At *Wiſigothorum* Regum, qui Hiſpaniam & Aquitaniæ partem occupaverant, varios nummos producit Antonius Auguſtinus in Dialogo VI. VII. & VIII. veluti *Suinthila*, *Receſuinthi*, *Gondemari*, *Witterici*, *Wamba*, aliorumque, qui apud *Hiſpanos* imperium ante *Rodericii* Regis calamitatem tenuêre.

IX. At res Nummaria vehementer per *Germaniam* immutata eſt, ſimulque nativa Regum ſuorum majeſtate crevit atque invaluit; poſtquam *Franci* arbitrium rerum per Europam adepti, non ſolùm *Gothos* ac *Longobardos* armis deleviſſent, ſed & *Græcos* ex *Latio* omnique *Heſperia* ſubmoviſſent. Tametſi cum Bodino dicendum ſit, nihil ex omni *Francorum* Republica minus notum eſſe, ac rei nummariæ rationem, quum ex eorum nummis tam parùm, aut nihil noſtram in ætatem duraverit. Nam qui *Clodovei*, *Dagoberti*, *Pipini*, ar-

argenteolos circumferunt, aut fucum adulterinô nummô faciunt, aut ſi verus & genuinus eſt, priſtinam ejus præſtantiam valoremque explicare nunquam poſſunt. Ac reddit rem magis intricatam, quod nummorum quoque fuerit genus, non tam ad quotidianum pecuniæ uſum, quàm eos in fines effictum cuſumque ab Regibus, ut aut congiarii loco diſtribueretur militi, aut alias propinquis, amicis, miniſtris donaretur: quod *Metalliones* vulgo, *Medaglioni*, *Medaillons* vocant. Quorum pretium, quum pro diverſa variaverit magnitudine, & incertam ab reliqua pecunia æſtimationem fecerit, dum à plurimis cum cæteris uſualibus confunditur nummis, rem totam nummariam reddit obſcuram, & maximis difficultatibus implicat. Nos tamen juvat ex priſcis Legibus, Hiſtoriis, Diplomatibus eruere antiquum illum Theſaurum, & ad *Romanæ* monetæ leges pretiumque ſæpe reſpicere: præſertim quum *Franci*, aliique *Germaniæ* populi, ex longa pecuniæ Romanæ tractatione uſuque, ſuos quoque nummos ad victoris illius populi morem, magna ex parte habuerint.

X. In priſcis *Francorum* legibus, ac Karolinis Diplomatis tres potiſſimùm Nummorum ſpecies comperio, LIBRAS, SOLIDOS, & DENARIOS: cætera enim pecuniarum nomina, quæ ex illo ævo nonnulli afferunt, ad triplex hoc genus referenda ſunt. LIBRA nomen à pondo cepit, quod libram, quam vocant *Trojanam*, pendebat: *Saxones* cæterique *Germani* Pfúndt / Pondt vocavêre. Unde & *Fondô* ſive *Pondus* apud mediæ ætatis ſcriptores dicitur. Regino Chron. lib. II. de Normannis: *Mox avidæ gentis animi ad obtinendam pecuniam exardeſcunt, & duodecim millia PONDERA Argenti puri atque probati exigunt.* Et Schaffnaburgenſis de Reb. Germ. *Abbas Babenbergenſis in ærarium Regis Henrici III. mille PONDO argenti puriſſimi annumeravit.* Frequenter etiam *Libra* non pondus, ſed nummus eſt, qui hoc nomine cenſetur: quod Budæus lib. IV. de Aſſe explicat. Æſtimabatur autem *Libra*, ſi pondere conſtabat, jam *Unciis*, jam *Solidis*, jam *Denariis*. Ac *Uncias* quidem duodecim continebat, cujus elegantem hanc rationem *Theodoricus* Gothorum Rex apud Caſſiodorum reddit: *UNCIAM DUODECIES ſimilitudine menſium computatam, in LIBRÆ plenitudine ad Anni curricula collegerunt.* Æqualis ergo Veterum *Germanorum* libra eſt libræ *Romanæ*, quam XII. unciis conſtitiſſe, Georg. Agricola adversùs Budæum probatiſſimis teſtimoniis argumentisque defendit. Sed num *Uncia* noſtra par *Romanæ* fuerit Unciæ, Agricola

in libro de reſtituend. ponderib. negat, quod non una eademque ſit uncia apud Chriſtiani orbis gentes: at eandem Leonardus Portius, Alciatus, & Budæus ſtatuunt. Si eadem fuit, *Libra* priſca more Romano diſtribuetur in XII. uncias: *Uncia* in VIII. drachmas: *Drachma* in III. Scruptula ſive Scriptula: *Scriptulum* in binos Obulos, ſive VI. Siliquas: *Siliqua* in IV. frumenti grana, quæ momenta Budæus appellat. Expreſſit ea magnam partem tritus Johannis Teutonici verſus, ex Covarruviæ emendatione ſic legendus:

Tres obolus ſiliquas, obolos ſex drachma, ſed octo
Uncia fert drachmas, duodena dat uncia libram,
Siclus habet ſeptem drachmas, obolo minùs unô.

XI. At frequentiſſima *Libra* computatio per *Solidos* & *Denarios*, qui aut ſinguli ad Libram componendam numerabantur, aut ſimul ad trutinam pendebantur: unde crebra *Libra Numerata*, & *Penſa* mentio in legibus vetuſtis occurrit. Itaque ubi Libra, ut pondus auri vel argenti indicitur, erit referenda in tot *denarios* aut *ſolidos*, quot Romana lege, Regia, vel Provinciali ex XII. unciis aurivel argenti percutiuntur. Cæterum apud *Francos* Libram viginti *Solidis* æſtimatam, Annales Francorum Fuldenſes ſub An. D C C C. teſtantur. Sic Karolus M. in *beribanno* ſtatuit, ut a ditioribus exigantur libræ tres, id eſt, LX. Solidi: ab his autem, qui tres tantum libras habent, XXX. Solidi, id eſt, libra una & dimidia, petantur. Leges Longobard. lib. III. Tit. VI. l. I. *De homine habente* VI. *libras in auro & argento --- recipiatur legitimum heribannum.* LX. *ſolidi vel libra tres. Qui verò non habuerit amplius in ſupraſcripto pretio, valente niſi libras tres, ſolidi* XXX. *ab eo exigantur, id eſt, libra una & dimidia.* Etſi autem ad *Francica* hujus *libra* ſimilitudinem poſtea non ſolùm *Galli*, ſed & *Saxones Anglique* per *libras* pecuniam numerare inſtituiſſent, multum tamen hæ à veteri illa diſcreparunt. Ita *libra Anglo Saxonica* continebat Solidos XLVIII. argenteos: *Libra Scotica* XXV. ſolidos: *Libra Barrenſis* XIV. ſolidos: *Libra Burdigalenſis* XII. ſolidos; ut Spelmannus in Archæologo ſuo docet. Et variaſſe eas pro ratione temporum, argumento eſt *libra Turonenſis*, apud *Gallos* à quingentis annis uſitatiſſima, quæ teſte Bodino lib. VI. de Republ. cap. II quadruplo major fuit ſub Philippo Rege, quàm ſub Karolo Nono; planè ut nunc *Pariſienſi* etiam libra levior ſit, dum XV. unciæ *Pariſienſes* efficiunt XVI. *Turonenſes*

XII.

XII. Ex hac libræ æſtimatione apparet, præcipuum nummorum genus apud *Francos* fuiſſe SOLIDOS, notiſſimum quoque *Romanis* priſcis nomen, quo denotârunt nummos aureos, integros & ſolos: nam ſolidum antiqui integrum juxtà Feſtum & Iſidorum dicebant. Ut proinde lepidi ſint *Galli*, qui à *Sole*, cujus imaginem ea de cauſa pridem aureis ſuis impreſſêre nummis, nomen deducunt. Ipſis *Francis* patriâ lingua dictum Rund ſtück Freherus aſſerit: ſed *Septentrionales Germani*, teſte Loccenio, vocarunt Ore / ſive ab ör / veteribus *ſagitta* vel *ſcrupulo*, cujus figuram fortè olim tulit, ſive ab *ora* ort / veluti Rocksort hodie quartam partem uncialis nummi appellamus. Ex auro apud *Romanos* fuiſſe, compertum eſt; habeoque graves Auctores, hunc illum ipſum nummum & pondere & pretio eſſe, qui ex auro ſignatus ſimpliciter *Aureus* apud Romanos dicebatur, cujus paſſim veteres Hiſtorici & Jure Conſulti meminerunt. Quamvis Budæo atque Alciato placeat, *Aureum* veterem à *Solido* Codicis Juſtiniani differre proportione ſeſcuplâ, quod quartam unciæ partem habeat; ut rationibus eorum Covarruvias cap. III. §. I, in collat. vet Numiſm. deducit. Sed *Aurei* dicti ſunt *Solidi*, etiam eo tempore, quo erant quartæ unciæ pars; quod ſatis ex Lampridii verbis in Alexandro Severo pateſcit. Etiam apud *Francos*, aliosque *Germanos* Solidum fuiſſe aureum, id documento eſt, quod quadraginta denarios argenteos contineret. Nec tamen diffiteor, fuiſſe quoque ex argento, quum Leges id apertè doceant. Qualis potiſſimum poſt Karoli M. tempora invaluiſſe, oſtendunt *Saxonum*, *Anglorum*, *Normannorumque* Libræ, quæ argenteis quoque *Solidis* æſtimari ſolent.

XIII. Sed ſicut *Solidus* apud Romanos non ſemper fuit ejusdem ponderis, neque ejusdem bonitatis, quum ante *Conſtantinum* M. XLVIII. Solidi in libram auri cuderentur, ſub *Conſtantino* autem libra *Solidorum* LXXXIV. ſub *Valentiniano* LXXII. eſſet; ita apud *Germanos* & pondere varius, & pretio diverſus, & pro temporum ratione auctus imminutusque ſtetit. Illud in univerſum ex Legibus *Salicis*, *Alamannicis*, *Bajoariis*, *Ripuariis* colligitur, unumquemque quadraginta denarios valuiſſe. Loca non indicabo, quia abundè id factum eruditiſſimi Lindenbrogii induſtriâ. Unum tamen inſignioſem adducam, quem Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis apud Pithœum profert: *In teſtamento à B. Remigio condito Lector attendat, quia*

SOLIDORUM QUANTITAS NUMERO QUADRAGINTA DENARIORUM COMPUTATUR, ſicut tunc Solidi habebantur, & in Francorum lege Salica continetur. Et generaliter in ſolutione uſque ad tempora Karoli perduravit, velut in ejus Capitulis continetur. Ex quibus verbis eluceſcit, novum *Solidorum* genus temporibus *Karoli M.* invectum eſſe. Quod ex ipſa Karoli conſtitutione oſtenditur: *Ut omnia debita, quæ ad partem Regi ſolvi debent, SOLIDIS XII. DENARIORUM ſolvant, excepta freta, quæ in lege Salica conſcripta eſt: illa IISDEM SOLIDIS, quibus cætera compoſitiones ſolvi debent, componatur.* Manifeſtius in Legg. Longobard. lib. II. Tit. XXII. l. I. ubi Imperator Karolus ſancit: *De omnibus debitis ſolvendis, ſicut antiquitus fuit conſuetudo, per XII. DENARIOS SOLIDI SOLVANTUR, per totam legem Salicam: Excepto ſi Leudes, id eſt, Saxo aut Frixo Salicum occiderit, per* XL. *DENARIOS SOLVANTUR.* Apud *Gothos* grandius *Solidorum* pretium habebatur: nam ut Theodoricus Rex Conſtitut. V. de *juſto pondere obſervando* loquitur, Sex *millia Denariorum Solidum eſſe*, (veteres) *voluerunt.* At maximus Budæus lib. v. de Aſſe, *Solidos Turonenſes*, qui à quingentis annis in magno apud Gallos uſu fuêre, ita expendit, ut quilibet *Solidus* valeat duodecim *Denarios Turonenſes*: ſeptem autem *Solidi* duos denarios argenteos conſtituant.

XIV. Cæterum quum *Libra* per *Solidos*, *Solidi* per DENARIOS æſtimarentur, neceſſum eſt, ut horum pretium rationemque paullò exactiùs conſideremus. Neque tamen, quum tot *Denariorum* ſint genera, quot populorum, ſingula enarrare, aut noſtri inſtituti, aut ſcientiæ erit. Etſi fatendum ſit, maximè id conducere ad rei antiquæ notitiam, quum in priſcis Legibus mulctarum ratio propter obſcurum *Denariorum* valorem, valde incerta ſit, & intricata. Nomen inde deducunt Varro de L. L. lib. IV. & Priſcianus de Ponderibus, quod *DENOS ÆRIS valeret*; unde & *Denarium* decuſſi X. inductum notabant. Sed & *Denaratus* ac *Denarata* apud priſcos Auctores occurrit, quo pretium *Denariorum* ſignificatur. In edicto Piſtenſi Karoli Calvi: *Qui panem coctum aut carnem per DENARATUS, aut vinum per Sextaria vendunt.* Et in Teſtamento Bertrarii: *Perſolvant duas denaratas de cera.* At Anglo-Saxonibus *Denarius* eſt *Sterlingus* ſive *Eſterlingus*, *de cujus* nominis ratione multa eruditè, ut ſolet, Spelmannus in Archæologo ſuo diſſerit. Apud *Francos Alamannosque* patria voce eſt **Pfenning**: ut ex privilegio *Henrici V.* Spirenſibus

circa

circa An. MCXI. conceſſo liquet. Frequentius tamen poſterioribus ſeculis vocabulum Heller obtinuit: veluti, quod *Germani* dicebant, Achiſche heller, Trithemius in Chron. Sponh. & Hirſaug. *Denarios Aquenſes* ſemper interpretatur.

XV. Erat autem *Denarius* alius ex ære, alius ex argento: illum à colore *Nigrum*, hunc *Album* vocarunt, Nigrum Græci inferiores δηνάριον ἄσπρον dixere: unde hodierni *Aſperi* Turcorum Græcorumque ſunt, de quibus Leonclavius Pandect. Turc. cap. XVIII. & Busbequius in Epiſtolis agunt. At *Albus* illis erat, δηνάριον λευκὸν, ut ex Chalcondyla patet. Meminit hujus Metellus Quirin. Eclog. III. *--- Argenti dedit Albus*. Utriusque mentionem facit Chronographus quidam in lib. 1. Hiſtor. Britan. citatus Cambdeno: *Tunc temporis currebat in Britannia moneta, valente quolibet ALBO ARGENTEO ſex Denarios Turonenſes: & PARVI DENARII NIGRI currebant tunc in Britannia; in qua quidem monetâ Alba erant inſcripta duæ Hermine circà crucem, & in pilatres hermine*. Erant & *Denarii Aurei*, ſed rari & infrequentes, quorum pretium Didymus Claudius de Analogia Romanorum expreſſit. Sed rectè judicat Budæus, hos *Denarios* non alios fuiſſe ac *Solidos*, quorum pretium pondusque etiam æquabant. Sanè nec poſteriori ævo inſolens aut novum confundere *Solidos* cum Denariis: veluti in Actis Facultatis Philoſophicæ Heidelbergenſis Decanus An. MDCCCXVI. in Programmate mandat *Omnibus & ſingulis honorabilibus Magiſtris atque Baccalaureis, ut in feſto S. Katharinæ, ſummæ Miſſæ in templo Spiritus S. decantandæ adſint, ſub POENA DUORUM SOLIDORUM DENARIORUM irremiſſibiliter perſolvendorum.*

XVI. Jam pretium *Denariorum* diverſum tam inter ipſos *Francos*, quàm cæteros *Germaniæ* populos erat: quippe pro ævi ratione, populorumque dignitate variâſſe, certum eſt. Primis temporibus, ex longo Romanorum nummorum uſu, credibile eſt, *Germanorum Denariorum* pretium ſtetiſſe ad rationem *denarii Romani*, qui juxta Agricolam & Budæum octava unciæ pars erat: planè ut hac ratione nonaginta ſex denarii libram duodecim unciarum conſtituant. Sed & illud ex Livio ac Plinio conſtat, *Denarios Romanos* non ſemper ejusdem ponderis fuiſſe: unde Hiſpanorum doctiſſimus Covarruvias *Denarios* quoque ex ſeptima tantùm unciæ parte producit, quorum quinquaginta ſex efficiunt *Marcam*, quæ octo unciarum eſt. Si Radero

dero credendum, *Denarius* veterum Francorum, octo noſtros *cruciferos* valebat. Sed minoris veniſſe poſtea *Denarios Pariſienſes*, certum eſt, quum eorum triginta unciam unam ponderarent. Etiam *Denarius Turonenſis* minoris valoris eſt, quàm Hiſpanorum nummus æreus, quem *Maravedinum* vulgò appellant. In privilegio Caroli IV. quod Mindenſi Eccleſiæ conceſſit, tale *Denariorum* pretium lego. **Dat er (Biſchoff) in ſyner Statt zu Petershagen einen Zoll / das iſt von iedem Pferde das Kauffmanſchafft trâget und führet / zwene ſwaere Pfenninge / der ſey einen alten Tornes gelten / uffheuen und nehmen möge.** Quæ apud *Anglo Saxones* ejus fuerit æſtimatio, quodvè pondus, clarius enarratur in Statuto Anni L I. Eduardi I. quod Compoſitio Menſarum inſcribitur; *Denarius Angliæ, qui vocatur Sterlingus, rotundus ſine tonſura, ponderabit* XXXII. *grana frumenti in medio ſpicæ*, & XX. *denarii faciunt unciam*, & XII. *uncia faciunt libram*. Pariter moribus *Normannorum*, XX. *Denarii* probatæ monetæ, unciam pendebant, *ſolidumque* quilibet XII. *Denarios* continebat.

XVII. Sed poſt ſubverſas *Karolingorum* opes, quum *Germani* ab Imperio *Francico* in peculiarem ſeceſſiſſent civitatem, & Proceres in plenam libertatem ſe ſuſtuliſſent, *Res Monetaria* multùm immutata eſt, dum quælibet Regna, Regiones, Principatus, Reſpublicæ ſuo arbitrio pecuniam ſignarunt, quæ à loco plerumq; nomen ſortita, pro temporum ratione, populorumque fortuna diverſum pretium invenit. Inprimis in uſu eſſe cœpit MARCARUM nomen, ut ſicut antea per ſolas *libras*, ita tunc interdū per libras, frequentiùs per *Marcas* omnia computarentur. Vox crebra apud Radevicum, Suenonem, Cæſarium Heiſterbacenſem, Petrum de Vineis, Bekam, tum in publicis Legibus Inſtrumentisque, ut jam Voſſio lib. I I. de vit. Serm. cap. XII. & Lindenbrogio ad Codicem ſuum notatum eſt. Sed quum *Marcarum* non eadem ubivis eſſet ratio, *Marca Colonienſis* & pretio cæteris major, & uſu clarior circa undecimum & duodecimum ſeculum paſſim invaluit. Hinc in forma Compoſitionis, inter Henricum Imperatorem & Richardum Angliæ Regem Imperator pro liberatione Regis expreſſis verbis paciſcitur, *centum millia marcarum puri argenti ad pondus Coloniæ*, ut verba apud Goldaſtum Tom: III. Conſt. Alm. pag. 365. ſunt. Apud Saxones quoque magnum *Marcæ Lubecenſi* nomen, cujus frequens memoria in noſtram usque ætatem duravit. Suecis *Marca Stockholmenſis* præſtantiſſima habita eſt: unde & in-

mul-

mulctis ac tributis exigebatur. Johannes Magnus Hist Sueo. Goth lib. xxi. cap. xix de Margareta Regina: *Marcam unam Stockholmenſem à quolibet conjugio ſine omni humanitatis reſpectu exegit.*

XVIII. At *Marca* omnis in partes ſuas divisa erat, ex quibus FERTONES, ſive FARTOS, ut in Innocentii I. decretali eſt, quadrantem Marcæ eſſe, Freherus ex Guntheri Pariſienſis hiſtoria demonſtravit. Nobiliſſima ejus mentio in Aurea Bulla Karoli IV. §. ult. *Dabit Officialibus Imperialis ſive regalis curia ſexaginta ſex Marcas cum uno* FERTONE *Argenti.* Ac paullò poſt: *Decem Marcas pro ſemetipſo reſervans dabit Cancellario Imperialis ſive regalis Curiæ X. Marcas, Magiſtris, notariis, & diſtatoribus tres Marcas, & ſigillator pro cera & pergameno unum FERTONEM.* Ubi Germanicum exemplar habet einen Vierling: pro qua alii Vierding dixêre. Sed de pretio *Fertonis* expedita erit res, ſi *Marcarum* valorem excuſſerimus. Urspergenſis Abbas *Marcam* dicit pro *Libra*, ubi Friderici I. Conſtitutionem de componenda pace enarrat, verbaque illa tangit, quæ ſic Guntherus in Ligurino expreſſit.

Urbs centum libris puri multabitur auri.

At Cujacius in quintum Feudorum ait, majorem eſſe *Marcam*; quippe duas *libras* continere. Ab utroque diſſentit Rhenanus, qui lib. ii. Rer. Germ. duas *Marcas* una in *libra* conſtituit, ubi opes Magontinæ Eccleſiæ deſcribit. Verba ejus ſunt: *Ubi crux ex auro ſolido fuit, nomine Bernà, pondere mille & ducentarum Marcarum, cui verſiculus hujuſmodi inſcripeus viſebatur,*

Auri ſexcentas habet hæc crux aurea libras

Conſtituunt autem Libram duæ Marcæ. Scilicet vix æque variare, ac menſuræ rerum ſolent. Et quid mirum, magnos inter ſe diſcrepare Auctores, quum poſteris ſeculis tot fere genera *Marcarum*, quot populorum fuerint? ſi tamen primæ & antiquioris *Germanicæ Marcæ* rationem exactius conſideramus, in ſententiam politiſſimi JCti, Didaci Covarruviæ, tranſire haud piget, qui in Collat. Vet. Num. beſſem eſſe ſcribit Romanam, quam regiæ leges *Marchum*, aliæ Chriſtiani orbis gentes *Marcham* Germanico nomine appellent. Unde concludit: *Habet hæc Marcha octo uncias Romanæ libræ: quamobrem Romanæ libræ portionem ſortitur ad marcham ſeſquialteram.* Sed certior *Marcæ Angloſaxonicæ* æſtimatio ex Matthæo Pariſienſi eſt, ubi in Hiſtoriæ ſuæ

Anno ciocccxxxv. ita ſcribit: *Tredecim ſolidis, & quatuor Sterlingis pro Marca qualibet computatis.*

XIX. Præter *Solidorum* ac *Denariorum* priſca nomina inferiore ævo alia Monetarum genera invaluêre, quorum præcipua enarrare, operæ pretium erit. Inter prima eſt *FLORENUS*, aureus nummus, primitùs à *Florentinis* cuſus, ac notatus: Græci poſtremis ſeculis, teſte Voſſio, Φλωρίον vocârunt. Eſt ejus mentio apud Albertum Argentinenſem in Chronico: *Annuatim debent præſentare ad Cameram Papæ unum marmotinum, hoc eſt, denarium aureum: qui benè noſcitur à curia, & eſt minoris, quam parvulus FLORENUS de Florentia.* Ad ejus imitationem ſuus Gallis fuit *Florenus*, quem *Franc* dixêre: cujus ſpeciem veterem abolevit Eduardus III. A. 1344. ac majorem VI. *ſolidos*, VIII. *denarios* pollentem conſtituit. A qua origine ſunt quoque Anglorum *Floreni*, *Nobiles* vulgo dicti, quos & *Georgianos* Spelmannus vocatos arbitratur, quòd circa idem tempus, quo Eduardus III. eos ſignabat, ordo *Georgianus* ſive *Periſceliûs* inſtitutus foret. Sed & *Germaniæ* Principes ad exemplum *Florentinorum*, ſimilè nummorum genus formârunt, in cujus una parte flos lilii, in altera Principis nomen viſebatur. Quales illi ſunt, quos Freherus de Re Monetaria lib. II. producit cum hac inſcriptione: LUDOVICUS Rex. CAROLUS Rex. ROPERTUS Dux. LUPOLDUS VIEN. WENCESL. Dux P. item GERL. AREPS. WILEL. AREPUS. BOEMUNDUS AREPS; & horum ſimiles, quorum frequentiſſimus in contractibus uſus, & mentio in antiquis Inſtrumentis, **Florenzer Gülden**, obvia eſt. Hi tamen paullatim degenerârunt in *Florenos* ſive *Aureos Rhenenſes*, quos quatuor Principes Electores ad Rhenum *Moguntinus*, *Trevirenſis*, *Colonienſis*, *Palatinus*, ineundis augendisque commerciis, communi nomine ſignarunt. Pretium veterum *Florenorum*, ut Mynſingerus Cent. IV. Obſerv. cap. I. notat, in quæſtione reluitionis, à Cameræ Imperialis judicio taxatum eſt XXV. *batziis*: quibus paullo ſequiores *Rhenenſes Florenos* aureos Freherus exiſtimat.

XX. *Florenis* nec præſtantiâ, nec uſu inferiores fuêre DUCATI, quos lepidè Polydorus Vergilius lib. II. de invent. Rer. cap. XX. nugatur denominatos à *Ducatu*, quem magiſtratum Longinus primùm in *Italiâ* conſtituit. Primùm à *Venetis* ac *Genuenſibus* ſunt introducti, quos mox Reges *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Poloniæ*, *Daniæ*, *Sueciæ*, *Angliæ*, *Hiſpaniæ* imitati fuêre: placuitque inſtitutum Germanis Cæſaribus

ribus ac Principibus, qui pariter eandem monetam invexere. Quo de genere, ut Freherus testis est, *Karoli IV.* Imp. & Bohemiæ Regis *Ducati* adhuc extant: & deinceps *Maximiliani I.* An CIↃ DXVII, cusi, cum titulo DUCATUS CARENTANUS. Majoris tamen pretii erant CORONATI sive SCUTATI, vetus quoque *Galliæ* nummus aureus & in *Germanorum* commerciis notus: qui ad similitudinem *Byzantinorum* veterum cusus est. Pretium eorum olim grandius: sed *Karolo V.* Rege duobus scrupulis minutus est, & *Karoli VIII.* Regis Imperio tribus scrupulis antiquo levior deteriorque factus, ut Bodinus lib. VI. de Rep. cap. III. queritur. Similiores antiquis RIDÆI Burgundionum, Gallis *Ridder*, nobis *Ridder*, qui eadem bonitate, qua veteres *Coronatos* præstare Bodinus eodem loco affirmat.

XXI. Inter argenteos nummos, etsi ætate multis posteriores, principem meritò locum deferimus TALENSIBUS sive TALERIS, argenteis uncialibus, qui An. CIↃD. XIX. in valle *Joachimica* Jochimsthal / Bohemiæ loco, primum percussi sunt: unde & nomen eorum profluxit, quod jucundè Galli *Jocondales* inde dixêre. Profert Freherus antiquissimum ab ea ætate, qui una parte *Joachimum* Abbatem, & insignia *Slickensia* præfert, cum literis AR. DOMI. SLI. STE ET FRA. COM. D. B. altera Leonem *Bohemicum*, cum inscriptione: LUDOVICUS PRIM. D. GRACIA R. BO. Idem tamen fatetur, antiquiores etiam *Joachimicis*, sed minus frequentes in hoc genere apparere: qualis ille, quem *Maximilianus & Maria Burgundica* An M. CCCC LXXIX. item *Sigismundus*, Archidux Austriæ An. M. CCCC LXXXVI. formari jusserunt. Sed *Slickensium* Comitum exemplum, quum ea nummorum forma haberetur commodissima, primùm *Germaniæ* Principes plerique, deinde *Suecia*, *Daniæ*, *Poloniæ*, *Hungariæ* Reges secuti fuere: eminuerunt que mox *Philippici*, *Hispani Daleri*, quos *Regales* vocant. Ante inductum autem *Dalerorum* nomen, magnus argenteorum nummorum usus per Germaniam fuit, qui *Turonis* in Gallia cusi sunt, *Turonenses* dicti, & in Teloniis Rhenensibus *Tournes*: quos variè ab interpretibus æstimari scribit Covarruvias, sed *in Extravag. prima de censib. inter communes §. porrò*, ita examinari, ut duodecim argentei *Turonenses* efficiant *Florentinum* aureum. Unde facile iis assentior, qui *Solidos* Capitularium *Karoli M.* interpretantur *Argenteos Turonenses*: quum exiguum, aut nullum utrorumque discrimen appareat. Sed & nupero seculo invaluerunt in Germania FLORENI sive AUREI ex argento fa-

ſti, vulgò hodie Gülden / primùm quidem *Aureis Rhenenſibus* pares, ſed hodie multò inferiores.

XXII. Ex minoris monetæ genere inclaruêre Grossi, notiſſimus apud *Saxones*, *Sileſios*, *Boruſſos Bohemos*, nummus uſualis: qui hodie nobis tribus *cruciferis* æſtimatur. Sed qualis olim fuerit, libet ex Bodino de Rep. lib. VI. cap. III. audire: *Septem*, inquit, *denarii Romanorum, perinde ut octo drachmæ Atticæ unciam conſtituunt, nos Groſſum appellamus: qualis fuit Majorum noſtrorum ætate Groſſus Turonenſis argenti optimi Regalis, cui tantùm vigeſimæ quartæ pars ad puriſſimi argenti bonitatem deeſſet.* Itaque in eo fœdere, quod Bernates cum minoribus pagis Helveticis ſanciverê, *Groſſo Turonenſi* ſtipendium peditis diurnum æſtimatum, veluti *Attica drachma* Græcis, *denarius* Romanis diurnum peditis ſtipendium juxta Pollucem ac Tacitum fuit. At Gabriel Byel, Spirenſis, qui ſeculo XV. de monetis ſcripſit XX. *Groſſos* in *Florenо* conſtituit. Apud Bohemos *Groſſus* erat Drachmalis olim, perdebatque *Libra* ſive *Marca* Germanica *Groſſos* hoſce ſexaginta, obolos ſeptingentos & viginti, ut Paulus Stranskius in Rep. Boh. cap. XVII. exponit. Tritum quoque apud veteres Alamannos in *Collectis* & *Contributionibus* nummi genus, quod Bernam appellârunt, cujus memoriam ex antiquis monumentis eruit Freherus cap. III. de Re Monet. ac *Solidum*, vel *Denarium* veterum Germanorum vocat. Nomen eſt à villa *Berna*, cujus communem fuiſſe monetam conſtat: unde & *Urſus* apud Albertum Argentinenſem ſub anno MCCCC XLVIII. & Fabricium in Orig. Sax. lib. IV. dicitur.

XXIII. Præterea inter minores Monetæ ſpecies fuêre Schillingi, Batziones, Oboli, Hallenses, aliique minutiſſimi nummuli, qui poſterioribus ſeculis maximè invaluere. Schillingus juxta Lindenbrogium antiquitùs ſcribebatur *Silibba*: quod & in veruſtiſſimo Gloſſario Silibbum & Silibbono effertur. At *Silibba* erit à *Siliqua*, voce à Romanis in re Monetaria uſurpata, pro unciæ quarta parte; velut ex Jure Civili conſtat. In pacis conventione inter Alſatiæ Proceres apud Rhenanum lib. II. *Siclus* vocatur: *Si quis* Sicli *unius aut denarium furtum fecerit, eorum cum capillis perdat.* Batziones, frequens noſtra ætate per Sueviam & Alemanniam vox, priore demum ſeculo innotuere: introducti primùm à *Bernenſibus*, qui *Urſi* ſigno eos notaverant. Nunc quintadecima pars ſunt floreni noſtri: ſed olim majore in pretio ſtetiſſe conſtat. Albus, nunc Weißpfenning

ſecu-

antiquitùs ab *Alano* Britonum Duce primùm ex albo argento cusus est: unde & appellatio à colore candido adhæsit. Eundem Angliæ Rex, *Henricus V.* Franciæ Regem, *Blancam* pari de causa vocavit: quod nomen *Belgis* adhuc familiare est. Pretium ejus ab Alano æstimatum est VI. *Denariis Turonensibus*: sed Henricus Rex octo *denarios* valere jussit: à quo utroque pretio noster *Albus* immane quantum discessit. OBOLUS apud Romanos minutissimum nummi genus:

Nam nihil obolove minus, majusque talento.

Idem in exiguo pretio Majoribus nostris, quum teste Johanne Teutonico, drachma sex obolos contineret. *HALLENSES* ab Hala Suevorum oppido nomen hausêre, tanto olim in usu, ut omnis fere pecunia inde appellationem traheret. Vulgò enim ante unum ac alterum seculum audias *Libras Hallenses*, Pfund Heller / quibus omnes contractus, rerumque pretia expediuntur.

XXIV. Nihil adhuc de figura & inscriptione *Germanicæ* pecuniæ dixi, quæ sicuti varia, ita ad religionis imperiique momenta adumbranda semper stetit. Ac primùm, quum *Constantinus M.* ad sacra Christiana conversus, *Crucis* signum inscripsisset nummis, *Franci* quoque id institutum secuti sunt, ut religionem suam pariter consecrarent. Ac quum postea *Romani Græcique* Imperatores Servatorem generis humani *Christum*, nunc Principi diadema imponentem, nunc tenentem vitæ librum, pecuniis imprimerent, *Franci* æmulatione pari id imitati sunt, ut se à *Deo coronatos* quoque innuerent. In illis inscriptio erat: *JHESUS CHRISTUS REX REGNANTIUM:* aut *IHS. XPS. EMMANUEL:* aut *IHS. XPS. NIKA.* Pariter in *Francicis* illis *Aureis* ab omni antiquitate video illa solennia verba, circa Crucem florescentem: *CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT.* Descensum postea crescente superstitione, ad Sanctos est, impositique nummis, quos quisque tutelares sibi genios fecisset. Porro quum *Romani* monumenta gloriæ suæ summo studio imprimerent pecuniis, nec illum morem abnuerunt *Germani*: in quorum antiquis nummis victorias, trophæa, prælia cognoscere quoque est. Qua in re, quum multa per symbolicam aut emblematicam figuram describenda essent, diversæ imagines excogitatæ sunt: veluti ostendunt veteres Regum Franciæ ac Germaniæ nummi, quos Strada collegit. Pertinent huc verba illa Dagoberti Regis in fundatione cœnobii Weissenburgensis apud Trithemium: *Ad hæc monetam habentem in se IMA-*

GINES & literas, expreſſamque ſimilitudinem Nemetenſis monetæ, eidem loco concedimus.

XXV. Potiſſimùm autem, & communiter obtinuit, ut & effigie decorati eſſent nummi, & ---- *Inſcripti nomine Regum.* Rationem ejus reddit *Theodoricus* Gothorum Rex in Conſtitutione CXLIII. ad Comitem Sacrarum Largitionum: ut nimirum *imago Principis per commercium populos quoque paſcat.* Sed primis temporibus, ut Procopius auctor eſt, *Perſarum*, aliarumque nationum Reges, non ſuam auro, ſed *Romani* Imperatoris imaginem imponebant: unde veluti rem novam notat in *Francis*, quod non *Romani* Cæſaris, ut cæteri, ſed ſuam effigiem nummis aureis imprimerent. Verùm quam ſibi auctoritatem vendicaverant Romani Imperatores, eam poſtea *Franci* Reges ſibi in ſuo circumpoſuêre imperio, quum non alios in moneta vultus, ac regios tolerarent. Qui mos poſtea *Germanis* quoque Imperatoribus manſit: ac quamvis creſcente deinde Principum potentiâ, jus cudendæ monetæ communicaretur, illud tamen diu Cæſareæ datum venerationi eſt, ut Imperatoris dignitatem & numen obtenderet pecunia, impreſsâ Aquilâ, cum globo Imperii, & additâ Epigraphe: N. IMP. AUG. P. F. DECRETO. Præter imaginem ac nomina Regum admixta plerumque ſunt inſignia, quibus Regnum aut Provincia notabatur. Sic Franci primum *Buſonibus*, poſtea *Liliis*, Bohemi *Leone*, Burgundii *Equo cataphracto* nummos inſignivêre. Apud nos poſt Karolum M. *Aquila* nummis ſemper ſacra fuit; viguitque tempore *Friderici II.* ut Urſpergenſis Paralipomena ferunt, aureum Solidorum genus, quod primò *Auguſtanum*, poſtea *Aquilinum* dixêre: in quorum altero latere vultus Imperatoris, in altero *Aquila* viſebatur.

XXVI. Luſtratis excellentiorum Monetarum generibus, quantum èx barbaris ſeculis hauriri licuit, nunc ad *Leges Nummarias* transgredi lubet: quas ex priſcis monumentis hinc inde diſperſas producam, ut non ſolùm Majorum noſtrorū ſanctitatem, ſed & utiliſſimas, ac Reip. cuivis ſalutares conſtitutiones commendem. Etenim conſideranti mihi, quæ firmiſſima Rerumpublicarum munimenta ſint, inprimis *Rei Nummariæ* ſancta ac conſtans curatio occurrit; quæ tantopere utilis ac neceſſaria eſt, ut ſine ea incerti ſint contractus cuncti, & pacta, quibus vitæ ſocietas continetur: incerti reditus, vectigalia, tributa, quibus Principatus ac Civitas innituntur: incertæ denique ærarii opes, publicæque ac privatæ rationes, quæ in dubio ac ſuſpenſo hæ-

hærent vacillantq;. Quamobrem non defuêre, qui inter graviſſimos morbos, quibus Reſpublica noſtra convellitur laceraturque, depravatam corruptamque rei nummariæ rationem primò fere locò poſuêre, quum in tam vaſto imperio plures paſſim nummuli ceu pullulantes & fruticantes, quotidie increbeſcant, qui deperditis fere, & exoleſcentibus bonæ notæ pecuniis, quotidie deteriores, & ære dilutiores ingraveſcunt. Neque heic, quod multi fecêre, in noſtrorum temporum numerabo felicitate, *Germaniam* noſtram veteri eſſe opulentiorem, pecuniisque affluere: nam & illud uſu cognitum eſt, pretia rerum omnium duplò nunc majora eſſe, quam antiquitùs fuêre, propter auri argentique copiam, quæ ab *India Occidentali* in *Europam* aſportata, viliorem utriusque metalli æſtimationem fecit. Igitur quum olim tanti apud *Burgundiones Alamannosque* eſſet *Solidi* unius pretium, ut vacca pro Solido, bos pinguis pro duobus veniret: quum *Francorum* Cancellario, ut in tabulis publicarum rationum extat, diurni viatici nomine ſeptem Solidi, quibus ſe ipſum, equos, pueros, comites ſuſtentaret, perſoluti ſint: quum Architecto præſtantiſſimo, in arcis magnæ ædificatione, tres Denarii redditi fuerint: nunc prètium cujusque rei longè majus, nunc merces ac ſtipendium cujusque grandius eſt, planè ut rectè æſtimantibus, in tanta opum abundantia, nec ditior quidem aut opulentior *Germania* cenſeri poſſit. Sed jam ipſas Leges recitemus.

XXVII. NEMO AURUM, ARGENTUM, ÆS PUBLICE SIGNATO, NISI CUI AB IMPERATORE AUT REGE CONCESSUM FUERIT. Quemadmodum in vetuſtiſſima XII. Tabularum ſanctione Jus cudendæ monetæ ſolis Triumviris Monetalibus tribuitur, quod poſtea Principes Cæſaresque ſibi vindicârunt, ita apud *Germanos* inter ea ſemper habitum eſt, quæ *Regalia* vocantur, & ſoli Regi, aut cui is indulſerit, competere dicuntur. Teſtatur id ipſe Imperator *Fridericus I.* in Feudorum lib. v. de Jure Fiſci: *Regalia ſunt*, inquit, *Arimannia, via publica, flumina navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgo dicuntur telonea, MONETA &c.* Quod ſic in Ligurino ſuo expreſſit Guntherus lib. VIII.

Vectigal, portus, CUDENDÆ JURA MONETÆ,
Cumque molendinis telonea, flumina, pontes,
Hæc Liguris ſacra tributaque omnia fiſco.

Un-

Unde in Aurea Bulla memoratur, Regi *Bohemiæ*, velut Principi Imperii, nominatim jus monetæ conferri: quod jam antea pariter in Privilegiis *Mindenſi* Eccleſiæ ab *Henrico* Imp. conceſſis, Epiſcopo tribuitur. Sed veteres *Francorum* Reges, jus pecuniæ ſignandæ ſolis ſibi reſervabant, nec cum aliis communicabant: unde & omnes Monetarum officinæ in palatium coactæ ſunt, ut una tantum in imperio, vaſtiſſimo licet & maximo, eſſet. Apud *Gothos* quoque, qui *Italiam* inſederunt, Reges jus monetæ cudendæ ad majeſtatem ſolius regnantis pertinere putabant, illiusque curam *Comiti ſacrarum largitionum*, ut in Caſſiodori formulis eſt, magna ſub religione committebant.

XXVIII. QUI JUS SIGNANDÆ MONETÆ HABENT, JUSTÆ SINCERÆQUE NUMMOS FACIUNTO: PONDUS OBSERVANTO. Et hæc vetuſtiſſima Romanorum ſanctio erat, qua juſtè ſincereque nummos & metallo, & pondere formari exigebant. Primo novo exemplo, ut Plinius lib. xxxiii. cap. iii. & ix. queritur, *Livius Druſus* in Tribunatu plebis octavam æris partem argento, *Antonius* Triumvir Denario ferrum miſcuère: quam metallorum confuſionem poſtea *Tiberius* Imperator, teſte Vopiſco, capitali pœnâ prohibuit. Ipſis *Germanis*, poſtquam primùm nummos cudendos decrevillent, ſinceritas illa maximè placuit. Hinc apud Caſſiodorum lib vi. Epiſt. xxxii. Theodoricus *Gothorum* Rex jubet: *Æri flamma nullâ injuriâ permixtionis albeſcat; Argenti color gratia candoris arrideat: æris rubor in nativa qualitate maneat. Sit mundum quod ad formam Serenitatis noſtræ adducitur.* Apud *Francos* puriſſima fuêre numismata usque ad *Philippi Belli* ætatem; qui quum primus inter Principes, dimidiam æris partem argento miſcuiſſet, probris à Dante Poeta lacceratus eſt. Altera legis pars eſt, ut *Pondus Nummorum obſervetur.* De quo eodem loco Theodoricus Rex: *Pondus quin etiam conſtitutum denariis præcipimus ſervari, qui olim tam penſo, quàm numero pendebantur.* Idem apud Goidaſtum Conſtitut. v. multa præclare diſſerit, de juſto pondere obſervando; cujus *violationem veritatis ipſius crudelem ac fœdam lacerationem* vocat. Quæ *Francorum* religio circa pondus fuerit, docet *Boleslaus* Pius, Bohemiæ Rex apud Coſmam Pragenſem l. ii. ubi inter alia moriturus ad filium Boleſlaum graviſſimè ait: *Eſt aliquid, Fili mi, quod Carolus Rex ſapientiſſimus, & magnæ potentiæſſimus, haud æquiparandus nobis hominibus valdè humilibus, cum filium ſuum Pipinum poſt ſe in ſolio*

ſuo

ſuo ſublimandum diſponeret, cum terribili cum ſacramento conſtrinxit: Ne IN REGNO SUO SUBDOLA ET PRAVA TAXATIO PONDERIS AUT MONETÆ FIERET. Certè nulla clades, nulla peſtilentia, nec mortalitas, nec non hoſtes totam terram rapinis incendiisque devaſtantes, magis populo Dei nocent, quàm frequens mutatio, & pejoratio nummi

XXIX. NULLUS PRIVATUS MONETAM FERIUNDO AC FLANDO FINGAT, AUT SIGNATUM PUBLICE MUTILANDO RADENDOVE CORRUMPAT. *Fingere nummos*, dicti ſunt in Legibus *Romanis*, qui falſa fuſione eos faciebant. Quorum vindex eſt Lex Cornelia, quæ pœnam majeſtatis reo irrogat. Sed *Germani* priſci falſarios mulctabant amputatione manus: quod & Græcis ac Ægyptiis familiare fuiſſe, Diodorus lib. II. ſcribit. In *Ludovici Pii* Capitulis, quæ Aquisgrani conſtituit, Tit XXI. *De falſa moneta jubemus, ut qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, MANUS EI AMPUTETUR. Et qui hoc conſenſit, ſi liber eſt, LX. ſolid. componat. Si ſervus eſt, LX. ictus accipiat.* Quam pœnam poſtea confirmavit Lotharius I. Imperator, in cap. IX. eorum Capitulorum, *quæ pro lege habenda ſunt.* Eandem pœnam *Angli* ex priſcis *Saxonum* moribus infligebant: ſed inſuper ea parte, qua viri erant, reos mulctabant. Henricus Huntodun. lib. VII. *Monetarios omnes totius Angliæ fecit emendulari, & manus dextras abſcindi.* Mitius, ſed ignominiæ plenum ſupplicium inflixit Mediolanenſibus *Otto I.* Imp. ut propter corruptam Regiam monetam nullum nummum, niſi corium forma publicâ percuſſum, ad uſum pecuniæ fignarent. Ipſa Ottonis Conſtitutio ad An. D CCCCLXVI. *Mediolanenſibus, qui falſificarunt imperialem noſtram monetam auream & argenteam, mandamus & injungimus hac imperialis noſtræ ſententia condemnatione, ut nulla moneta NISI DE CORIO FACTA, imposterum uſquam.* Nec in minore fere crimine habitum, numiſma publicè ſignatum de ſcalpendo, radendo, vel in orbem attondendo violare; ut docet Theodothatus Gothorum Rex apud Caſſiodorum lib. I. Epiſt. X. tum ipſa pœna, quam *Karolus V.* ex moribus priſcis in Conſt. Criminal. dictavit.

XXX. Atque hæ Leges diu rem monetariam in ſimplici, opumque ſuperfluarum igharo ævo ſuſtinuêre; donec primùm *creſcente auri enormitate*, ut Symmachus loquitur, priſcam frugalitatem avaritia ſuſtulit, & inde vulgato per Principes Civitatesque jure cudendæ monêtæ, nunc horum nunc illorum imitatione nummi ad quæ-

ſtum ſignati fuêre: quo mox factum eſt, ut res omnis Nummaria fluctuaret, & ſimul labasceret. Quare in Comitiis primùm *Auguſtanis* A. MD. regnante *Maximiliano I.* de lege aç norma Rei Nummariæ vehementer actum eſt, nummique hactenus ſine lege modoque vagantes, inhibiti, donec nova lex promulgaretur. De qua quum diu poſtea in variis comitiis apud Treviros, Coloniam, Noribergam, Spiram, Ratisbonam nequicquam magnis conſiliis diſceptatum eſſet; tandem imperante Karolo Quinto in Comitiis *Auguſtanis* An. MDLI. certa perpetuaque, ſi per mores noſtros liceret, forma monetariæ rei perſcripta, atq; publicata eſt. Ejus leges, quum Freherus V C. de Re Monet. cap, IV. propoſuerit, & copioſè explicaverit, nos ſumma tantùm capita adſcribemus. JUS CUDENDÆ MONETÆ NISI CUI AB IMPERATORE CONCESSUM FUERIT, NEQVE ALITER QVAM SECVNDVM LEGEM NEMO USURPATO. FORMAS NVMMORVM AVRI ARGENTIQVE DVNTAXAT RECEPTAS, EASQUE PROBAS FERIVNTO. HIS LEGIBVS SERVANDIS CONVENTVS SEMESTRES ET EXAMINA ACCVRATE HABENTOR.

XXXI. Sed dum jam ad finem tendo, dum in antiquiſſimum ævum, quo inter innoxias pecudes omne commercium ſtabat, mens mea retro reſpicit; dum inde mecum repeto ſanctiſſima tempora, quibus in parco nummorum uſu, tantus frugalitati ac parſimoniæ honos fuit; dum denique noſtram conſidero ætatem, qua auri argentique copia avaritiam, & abundantes divitiæ libidinem pereundi perdendique omnia invexêre: eam noſtrorum Majorum gloriam, nobis reddi precor, quâ ipſi *Germani* apud Guntherum lib. III. ſe extollunt:

Non turget loculis inferta pecunia noſtris;
Nec multis opibus, ſed laude venimus omnes:
Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi,
Nec ſibi quærit opes, ſed pulchra laudis honores;
Non habet ille ſuum, ſed habentibus imperat, aurum.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA UNDECIMA,

DE

RE VESTIARIA VETERUM GERMANORUM,

BREVIARIUM

§. 1. Simplex Veterum Germanorum cultus corporis. §. 2. Cura circà Capillos prolixos. Probatus rufus ac flavus capillorum color. §. 3. Francorum Reges criniti. §. 4. Tristhemius notatur. §. 5. 6. Cultus Capillorum ac religio apud Saxones & longobardos. §. 7. 8. De Barba Veterum, ejusque nunc pretio, nunc contemtu. §. 9. 10. 11. Materia Vestium antiquissima ex pellibus §. 12. ex libris arborum § 13. Veterum Vestimenta versicoloria fuisse. §. 14. Albus color in Baptissimo & festis diebus usurpatus. §. 15 - 18. De varia Vestimentorum forma, apud Francos, Saxones, Gothos, aliosque §. 19. - 21. De tegumentis capitis, Amphibalo, Cappa, Birreto, Cosia. §. 22. Quid Sagum veterum Germanorum fuerit. §. 23. De Rhenonibus, §. 24. De Casula, Armelausa, §. 25. De Roco, §. 26. De Colobio. §. 27. De Pallio, §. 28. De Scrobulla, & Scarpmanga, §. 29. 30. De Vestibus interioribus §. 31. Ornatus gladii, ejusque gestatio §. 32. 33 De crurum pedumque tegumentis, ubi de veterum Caligis, item Longobardorum Hosis §. 34. - 37. Quantus ornatus Calceorum apud Francos. Qua Calceorum forma. §. 38. 39. Commendatio simplicitatis in veterum vestitu §. 40. corruptio morum evi nostri.

HAud præter rem facturus videor, si *Germanorum* Veterum sicut bella legesque, ita domesticum cultum ac vestitum propiùs inspiciam: quippe in eo intueri lubet, quam modicus initio fuerit, atque ipsi naturæ, gentisque sanctitati atq; abstinentiæ par, donec mox luxu victus est, eoque ventum, ut idem corruptus ac corruptor moribus, ipsique demum Imperio labem at-

tulerit. Poſtquam enim majorum cultum infecimus peregrinitate, & blandiente luxu in eorum, quos oderamus, veſtitum immigravimus; ſimul vitia induimus, fœdatique tot novis veſtium nominibus, inter ſerici, aurique ac argenti mollitiem, priſcum animorum robur ac temperantiam depoſuimus. Quò magis ſimplicem illum, veteremque juvabit perluſtrare amictum, qui cum morum ſanctimonia, frugalitate, atque ingenuitate contendebat: cujus priſca notitia & erudita contemplatio, etſi illa Scriptorum Græcorum Latinorumque copia haud ſe jactare poſſit, non minùs grata homini eſſe *Germano* debet, ac graviſſimi de *Re Romanorum Veſtiaria* labores, quibus majorum gentium Critici, ac literarum politiorum Principes *Manutius*, *Boyſius*, *Ferrarius*, *Rubenius* inſudârunt. Sed priusquam ipſum Veſtitum, deſuetudine abolitum, oculis ſubjiciam, primùm quædam de *Cultu Capillorum* præmittenda duxi; præſertim quum hæc ſola ferè ornamenta antiquiſſimis temporibus, in quibus magnâ corporis parte nudâ incedebant, ſpectata fuerint.

II. Igitur inter prima & maxima ornamenta, quibus *Germani* circa Cæſaris & Taciti tempora corpus decorabant, reperio *CAPILLORUM* curam: quos prolixos alebant, non tam luxûs causâ, quàm ut hoſtibus terrorem incuterent. Nam, ut Clemens pædagog. lib. III. cap. III. morem hunc tangens ait, *terribile quiddam habet, barbarum benè comatum eſſe*. Nec aliter Tacitus in libello de Germanis, ubi de crine eorum loquitur: *Ea cura formæ, ſed innoxiæ: neque enim ut ament, amenturve, in altitudinem quandam & terrorem, adituri bella, comti, hoſtium oculis ornantur*. Hinc *Suevi*, eodem teſte, horrentem capillum retrò ſequebantur, nodoque ſubſtrictum in vertice, in altitudinem obliquabant. Eadem de cauſa, ut Seneca lib. III. de Ira cap. XXVI. ſcribit, crinem rufum, ſive ut Clemens notatò antea locò memorat, flavum probabant: quòd color ille, ceu ſanguini cognatus, bellum minaretur. Quem ſi Natura denegâſſet, arte quadam quærebant: nam & frequenter lavabant comam, & medicamentò rutilabant. Inter medicamenta Diodorus Siculus lixivium calcis, Plinius ſaponem ex ſevo & cinere numerant: Martialis autem *Spumam Cauſticam* lib. Epigr. XIV. vocat:

Cauſtica Teutonicos accendit ſpuma capillos.

Burgundiones etiam Germanica gens, butyrò atque aceto in rutilandis comendisque crinibus utebantur. Sidonius carm. XII.

Quod

Quod Burgundio cantat esculentus
Infundens acidò comam butyrô

III. Prolixum crinium cultum posteris temporibus servârunt *Franci*, quorum Reges & regia stirpe oriundi, criniti semper erant: ut plurimis verbis Agathias, Græcus Scriptor. lib. I. & post eum Ado Viennensis pag. CXLIX. Turonensis lib. II. cap. IX. Frisingensis lib. IV. cap. XXII. testantur. Ac formam gestandi capilli ostendit Turonensis lib. VI. cap. XXIV. ubi de *Gundobaldo*, Clotharii regis filio, sic loquitur: *Diligenti cura nutritus, ut Regum istorum mos est, CRINIVM FLAGELLIS PER TERGA DIMISSIS.* Ubi flagella sunt, quæ *cirros* Germanorum Tertullianus lib. de veland. virginib. appellat. Sed & liquet ex eodem Turonensi lib. III. cap. XVIII. demtos rasosque regiis filiis capillos, ubi Reges aut rejicerent eos, aut Regni incapaces esse vellent. Ampliorem prolixi crinis, imò communem usum inter *Francos* Trithemius ex Hunibaldo statuit, ubi de *Clodio* Rege in compend. Annal. lib. I. in hæc verba scribit: *Qui statim in principio regni sui cunctis per edictum Francis mandavit, LONGAS NUTRIRE COMAS quatenus á Gallis, quos vel expugnaturi essent, vel jam priùs, secum habitare permisêre devictos, Franci primo discernerentur intuitu. Quapropter deinceps & ipse rex Clodius CRINITUS seu CAPILLOSUS est dictus, qui comam & barbam nutrivit prolixam. Gallos autem à se devictos, in signum servituris, comam detondere mandavit.*

IV. Sed falli accuratissimum Historicum, quòd ex Hunibaldo, Scriptore fabuloso, communem promissi crinis usum *Francis* fuisse scribat, manifestum ex præstantium Auctorum fide & testimoniis est. Disertè Agathias lib. I. *Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittitur.* Quem morem usque ad Petri Longobardi, Parisiorum Antistitis tempora durâsse Rhenanus ait, utpote quem is velut indecentem & ineptum tollendum persuaserit. Sic apud Witichindum Annal. I. mirantur *Franci* diffusam *Saxonum* cæsariem: quia nempe ipsi præter Reges regiamque sobolem tonsi essent. Pariter, quum Childebertus Rex filios Godomeris à regni spe deturbare cuperet, fratrem consuluit, *Utrum incisa cæsarie, ut reliqua plebs, habendi essent*, velut Turonensis lib. III. cap. XVIII. notat. Erga tonsa capillos plebs, Reges autem sobolesque regia crine promisso insignes: *idque* ut Agathiæ verba sunt, *velut insigne quoddam eximiaque honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuitur.*

V. At vulgatus magis, communisque *Capillorum* cultus apud *Saxones*, qui comam humeris diffusam fluctuantemque alebant. Hinc de illis Witichindus Annal. Sax. lib. I. *Mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, mirati sunt & novum habitum, arma quoque & DIFFUSAM SCAPULIS CÆSARIEM.* Sed ipsum morem in ornandis tondendisque crinibus describit sic Sidonius Apollinaris in crimine, quod ad Lampridium misit:

Illic Saxona cærulum videmus
Assuetum ante salo, solum timere;
Cujus VERTICIS EXTIMAS PER ORAS
Non contenta suos tenere morsus
ALTAT lamina marginem COMARUM.
Et sic crinibus ad cutem recisis
Decrescit caput, abditurque vulgus.

Nimirum tonsi anteriore capitis parte erant *Saxones*: per exteriorem autem verticem dimissi capilli in tergum defluebant. Quin sacrum habebant capillum, quem sæpè nec forfice tangi polirique, nec radi fas putabant, nisi hoste cæso votivum obligatumque virtuti oris capitisque habitum exuere liceret. Turonensis Hist. Franc. lib. v. cap. XV. *Illi quoque, qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt, nullum se eorum BARBAM NEQVE CAPILLOS INCISURUM, nisi prius se de adversariis ulciscerentur.*

VI. Nec minor *Longobardorum* religio circà *Capillos*, quos adoptionis, atque interioris amicitiæ symbolum habebant. Sic Paulus Diaconus de gest. Longob. lib. VI. cap. LIII. tradit, missum à Karolo Principe Francorum filium Pipinum ad Luitprandum Longobardorum Regem, *ut ejus, juxta morem, Capillum susciperet, casariemque incidens ei pater efficeretur*, Iidem illos, qui adversùs patriam conspiraverant, in notam infamiæ tondebant; ut ex legibus eorum lib. I. Tit. XVII. lib II. videre est. Sed & illud in more positum, ut virgines nudo capite, capillis per terga dimissis, incederent. Unde illud in Legibus eorum, *In capillis esse*, rectè explicatur, pro *In Virginitate esse*: quod falsò Feudistæ, nihil aliud esse, quàm *in Domo Patris permanere*, arbitrantur. Prætermitto heic cæteros *Germaniæ* populos, quibus eadem aut major circà capillos cura religioque fuit. Illud adhuc de *Gothis* dicendum ex Jornande est, divisos in *Pileatos* & *capillatos* fuisse

iſſe; quorum illi præerant ſacris, hi rei publicæ munia curabant. Unde lucem capiunt, quæ apud Caſſiodorum lib. IV. form. XLIX. in edicto Regis Theodorici dicuntur: *Univerſis Provincialibus, & CAPILLATIS defenſoribus & Curialibus in Suevia conſiſtentibus, Theodoricus Rex.*

VII. Poſt *Capillum* pauca de BARBIS addenda ſunt, quas antiquiſſimis temporibus ſolitas radi, ex Diodoro Siculo, & Tacito colligitur. Nec diu poſt *Taciti* ætatem aliæ fuêre: nam quòd Paulus Diaconus, & Gottfridus Viterbienſis *Longobardos* à *longis prolixisque barbis* Latina voce nuncupatos putant, jamdudum à doctiſſimis viris exploſum eſt, qui *Longobardos* à longis *bardis*, ſive *bartis*, hoc eſt, bipennibus, quas geſtarent, vocatos rectius ſtatuunt. Sed câ tempeſtate, mento genisque lævigatis, myſtaces vulgò alebantur: quos Sidonius Carm. V *criſtas* appellat. Sic enim de *Francis* canit:

Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis
Pro Barba TENUES perarantur pectine CRISTÆ.

Nec aliam ferè *Gothorum* barbam facit, ubi *Theodoricum* Regem & Agricolam ſic deſcribit: *Pilis intra narium antra fruticantibus cottidiana ſucciſio. Barba concavis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitùs tonſor aſſiduus, genas adusque, forficibus evellit.* Similiter *Saxones*, barba raſa revelabant frontem, relictoque ignavis & imbellibus ſqualore, myſtaces tantùm promittebant. Undé quum poſtea *Otto I.* Imperator prolixam nutriret barbam, id *contra morem antiquum*, abs eo factitatum, Witichindus lib. I. Annal. notat.

VIII. Itaque regnante *Ottone I.* magnum magnis barbis pretium acceſſit, quum ipſe Imperator, narrante Cuſpiniano, tanta in veneratione ſuam haberet barbam, ut juramentum per eam conciperet, diceretque. A quo tamen more, temporibus *Friderici I.* inter principes viros receſſum eſt, quum prolixioris pili ſqualorem faſtidirent. Ita Radevicus lib. II. cap. LXXVII. de Friderico I. *Aures vix ſuperjacentibus crinibus operiuntur, tonſore pro REVERENTIA IMPERII, PILOS capitis, & GENARUM ASSIDVA SVCCISIONE decurtante.* Quin quum plurimi ex ſacro ordine ſubmitterent barbam, ut illâ hiſpidi oris caligine gravitatem ſanctitatemque intenderent, decretô cautum eſt, ne Teutonicis Equitibus barbam alere fas eſſet: ut Polydorus Vergilius, & Chronicon Boruſſiacum memorant. Quam-

vis

vis mox invaleſcente ſuperſtitione, quum plurimi nuncupatis votis contenderent in Palæſtinam, peculiari illis privilegio conceſſum ſit, ut impexa dimiſſaq; barba tam ſanctæ peregrinationis fidem adumbrarent. Qualis *Eſchillus* Epiſcopus apud Kranzium Vandal lib. v. cap. xxxv. inter cæteros eminens, *promiſſa barbâ teſtificatur peregrinationem longinquam de terra ſancta.*

IX Sed nunc ad ipſum Veſtitum transgrediar. De vetuſtiſſimis *Germanis* ſic ſcribit Mela lib. III. cap. III. *Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes; & longiſſima apud eos pueritia eſt.* Igitur ad vigeſimum usque annum, quem finem pueritia ſumſit, nullo veſtimentô corpora tegebantur, aut ornabantur. Sed viri poſtea facti, ſagis velabantur, aut libris arborum, ut idem Mela ſtatim ſubjungit. Ad Cæſar. lib. IV. de bel. Gal. nullum adultis veſtitum, præter pelles attribuit, quarum propter exiguitatem fuiſſe magnam corporis partem nudam affirmat Scilicet in eam ſe conſuetudinem adduxerant homines fortiſſimi, ut locis frigidiſſimis, ſævaque hyeme, exiguis pellibus induti, & magna corporis parte nuda incederent, & in fluminibus ſe lavarent: ut idem ſummus Auctor lib. VI. tradit. Quod Senecæ lib. I. de ira cap. XI. vocem illam meritò expreſſit: *Germanis quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt.* Sed ut accuratiùs & veterem, & medii ævi veſtitum perpendamus, juvat primùm ex priſcis Scriptoribus deducere, quâ materia veſtimentum fuerit, quem colorem, quam formam habuerit, denique quibus generibus nominibusque diſtinctum fuerit.

X. In materia Veſtium primùm occurrunt *PELLES*, vulgatiſſimum, & ſimul antiquiſſimum omnium tegumentum, utpotè quod Deus ipſe primis mortalibus adaptavit. Hæ tempore *Cæſaris* tanto in uſu apud *Germanos*, ut neque veſtitus, præter pelles quicquam, habuiſſe eos, loco jam notato ſcribat. Et de iis ſua ætate Tacitus in lib. de Morib. Germ. *Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus.* Quem Pellium uſum retinuère poſtea *Gothi*, Germanica gens, quum rerum in *Italia & Hiſpania* potirentur: unde *PELLITI* apud Scriptores mediæ ætatis dicuntur. Sidonius in Panegyrico Majoriani:

Pellitus ravum praconem ſuſcipit hoſtis.

Sed & *Saxoniam* eadem de cauſa *Gunaeam*, id eſt, *Pelliceam* vocat Luitpran-

itprandus in Legatione ſua, ubi ait: *Nec ipſa capit eum, in qua natus eſt, pauper & GUNATA Saxonia.* Gunam enim veſtem pelliceam, media ætate vocabant, cujus uſum in Angliam, quoque *Saxones* intulêre, unde & hodie Angli, teſte Spelmanno, togam a Gowne appellant. Aliter *filtrum, feltrum, philtrum* dixêre, ut in Legib. Bajavar. cap. VI. & alibi, item apud Helmoldum in Chronico Slavorum, aliosque apparet. Regum quoque indumenta fuiſſe pellicea, indicat Severinus Epiſcopus apud Paullum Diaconum lib. XVII. qui Eutropio additus eſt, ubi ad *Odoacrem* Herulorum Regem ait: *Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer, VILISSIMIS INTERIM ANIMANTIUM PELLIBUS INDUTUS, multis citò plura largiturus.*

XI. Sumebantur autem Pelles vetuſtiſſimis temporibus potiſſimum ab urſis, tauris, cervis, lupis, lyncibus, apris, quorum pilos non introrſum, ſed extrorſum converſos fuiſſe, Cluverius Germ. Antiq. lib. I. probat. Etiam pellibus belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit, uſos *Germanos* Tacitus auctor eſt. Poſtea in deliciis Regum, illuſtriumque virorum cœperunt eſſe Pelles *Caſtorum, Lutrarum, Muſtelarum*, quas uno nomine *Mures*, aut *Martures* dicebant. Eginardus in vita Karoli Magni: *Ex pellibus lutrinis vel murinis thoracem confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat.* Saxo Grammaticus Hiſt. Dan. lib. VI. de Heröe Danico:

Caſtorio cui tegmen erat chlamiis obſita limbo.

At Galfridus Monæmuthenſis etiam veſtem pretioſam é pellibus muſtelæ albæ vocat *Herminium*, ubi lib. IX. cap. XIII. ſcribit: *Cujus dapifer herminiô ornatus: mille verô nobiliſſimis Juvenibus comitatus eſt, qui omnes herminio induti fercula cum ipſo miniſtrabant.* Pertinent huc ſeptem Electorum priſci operis picturæ, ubi honorariæ veſtes ex ejuſmodi pellibus, totæ confectæ conſpiciuntur. Ac quanto in pretio luxuque per poſterius ævum Pelles iſtæ habitæ ſint, docet Helmoldus initio ſuæ Hiſtoriæ de *Boruſſis*; cujus verba Kranzius Vandal. l. II. c. XVIII. exſcribit, & ad ſuam quoque ætatem trahit. Sed nos Helmoldi verba recitabimus. *Aurum & argentum*, inquit, *pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor letiferum noſtro orbi ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem, ut ſtercora hæc habent, ad noſtram credo damnationem, qui ad MARTVRINAM VESTEM anhelamus, quaſi ad ſummam beatitudinem.*

XII. Præter Pelles erant veſtimenta ex *libris arborum*, ut ex Melæ verbis ſuperius cognovimus. Quod & *Indis* ac *Maſſagetis* familiare fuiſſe Solinus cap. LXV. & Strabo lib. XV. teſtantur. Sed quidnam ſit *liber arboris*, optimè interpretatur Cluverius Germ. Antiq. lib. I. cap. XVI. ubi non ipſam corticem duriorem externam, ſed tunicam arboris interiorem, ipſi ligno proximè adhærentem, intelligi docet. Notum enim eſt, ex hac membrana ſatis plicabili, & ad texendum apta, ſtoreas quoque confici, quas Belgæ vulgò vocant **Matten**: quales fuiſſe tegumenta veterum Servorum, & Colonorum, idem Geographorum clariſſimus affirmat. Sed & Taciti ætate *lineis amictibus* velabantur fœminæ Germanicæ; quæ nec pulchriorem aliam veſtem noverant, ut Plinius Hiſt. Nat. l. XIX. c. I. affirmat. Qui *lini* uſus poſtea magis invaluit, quum *Longobardi*, Germanica gens, totas ex eo veſtes conficerent. Paulus Diaconus l. IV. c. VII. *Veſtimenta eis erant laxa, ET MAXIME LINEA, qualia Anglo-Saxones habere ſolent.* At vulgarior per medium ævum uſus *Panni*, ex lana contexti, quem leges priſcæ *Drappum* vulgò vocant. Serò quoque vitiis noſtræ gentis factum eſt, ut *Sericea* veſtis ex Italia in Germaniam commigraret: cujus uſum quum primùm leges inter paucos conſtrinxiſſent, mox luxus inter cunctos vulgavit.

XIII. Jam quis potiſſimùm *Color* in veſtimentis probatus olim fuerit, ex antiquo ævo narrat Tacitus, qui Germanorum *Sagas verſicoloria* Hiſtor. lib. II, & V. deprædicat. Et diſtinctius Diodorus Siculus lib. V. *Saga fibulis ſubnectunt VIRGATA, per hyemem denſa, æſtate tenuia, CREBRIS LATERCULIS, FLORUM INSTAR diſtincta.* Ac hi quidem *laterculi*, ſi Cluverio credendum, binis coloribus ſimplicibus, aut candido & nigro, aut candido & puniceo, aut nigro ac fulvo diſtincti erant: à qua origine, & inſignia Principum *Bavariæ*, & cætera, quæ *trabes*, vulgò **Balcken**, hodie in ſtirpis priſcæ Nobilium imaginibus ſpectantur, profluiſſe veriſimile eſt. Sed & proximos provinciis *Romanorum*, quum ob uſum commerciorum aurum atque argentum in pretio haberent, veſtes auro argentoque virgatas variegatasque geſtaſſe, Herodianus lib. IV. de *Antonino Caracalla* agens, teſtatur. Cæterum *verſicolorem veſtem* religiosè poſtea retinuere *Longobardi*, quibus veſtimenta *vario colore* contexta fuiſſe Paullus Diaconus lib. IV. cap. VII. auctor eſt. Similiter *Francis* verſicoloria fuiſſe veſtimenta, Sidonius epiſt. II. lib. IV. prodit, & diu poſt eum Werimbertus in vita Karoli M. affirmat. De *Segiſmero*, regio inter *Gothos* Juvene, idem Sido-

Sidonius lib. IV. Epiſt. XX. *Ipſe medius inceſſit, flammeus croco, rutilus auro, lacteus ſerico.* Ac mox de cæteris *Gothis* eum comitantibus: *Viridantia ſaga limbis marginata puniceis.* Nec poſterior longe ætas morem verſicoloris ejusmodi veſtis exuere potuit, quum illam quoque honorariam, feſtamque, & Nobilitati congruam haberet. Quare, quum An, MCCII. Nobiles nonnulli occidiſſent *Conradum* Epiſcopum Herbipolenſem, pœnitentibus inter alia ſupplicia injunctum eſt, ut Trithemius in Chron. Hirſ. ad notatum annum refert: *VARIUM, griſeum, ermelinum, & PANNOS COLORATOS non portent.*

XIV. Verum inter cunctos *colores* auſpicatiſſimus habitus eſt *Albus*, præſertim poſtquam *Franci* in ſacra Chriſtiana cooptati fuêre. Nam ſanctâ quadam lege inſtitutum, ut Baptizati candidis veſtimentis induerentur. Hinc *niveos* vocat Infantes Paullinus Trevirenſis Epiſcopus Epiſt. XII. ad Severum.

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos
INFANTES NIVEOS, corpore, corde, HARITV.

Sic de adultis Gregorius Turonenſis lib. V. Hiſt. cap. XI tradit, *quingentos Judæos Arverni baptizatos, poſtea in Albis ingreſſos.* Rationem moris illius reddit Rabanus de Cleri cor. inſtitut: lib. I. cap. XXIX. *Poſt Baptiſmum traditur Chriſtianis VESTIS CANDIDA, deſignans innocentiam & puritatem Chriſtianam.* Meminere illius conſuetudinis per poſterius ævum Ivo de Sacramentis dedicationis, Urspergenſis in Chronico, Albertus M. ſuper ſententias lib. IV. diſtinct. VII. planè ut ſeculô decimô quartô in Eccleſia Germanica uſus ejus adhuc viguerit. Præterea rebus lætis, more Romano, *Franci* candidam recentemque veſtem ſumebant: cujus ſua ætate Brito Aremoricus Philip. lib. II. meminit. Ab eadem cauſa eſt, quôd canum & ſapphirinum pallium, teſte Werimberto, *Franci* eligerent, quum hic color proximè ad Album accederet. Sed ſicut candidus color inter felicisſima auſpicia, ita *niger* infauſtus dirusque exiſtimatus eſt. Præterquam enim, quod funebri luctui dicatus eſſet, pœnæ quoque loco illis aſſumendus in veſtibus jubebatur, quos cenſura Eccleſiaſtica notaverat, & ex ſacro cœtu ad pœnitentiam ſceleris agendam dimiſerat: quemadmodum in Capitul. lib. VII. cap. CCXXXI. habetur.

XV. Nunc ad formam Veſtimentorum venio, quæ antiquiſſimis quidem ſeculis ſimpliciſſima, quum detractæ feris pelles, nullâ arte, niſi tantum fibulâ connexæ, ita injicerentur corporibus,

ut rictus involveret caput, cætera pars per humeros tergumque liberè defluëret. Locupletiſſimi tamen circà tempora Taciti, veſte ad concinniorem formam factâ diſtinguebantur: *non ſtrictante*, ut Scriptor ille ait, *ſicut Sarmatheæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente.* Idem de mulierum habitu mox ſubjungit: *Nec alius fœminis, quàm viris habitus, niſi quòd fœmina ſæpius lineis amictibus velantur, eosque purpurâ variant, partemque veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos: ſed & proxima pars pectoris patet.* Sed poſt Taciti ætatem magna circa rem veſtiariam mutatio facta eſt. Primùm enim *Germani Cis Rhenani*, quum Romanorum imperio adſueviſſent, eorundem veſtitum accepêre. Qualis imperante *Conſtantino M.* is fuerit, liquet ex ſtatua *Eumenii* Rhetoris, quæ in illuſtri *Clivorum* oppido, ad portam mediaſtinam depicta cernitur. Pauca verba ex ipſa inſcriptione adjicere lubet, quibus potiſſimum veſtitus ejus deſcribitur: HAC STATUA ICONICA TREPIDANEA, ID EST, VESTITU SUI TEMPORIS, TUNICA TALARI, COMA DECURTAT. VITTA. CONSTRICT. BALTHEO BULLATO, CALCEIS FENESTRAT. --- AD ANTIQUIT. MONUMENT. --- POSTERITAT. POS. Deinde ſicut florentiſſimi populi in ſingulares ſeceſſerant Reſpublicas, ita ſuum quisque habitum, veſtitumque à reliquis diſtinctum induit. Sic *Francicus* habitus à *Saxonico* veteri diſcrepabat: ab utroque rurſus *Longobardicus* & *Gothicus* abibat. Itaque ad formam Veſtium explicandam, lubet horum habitum ſeorſim inſpicere, ut eò accuratiùs poſtea de generibus veſtimentorum diſſeramus.

XVI *Francorum* Veſtitum patrium ſic deſcribit Eginardus in vita Karoli Magni: *Ad corpus camiſiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbô ſerico ambiebatur, & tibialia; tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat, & expellibus lutrinis thorace confecto humeros & pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cujus capulus & baltheus aut aureus, aut argenteus.* Sed & fuſius, & accuratius veſtitum Francicum proponit Werimbertus in vita ejusdem Magni Imperatoris, cujus verba, etſi prolixa, in medium adducam, quum priſcæ ſtatuæ *Ottonum*, *Henricorum* ac *Fridericorum*, quæ in Templi Cathedralis Spirenſis introitu ex mandato *Henrici V.* & *Friderici Barbaroſſæ* depictæ videntur, eundem veſtitum ornatumque ferant. *Erat*, inquit, *antiquorum ornatus, vel paratura Francorum, calciamenta forinſecus aurata, corrigiis tricubitalibus*

libus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata, super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus & extrinsecus ante & retrò longissimæ illæ corrigia tendebantur. Deinde Camisia glizzina, post hæc baltheus spatha colligatus. Qua Spatha primò vaginâ sageâ, secundò corio qualicunque, tertiò linteamine candidissimo, cera lucidissima roborata, ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium auraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium cæsum vel saphyrinum, quadrangulum duplex, sic formatum, ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contingeret.

XVII. Vestitum *Saxonicum* cæteris in Septentrionali Germania fuisse politiorem, indicat Sueno Daniæ Rex apud Saxonem Grammaticum Hist. lib. XIV. ubi habitum Saxonicum, fastidito rudi patriò, & ipse assumsisse, & militibus gerendum injunxisse memoratur. Diversum antiquioribus seculis à Francico fuisse, ostendunt ipsi Franci apud Witichindum Annal. l. I. ubi *conspectis Saxonibus*, ut verbis Scriptoris insistam, *mirati sunt præstantes corpore & animo viros, & NOVUM HABITUM, arma quoque, & diffusam scapulis cæsariem, & supra omnia ingentem animi constantiam: nam VESTITI ERANT SAGIS, & armati longis lanceis, & subnixi stabant parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos.* At postea, quum in jura civitatis Francicæ essent adsciti, paullatim quoque vestitum victoris illius populi induerunt: quem *patrium* in Ottonis I. gestis Witichindus Saxo vocat. Unde & eo habitu adumbratæ *Ottonum* ac *Henricorum* Saxonum statuæ, quæ passim conspiciuntur: qui vestitus, vulgò alt Fränckisch, in superius usque seculum claro nomine usuque duravit.

XVIII. Maximè ad vestitum vetustissimorum *Germanorum* accessit *Gothicus*, de quo sic Sidonius Apollinaris carm. V.

Strictiùs assuta vestes procera coercent
Membra virûm, patet iis arctato tegmine poples.

Hoc est, quod Tacitus de moribus Germanorum ait: *Locupletissimi veste distinguuntur, NON FLUITANTE, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed STRICTÆ ET SINGULOS ARTUS EXPRIMENTE.* Sed & illud à prisco more, quòd brachia atque crura intecti essent. Qua de re Apollinarem audiamus Epist. XX, lib. IV. ubi sic Gothorum cultum describit: *Regulorum sociorumque comitantum forma & in pace terribilis. Quorum pedes primi perone setoso, talos adusque vinciebantur: genua, crura, suraque sine*

tegmine: præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans poplitibus exertis, manicæ sola brachiorum principia velantes. Plane ab iis diversa *Longobardorum* vestimenta, quum non stricta, sed laxa essent. Paulus Diaconus lib. IV. cap. VII. Hist. Longob. *Vestimenta eis erant laxa, & maximè linea, qualia Anglo-Saxones habere solent, ornata instituis latioribus, vario colore contextis.*

XIX. Verùm forma Vestimentorum Veterum patebit melius, si eorum species nominaque singulatim perpendamus. Atque ut à *Capite* incipiam, id satis compertum est, vetustissimos *Germanos* nullô capitis tegumentò usos; nisi quòd intérdum ad horrorem hostibus incutiendam, torvos animalium vultus, rictusque hiantes, qui pellium superiorem partem constituebant, in caput rejicerent. Paritèr postea, quum studiosius, labentibus in mollitiem corporibus, se vestirent panno, lacernamque oblongiorem gestarent, exterioribus ejus partibus simul caput obvolverunt. Quod vestimenti genus Isidorus *Birrum* appellat: sed apud posteriores Germanos scriptores *Amphibali* nomine potissimùm celebratur. Chronicon Laurishamense:

Et sunt immensis induti calceamentis,
AMPHIBALIS longis utentes & spatiosis.

Et Anonymus in vita S. Boniti apud Bolandum: *Die Abbatissa, ut partem amphibali mei, quo caput tegitur, secum retineat.* Sed & seorsim, nulli assuta vesti, confecta sunt tegumenta, quibus caput amiciebatur: veluti in Gothorum Historiis celebrantur *Pilei*, panno rubro facti, quos potissimum gerebant, qui sacra ac religionem curabant: unde hi *Pileati* apud Jornandem & Cassiodorum dicuntur. Et acilè communicatus per Germaniam omnem *Pileorum* usus, quum hoc libertatis signô, gens nulli servire assueta, conspici gauderet.

XX. Invectum *Pileorum* usum commendavit exquisitior curâ, quâ hoc capitis operimentum ornandum insignie ndumque putabant. Nam quum primum villosis suffulcir i pellibus solerent, ut frigoris cœlique injurias arcerent; mox quæsiti ab opulentioribus Scythicæ pelles, quæ interiorem partem non ad necessitatem, sed ornatum vestirent. Sed & exteriores partes ornatæ fimbriis aureis, quas barbarè *aurifrigias* Matthæus Parisiensis in An. CIↃCCXLII. Conradus Episcopus in Chron. Moguntin. tum Chronicon Laurisham. de donis Hen. Abb. XLV. appellant. Sed quum is luxus invaderet quoque Sacer-

cerdotes ac Præſules, huic obviam itum eſt in Concilio Salisburgenſi: in quo hæc ſancita ſunt: *In Pileis ſuffuraturas non habeant, niſi forte: de nigro centato, vel panno, aut nigra pelle, aut guna.* Quamvis poſtea illas leges facile tranſilieritſacer ordo, quum & pileos margaritis ac gemmis ornaret: Ejus rei nobilem Hiſtoriam adducunt Annales Trithemii M. S. ubi de conventu Moguntino, quem Cæſar *Karolus IV.* indixerat, agunt. Verba ſunt: *Aderat Canonicus quidam principalis Eccleſiæ Moguntinæ, Cuno de Falckenſtein, qui Coadjutor fuerat Henrici Archiepiſcopi, & poſtea Trevirorum factus eſt Archiepiſcopus. Is caputium habebat in capite, auro gemmisque nimis pretioſum: quod Imperator capiti ſuo impoſuit, & quod ſuùm erat, de panno ſimplici ſuper caput Cunonis relocavit. Deinde ad Principes converſus dixit. Quid vobis videtur? Nonne, militi in caputio Cunonis videor ſimilior, quàm Canonico?*

XXI. Sicut autèm forma *Pileorum* varia, nunc in orbem rotunda, nunc quadrata, nunc in apicem ſurgens, ita genera & nomina diverſa extitêre. Vulgaria ſunt *Cappa* & *Birretum*, quæ & Monachatus & Magiſterii inſignia poſterioribus ſeculis facta ſunt. Clemangius Epiſt. LXXIV. *Non Cappa, ut in proverbio eſt, Monachum efficit, nec Cappa etiam aut cathedra Birretive impoſitio Magiſterium.* Malè putat Iſidorus, *Cucullum* cum *Cappa* eundem eſſe: nam Cucullus Monachorum tantùm, Cappa militum etiam, aliorumque erat. A Cappa eſt *Capellus, Caparo, Caputium*, tegmina quoque capitis, quorum Matthæus Pariſienſis ſæpe meminit. Inter *Birreti* autem genera erat *Coſia, Cuphia, Coifa*, capitis tegmen lineum, aut ſericum, tenue, ſtrictum: forma ipſius cranii, vel caſſidis, quo Homerus Ulyſſem exploraturum ornat; ut Spelmannus in Archæologo ſuo deſcribit. Inclytus Angliæ Cancellarius Forteſcu in laudib. Legg. Anglican. vocat *Birretum album*, memoratque, *Juſtitiarios graduatos*, quos *Servientes ad Legem* vocant, illo inſigniri, tanto privilegio, ut nec in præſentia Regis deponere id cogantur. Ex vita S. Radegundis apud Fortunatum liquet, *Coſiam* quoque lineum eſſe tegumentum, quo mulieres utuntur: unde noſtrum haube / & Belgicum houe profluxiſſe putant. Sed *Cuculli* genus, ut Breuelius vult, erat *Flocus* ſi ve *Frocus*, quo Monachi caput involvebant: etſi meliore fide Ingulphus Saxo, Aimoinus, & Matthæus Pariſienſis diſtinguant. Notum quoque apud mediæ ætatis ſcriptores vocabulum *Galerii*, quod corruptum ex Latino *Galeri* nomine eſt.

XXII.

XXII. Ad *Thoracem* deſcendimus, quem vetuſtiſſimi *Germani* ſolum fere veſtiendum putarunt. Vulgare ejus tegumen habitum eſt *Sagum*, de quo ſic Tacitus ſua ætate in moribus Germanorum ſcribit: *Tegumen OMNIBUS SAGUM, fibula, aut ſi deſit, ſpinâ conſertum: cætera intecti, totos dies juxta focos agunt.* Quid autem *Sagum* ſit, prolixè explicat Cluverius Germ. Antiq. lib. I. cap. XVI. ubi ex Varronis, Afranii, Heſichii, Iſidori auctoritate probat, fuiſſe ex lana confectum, quadrum ſive quadrilaterum, denſum, & exteriore ſui parte villoſum. Duplex fuiſſe ex Diodoro conſtat, hyemale & æſtivum: quorum illud propriè *ſagum*, hoc *linna* dicebatur. Utrumque humeros tantum & terga tegebat: unde quamvis velati eo fuerint, intectos tamen Tacitus appellat. Nec poſterioribus ſeculis prolixiora, aut ampliora fuiſſe *ſaga*, docet Werinbertus in vita Karoli, ubi *ſagula*, & quòd *virgata* more veteri eſſent, *pictatiola* appellat. Ipſa verba adſcribam: *Quid proſunt illa pictatiola? In tecto illis non poſſumus cooperiri, caballicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad neceſſaria naturæ ſecedens tibiarum gelatione deficio.* Cæterum ſcribente Tacito, Sagum fibula, aut ſi deeſſet, ſpinâ conſerebatur: quemadmodum & ſua ætate *Karolus* M. Princeps antiqui cultus retinentiſſimus, Sagum fibula aurea adſtrinxit; ut Eginardus in vita ejus refert.

XXIII. Inter *Sagi* genera referendi ſunt *Rhenones* Germanorum, de quibus ſic Cæſar lib. VI. de Germanis loquens; *Promiſcue in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Clariſſimè veſtitum illum exponit Iſidorus Orig. lib. XIX. cap. XXIII. *Rhenones ſunt velamina humerorum & pectoris, usque ad umbilicum: atque intortis villis adeo hiſpida, ut imbres reſpuant.* Ipſum vocabulum Varro in IV. de Lingua Latina, affirmat eſſe Gallicum: ſed alii opinantur, eſſe à *Germanis*, Gallorum fratribus, atque ita dici, quia eô tegumento *Rheni* accolæ uterentur. Sed potuit ex communi lingua Celtica idem vocabulum fuiſſe utrique genti: niſi Galli, illud peculiariter accepere à Maſſilienſibus, Græcorum colonis; quippe Græcis ῥῆνες ſunt ἄρνες, hoc eſt *agni*, ut Euſtathius docet. Nempe *Rhenones* pelliceæ erant veſtes, ac primitus è pellibus agninis, poſtea etiam aliorum animantium; quod præter Cluverium Bochartus & Voſſius confirmant.

XXIV. *Sagorum* uſus ſeculo adhuc octavo vigebat, promiſcuus inter Laicos & Clericos: donec hos Imperator ad *Caſulam* induendam adigeret. Synodus ſub Carolomanno An. D CCXLII.

De-

Decrevimus quoque, ut Presbyteri vel Diaconi NON SAGIS LAICORUM MORE sed CASULIS utantur, ritu servorum Dei. Ubi *Casula* est *vestis cucullata*, ut Isidorus lib. XIX. Orig. ait, *dicta per diminutionem à casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Ab eo est Gallorum *Casacke*, & Belgarum Cajacke/ Jacke/ notissimum nostro seculo genus tunicæ, qua viri pariter ac fœminæ utuntur. Nec a Sagi forma multùm abhorruit per posteram ætatem *Armilausa*, sive *armilausus*, cujus inter Francos meminit Paullinus his verbis, Epist. VII. *Sibi ergo ille habeat armilausam suam, & suas caligas.* Vox est composita, cujus priori parti ex eo nomen, quòd armos, hoc est, scapulas tegeret. Sed posterior pars obscurior est; etsi eam se reperisse censeat Isidorus lib. XIX. Orig. cap. XX. ubi sic scribit: *Armelausa vulgò, quòd ante & retrò divisa atque aperta est, in armos tantùm clausa, quasi armiclausa C. litera ablata.*

XXV. In vulgari magis & communi usu erat *Tunica*, quam Eginardus inter sola ferè exteriora Francorum vestimenta numerat. Patriâ voce vulgò *Rocus*, *Rochus Roccus*, *Rochetum* in libris Ceremoniarum & Ludovici Additionibus vocatur: unde nostrum Rock remansit. Sed invenio duo *Tunicarum* genera: quædam enim habuêre manicas, quibus brachia tegebantur usque ad manus: aliæ autem ex parte quidem tegebant lacertos, at non brachia, imò ne lacertos usque ad cubitum, sed partem humeris propiorem: ut ex veterum statuis cognoscitur. Prioris generis tunicas fuisse curtas præcisasque, innuit Eginardus in vita *Karoli Magni*, quem peregrinis aliquando vestibus, inter quas longam tunicam recenset, rogatu Pontificis indutum scribit. Ornatus ejus, teste eodem auctore, is præcipuus fuit, ut limbô sericô ambiretur.

XXVI. Sed nobilius alterum *Tunicarum* genus, quod *Colobium* dixêre. Quo quum primùm Episcopi ac Sacerdotes uterentur, mox in promiscuum usum Monachis, militibus, rusticis venit. Et militibus quidem inter sanctiora vestimenta habitum est, dum virtutis insignia huic appingebant: ut videre est in ipsorum tumulis antiquis, & Heraldorum veste, quam *Cottam armorum* Budæus vocat. Sed promiscuus ille usus effecit, ut Sacerdotes Colobium mutarent in *Dalmaticam*; quæ vestis longa erat, & candida, sine manicis, purpureis clavis distincta; velut Glossa Arabico-Latina apud Spelmannum docet. In distinct. XLIII. c. XIX. *Alba* est, si Glossæ credendum. Alia

tamen ab hac fuit *Dalmatica Talaris*, regia veſtis, cujus his verbis meminit Sigebertus ad An. DCCCCLXXXVI. *Carolus* (Calvus) *Imperator poſt adeptum imperium ultra ſe elatus, conſuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias & inſolitos habitus adfectabat, & TALARI DALMATICA indutus, & deſuper baltheo accinctus pendente usque ad pedes capite verò involuto velamine ſerico, & diademate ſuper impoſito, procedebat.*

XXVII. Ad Tunicam referenda ſunt *Pallia Francorum*, quæ ſic deſcribit Werimbertus in vita Karoli Magni: *Ultimum habitus eorum erat PALLIUM canum, vel ſaphyrinum, quadrangulum, duplex ſic formatum, ut cùm imponeretur humeris, ante & retrò pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contingeret.* Nempe ut veteres, teſte Ferrario de Re Veſtiaria Romanorum lib. I. omne veſtimenti genus pallium dixêre, quàm apertum, tam clauſum, ita Werimbertus pro Tunica vulgatum *Pallii* nomen poſuit. Sed formam illius jam perpendamus. Ait fuiſſe *quadrangulum*. De pallio quadrato multa Vir ſummus in Notis ad Tertulliani pallium dixit, ubi veſtimentum omne apertum quadratum intelligi vult, quòd nempe quatuor angulos habeat. Angulos autem vocat extremam veſtis partem, ubi aperta eſt. Adjungit Werimbertus, *duplex fuiſſe*, ſic formatum, ut ab humeris defluens, pedes tegeret. Quo pertinent verba illa, quæ paullo poſt ſubjungit: *Imperator præcepit, ut nullus niſi GRANDIA LATISSIMAQVE ILLA LONGISSIMA PALLIA conſuetudinario pretio coemeret.* Scilicet latiſſima ſimul ac longiſſima erant, ut domi verſantes circumamicirent, equitantes à pluviis aliisque cœli injuriis defenderent, ſecedentesque ad neceſſaria naturæ, tectis tibiis, a frigore tuerentur: velut ipſe magnus Imperator uſum eorum ibidem deſcribit.

§ XXVIII. Subeunt heic mihi alia veſtium genera, quæ totum pariter corpus contegebant. Qualis erat *Strobulla*, veſtis muliebris talaris, de qua S. Odoricus de Foro Julii Peregrinationis ſuæ cap. I. §. IV. *Iſtæ mulieres ambulant diſcalceatæ, portantes ſtrobullas, usque ad terram.* Similis *Scaramanga*, veſtis genus ad pluviam arcendam, cujus Paullus Diaconus, & Luitprandus Ticinenſis meminerunt. A Germanico ſchirmen vel ſchermen / vocem eſſe deductam, nullus ambigo. Huc quoque pertinet *Caſula*, quæ totum hominem ambiebat: ut ex Iſidoro jam obſervavimus. Præterea *Mantum*, ut vocabant, ab humeris ad pedes dimittebatur. Apud Leonem Marſicanum etiam in Chronico Caſinenſi, & Matthæum Pariſium in vita Richar-

di

di Abbatis occurrit *Deſſale*, quod magnum pallium ipſi interpretantur. Porrò *Maſtruca*, *veſtis Germanica*, ut Iſidorus ait, *ex pelliculis ferarum*, dimiſſa ad pedes usque fluebat. Meminit illius quoque Prudentius:

— Maſtrucis proceres veſtire togatos.

XXIX. Nihil adhuc de veſtibus interioribus, quæ proximè adhæreſcebant corpori, abs me dictum eſt. De iis Eginardus, ubi de veſtitu Francico in vita Karoli M. agit, ſic ſcribit: *Ad corpus CAMISIA LINEA & FEMINALIBUS LINEIS induebatur.* Primùm nominat *CAMISIAM*, quæ Græcis eſt ἐσωτέρια, Horatio *ſubucula*, Tertulliano *interula*; ut eruditiſſimus Voſſius prolixe de vitiis Sermon. lib. 11. explicat. Meminit præterea *Camiſiæ* Theganus de geſtis Ludovici Pii: *Nihil illis diebus induit præter Camiſiam & Femoralia.* Sed & in Lege Salica Tit. LXI. item apud Fortunatum in vita S. Radegundis, Cæſarium Heiſterbacenſem, aliosque innumeros occurrit. *Lineam* fuiſſe Eginardus ait: ſicut & *glizzina*, id eſt linea apud Werimbertum in veſtitu Francorum dicitur. Etſi *lanea* quoque *Camiſia* excommunicatis, & ad pœnitentiam Eccleſiaſticam damnatis geſtanda fuerit: ut in Capitularium libris legitur. Forma ejus nudum reſpiciebat corpus, cujus partes ſtrictè ambiebat: in nobilioribus tamen pueris manicas diffuſas, & fluctuantes, ritu Vaſconico, apud Francos oſtentabat. Auctor illuſtris vitæ Ludovici: *Cui filius Ludovicus occurrit ad Padisbrunnam habitu Vaſconum, cum coævis ſibi pueris, indutus amiculo rotundo, MANICIS CAMISIÆ DIFFUSIS, cruralibus diſtentis, calcaribus caligulis inſertis, miſſile manu ferens.*

XXX. *Camiſia* adjungit Eginardus FEMINALIA, à femine ſive femure dicta, quia id tegebant. Werimbertus *Coxalia* vocat, oſtenditque, fuiſſe *vermiculata, & artificioſiſſima opere variata*; niſi hoc fortaſſe rectiùs ad *Tibialia* quæ conjungit, trahendum eſt. Vetuſtiores Germani *Braccas* vocabant, ut ex illo Diodori Siculi lib. v. liquet: *Utuntur & indumentis, quæ ipſi* braccas *vocant.* Cujus originem vocis Vir doctiſſimus in Geograph. ſacræ part. poſt. lib. 1. cap. XLII. deducit ab Hebraico *berec*, genu, quia braccæ infra genu & ad crura usque deſcendunt. Inde noſtrum **Bruch / Broock / Bruck /** quod vulgus Latinè loquentium, vocabulo minus proprio *Caligas* dixit, quum has pedum tegmen fuiſſe Tacitus ac Suetonius diſertè ſcribant. For-

ma earum diversa. Isidorus *breves* facit. At *laxas & fluitantes* Lucanus in primo attribuit Vangionibus, in quorum solo nunc Wormatia, Oppenheimium, Moguntia sunt:

Et quite LAXIS imitantur, Sarmata, BRACCIS
Vangiones Batavique truces ---

Materia quoque earum varia. Nam *Francorum feminalia* fuisse *linea*, Eginardus & Werimbertus diserte testantur. Sed apud *Germanos CisRhenanos*, ut sua ætate docet Agathias, confectæ quoque ex *corio* braccæ erant. Pariter apud *Gothos* ex pellibus fuisse, innuunt illa Sidonii verba carm. VII. *Nec tangere possunt Altata suram pellea.*

XXXI. Priusquam ad inferiora corporis tegumenta descendamus, spectare juvat, quomodo *Gladium*, sive, ut illi vocabant, *Spatham* habuerint, gestaverintque: præsertim quum in hujus ornatu gens fortissima, cui arma erant sacra, maximam curam posuerit. At *Gladius* insuper libertatis vindex atque præsidium erat, cujus ademptio in gravissima pœna habebatur. Unde & in Lege veteri prohibitum erat: *Ne quis Spatham suam in ipsam capitis redemptionem dare cogeretur.* Sed de forma *Gladii Germanici*, sive *Spatha*, Cluverius ad nauseam usque egit: nobis nunc tantùm obiter ornatum & gestationem ejus observare lubet. Vtrumque Werimbertus in vita Karoli M. distincte sic proponit; *Deinde Camisia glizzina, post hæc baltheus Spatha colligatus. Quæ Spatha primò vaginâ fagea, secundò corio qualicunque, tertio linteamine candidissimo, cerâ lucidissimâ roborata, ita cingebatur, ut per medium CRUCICULIS EMINENTIBUS ad peremptionem gentilium ALLARETUR.* Sed & capulum ac baltheum aut aureum, aut argenteum fuisse, Eginardus tradit, ubi Karolum M. vestitu patrio, hoc est *Francico*, usum scribit. Sic enim ait: *Sago veneto amictus, & GLADIO SEMPER ACCINCTUS, cujus CAPULUS AC BALTHEUS AUT AUREUS AUT ARGENTEUS erat.* Illud verò peregrinum, & Regibus peculiare, quod statim subjungit: *Aliquoties & GEMMATO ENSE utebatur; quod tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel si quando exterarum gentium legati venissent, faciebat.*

XXXII. Hactenus de superioribus vestimentis actum est: nunc ad *Crurum Pedumque* tegumenta transeamus. Vetustissimos *Germanos* circà tempora Taciti, intectos crura ac pedes fuisse, satis ex summo illo auctore patet. Quam consuetudinem, quum jam postea, Romanorum commercio, tegumenta crurum pedumque inducta essent

ſent, majori ex parte retinuerunt *Gothi*, qui crura diutiſſimè haud texerunt. Sic de illis Sidonius Epiſt. xx. lib. iv. *Genua, crura, ſuraque ſine tegmine.* Sed invecta crurum tegumenta poſtea generatim appellarunt *Tibialia*, ut jam ex Eginardo & Werimberto cognovimus. Etiam notiſſimum medio ævo apud Longobardos & Francos Auctores vocabulum *Hoſa*; unde noſtrum hoſe remanſit. Paullus Diaconus lib. iv. de geſt. Longob. cap. xxiii. *Poſtea verò cœperunt HOSIS uti: ſuper quas, equitantes tubragos birreos mittebant.* Notkerus, ſive quisquis Monachus ille San Gallenſis, de geſtis Karoli M. lib. ii. *Cumque ad obſequium Domini cuncti HOSAS SUAS vellent extrahere, ille prohibuit, advocatâque Reginâ oſtendit ocreas diſruptas.* Sed quod illi *Hoſas*, cæteri *Caligas* dixêre. Nam *Caligæ* pro crurum tegumento apud Scriptores medii ævi vulgo ſumuntur, ſecus quàm apud Romanos auctores, qui infimi pedis habent. Sic Brito Aremoricus lib. ii. Philippid.

Brugia, quæ CALIGIS OBNUBIT CRURA potentum.

Idem lib. v. de Walenſibus: *Caligis nec crura teguntur, Nec ſoleis plantæ* --- A caligis autem diverſæ erant *Caligulæ*, quum breviores eſſent. Quod diſcrimen liquet ex Auctore vitæ Fulgentii cap. xviii. ubi *caligas* tegumentum hyemale, *caligulas* æſtivum facit.

XXXIII. Injectos *Hoſis* Paullus Diaconus *Trubragos birreos* fuiſſe ſcribit. Exponit eos Iſidorus lib. xix. Orig. cap. xxii. *Tubrucos vocatos dicunt, quod tibias, braccasque tegant. Tubracos, quod à braccis ad tibias usque perveniant.* Prior nominis pars eſt à *Tuco*, tegumento tibiarum, quod *tubulos* Querolus, notante patre Voſſio, vocat. Ab his diverſæ erant *Bainbergæ*, quarum lex Ripuaria cap. xxxvi. §. xi. ita meminit: *Bainbergas bonas pro* vi. *ſol. tribuat.* Ubi Lindenbrogii Gloſſarium Latino-Theotiſcum: *Ocreæ, arma crurum, Bainbergæ.* Præter hæc tegumenta erant faſciæ crurales, quibus ad morem Romanorum crura vinciebantur. Eginardus de Karolo Magno: *Tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat.*

XXXIV. Porrò imam pedis partem veſtiebat *Calceus*, cujus materia multiplex & varia: quippe non ſolum ex pellibus, ſed & ſparto, junco, ligno, ferro conficiebatur. De Gothis Sidonius locô ſæpius citatô: *Pedes primi PERONE SETOSO, talos adusque vinciebantur.* Vocat *ſetoſum* peronem, quòd pilis ac pelle craſſus eſſet: ſicut eadem de cauſa Virgilius *crudum peronem* dixit. Præſtantiores

hu-

habebantur, ſi ex equina pelle eſſent: quemadmodum tales Senatoribus Gothorum aſſignat Sidonius carm. VII.

Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.

Jam ſpartei calcei ab Hiſpanis inducti, quibus jam ſua ætate Plinius eos attribuit. Ex arborum cortice, juncisque calceos adducit Cluverius: quod tamen de antiquiſſimis Germanis incertâ conjecturâ, de recentioribus meliori fide traditur. Pariter ferreos affert Irenicus: cujus moris veſtigium ſoleis ferreis, aut clavis calceo impactis, noſtrates in plerisque locis retinuere.

XXXV. Multiplicem materiam ſuperavit formæ ſive figuræ varietas, quæ diverſa illa Calceorum nomina, *Perones*, *Sandalia*, *Tzangas*, *Tubulos*, *Campagia* produxit. *Peronem* veteres, teſte maximo Salmaſio in notis ad Tertulliani Pallium, vocârunt calceum, qui ad mediam usque tibiam aſcendebat: quales ſunt, quos hodie *bottinas* vulgo appellant. *Sandalia Francica* ſic deſcribit Alcuinus libro de Divinis Officiis cap. XXXVIII. *Eſt autem genus calceamenti, quo induuntur miniſtri Eccleſiæ, ſubterius quidem ſoleâ munientes pedes à terrâ, ſuperius verò nihil operimenti habens, patet.* Jam *Zangas* & *Tubulos* cum Peronibus conveniſſe Salmaſius teſtatur. At *Campagia* planè alia erant: non enim integra ſolidaque pelle tegebant crura, ſed faſciis multis particulatim implexis cingebant. Plures alias ſpecies B. Balduinus de *Calceo Antiquo*, & Julius Nigronus de *Caliga veterum* afferunt, quarum plurimæ poſterioribus temporibus à Romanis ad Germanos pervenerunt.

XXXVI. Primis autem temporibus, ubi cætera veſtimenta, ita *Calceus* rudis atque impolitus erat. Poſtea Calceorum genus apud *Germanos Cis-Rhenanos* invaluit, quod *Feneſtratos* dixêre, quia variis ſciſſi foraminibus erant. Sed apud *Francos* nobiliores eam inprimis probatam calcei formam invenio, quæ repanda, id eſt, recurva, & ſurſum versùs reflexa erat. Tales dixêre *Vncinatos*, *roſtratos*, *lunatos*, *cornutos*: quorum figuram pleræque veteres ſtatuæ, ac imagines equeſtres exhibent. Cujus priſci moris adeò tenaces fuere pauca ante ſecula adhuc *Galli*, ut ipſe etiam Clerus ambitioſè eum invaderet: qua de re inſignis Gerſonii Cancellarii Pariſienſis querela extat. Quin luxus ille Concilii Senonenſis decreto coërcitus eſt, ubi ſtatuitur: *Ne Clerici LUNATIS SEU CORNUTIS ac nimis feneſtratis calceis utantur.* Ad hoc genus accedebant Cuſpidati Anglo-Saxonum

num calcei, *Galoches* sive *Gallochæ* vulgo dicti, quos Wilhelmus Rufus invexisse memoratur. Quorum cuspides ita demum porrexit ætas recentior, ut hos alii catenis argenteis, alii deauratis, plerisque fibulis é byssо, à tibiis suspendere cogerentur. Unde ab Eduardo IV. circà An. MCCCCLXVI. sancitum Spelmannus refert: *Ut nemo cuspides illos ultrà duos pollices produceret, sub pœna xx. solid.* & ut Chronica referunt, *anathematis*.

XXXVII. Diutius in *Calceorum* descriptione hæreo, quod *Francos* exquisito illorum ornatui cultuique deditos inprimis fuisse reperiam. Nam ut Werimbertus scribit: *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum CALCEAMENTA forinsecùs AVRATA, CORRIGIIS TRICVBITALIBVS insignita.* Ergò Calcei aureò tincti colore, aut ut Balduinus vult, aureis inducti bracteis erant. Sed & *Karolus M.* gemmas calceis addidit, quoties festis diebus regio eminere cultu cupiebat. Porrò *tricubitalibus corrigiis* insignita fuisse calceamenta Werimbertus refert. Nimirum *longissimæ* illæ corrigiæ erant, ut mox idem explicat, ubi docet, quomodo iis vincti ligatique calcei fuerint. Ipsa verba sunt: *In crucis modum ante & retro longissimæ illæ corrigiæ tendebantur.* Verùm ut hîc circà calceos luxus Principum tantùm ac Nobiliorum erat, ita nec ab his usurpatus, nisi solennibus festisque diebus: quum in cæteris priscam frugalitatem hoc quoque corporis tegumentò ostenderent.

XXXIIX. Lustravimus à capite usque ad calcem Majores nostros, quantùm cognosci ex priscis monumentis potuere. In quorum vestitu domesticoque paratu, quum veterem simplicitatem ac parsimoniam præ nostræ ætatis luxu exosculemur, tum magnorum Principum Regumque constantiam merito extollimus, quibus haud alia ingentior fuit cura, quàm ne de patrio vestitu quicquam immutaretur. Sic inter summas Karoli M. laudes ab Ottone Frisingensi refertur, quòd patrii vestitus retinentissimus fuerit. De eodem Eginardus in vita ejus: *Peregrina verò indumenta, quamvis pulcherrima, respuebat, nec unquam eis indui patiebatur.* Pariter de Ottone M. Witichindus Annal. lib. II. *Habitus patrius, ut qui nunquam peregrino sit usus.* Et præclare de Friderico I. Radevicus de gestis ejus lib. II. cap. LXXVI. *Vestitu patrio utitur, nec profuso aut petulanti, sed nec plebejo: cui magis hoc decorum, ut in castris suis potius Martis pompâ radiet, quam Veneris.* A qua constantia ac moderatione

ne quantùm nos receſſimus, qui indecorâ futilique levitate veſtitum, ſingulos fere in dies immutamus, ſanctiſſimoque Parentum ornatu conculcato, & in deſuetudinem miſſo, veſanos peregrinarum nationum habitus aſſumimus, & procaciter æmulamur? Ut jam noſtra in veſtimentis gerendis inconſtantia fabulam orbi fecerit, dum quicquid delirantes populi effingunt, ſomniantque, deſultoriâ ambitione corporibus circumponimus. Quæ tamen adhuc tolerabilia eſſent, niſi acceptis peregrinis veſtibus ſimul vitia exterorum induiſſemus, ut jam non tam peregrino ſerico, ornatusque nitore, quàm vitiis pelluceamus.

XXXIX. Jam quam parcè, quam frugaliter veſtitum ſibi parabant Majores, in quô quærendo nos hodie integra ſæpe patrimonia profundimus? Apud priſcos non ſolum Domini minores, ſed ipſi etiam Reges in ædibus ſuis locum habebant ſecretiorem, quem *Gynecium* dixerunt: in quo mulieres ſeorſim à viris penſa in lanificio et re veſtiaria exequebantur. Cujus laudatiſſimi moris meminere Leges Alamannicæ ac Longobardicæ, ubi de *ancillis penſilibus in curte Regis* agunt. Quin *Karolum M.* virum ipſo orbe, quem regebat, longè majorem non puduit, dimittere filias, regalem proſapiam ad penſa; exemplo Auguſti Cæſaris, qui veſtimentis, quæ filia contexuerat, amiciri ſolebat. Sed de Karolo M. audiamus Eginardum in vita ejus: *Filias verò lanificio aſſuescere, colo que ac fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honeſtatem erudiri juſſit.* Quem morem nec Parentum noſtrorum memoriâ abnuebant Viri Principes, qui filias ad contexenda aulæa, quibus conclavia veſtiuntur, tum cætera rei veſtiariæ opera, dimittere ſolebant. Præter illam domeſtici ſtudii operam, id potiſſimum à Principibus ac Regibus ſpectatum fuit, ut frugalitati ac parſimoniæ veſtitus reſponderet. Hinc de *Rudolpho I.* ferunt Urſpergenſis Paralipomena, illum thorace ſarcito, griſeâque & attritâ toga interdum uſum, ut præberet exemplum, ne ſuos parſimoniæ hujus puderet.

XL. At nos hodie in luxum profuſi, ſæpe integra patrimonia corpori circumfundimus, & rem familiarem ornamentis veſtium prodigè laceramus; neque id pulchrum, aut decorum exiſtimamus, quod facile paratu, aut domi nativum eſt. Hinc Sericum ex *Italia*, tot novæ veſtium formæ, tot ornamenta ex *Galliis*, magna & opum & patriorum morum jactura, accepta ſunt. Ac quum olim

olim Nobiles ab Ingenuis, Ingenuos à Libertis, Libertos à Servis distingueret vestis, nunc promiscuo luxu omnes inter civium ordines certatur: quum quisque se tanto præstantiorem cæteris melioremque existimet, quantò splendidius vestimèntum intraverit. Quem luxum, quum nuperò seculò latiùs serpere inciperet, *Karoli V.* Edictum in Comitiis Augustanis An. MDXLVIII. repressit: etsi per nostram haud licuerit vesaniam, & perdendi omnia, pereundique libidinem, ut sanctissima lex in ætatem nostram duraret.

DISSERTATIO HISTORICA DUODECIMA,

DE

RE FUNEBRI
VETERUM GERMANORUM,

BREVIARIUM.

§. 1. Scopus dissertationis §. 2. Prisci funebres ritus apud Germanos gentiles. Nulla funerum ambitio, aut pompa. Mos cremandi corpora usitatus §. 3. Quibus lignis rogus exstructus §. 4. Omnia, quæ vivis cordi fuerant, in rogum pariter injecta. §. 5. Etiam superstites Uxores in rogum maritorum simul illatæ. §. 6. Collectio cinerum & in tumulis conservatio. Pecunia cineribus adjecta, etiam gladius & clava. §. 7. Qualia monumenta erexerint. §. 8. Modus lugendi. §. 9. De ritibus funebribus Christianorum Germanorum. §. 10. Ægroti soliti oleo ungi. §. 11. Iisdem Eucharistiam tam adultis, quàm infantibus data. §. 12. os clausum & oculi. §. 13. Corpora defunctorum aquis lota, & aromatibus condita §. 14. Quali veste mortui fuerint induti. § 15 quæ fuerint arcæ & feretra §. 16. accensæ cereæ. Mortuis faces præferri solitæ §, 17. De cantilenis funebribus. §. 18. Quis modus lugendi. §. 19. De sepultura & Cœmiteriis §. 20. Regum Principumque exuviæ diversis locis sepultæ §. 21. De monumentis peculiaribus in cœmiteriis, §. 22. Tumuli floribus sparsi. §. 23. Lampades ad sepulchrum suspensæ. §. 24. Epulæ in cœmiteriis agitatæ §. 25 De monumentis, epitaphiis. §, 26. Anniversaria defunctorum memoria. §. 27. Epilogus.

M. Varro, doctiſſimus *Romanorum*, exiſtimat *lethum ἀπὸ τῆς λήτης*, id eſt, *oblivione* nominatum, tanquam mors involvat omnia oblivione, & nocte perpetuâ premat. Nobis quoque, dum ab oblivione vindicamus priſcos *Germanorum* ritus, ſeralis hæc *Libitina* ad extremum ſpectanda eſt: præſertim quum hoc ultimum videatur pietatis officium, quod dilectiſſimis Majorum Manibus præſtare poſſimus. Igitur primùm intueri juvat ritus legesque, quibus *Germani* veteres, gentilibus adhuc tenebris immerſi, exequias ſuas celebrârunt: inde funerum perpendemus morem, quem ſacris additi Chriſtianis, in luctu, exequiis, parentalibus obſervârunt.

II. Priſcum ritum funebrem, qualem habuêre *Gentiles Germani*, breviter ſic collegit Tacitus in lib. de morib. Germ. *Funerum nulla ambitio, id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant ſua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepulchrum cæſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis aſpernantur. Lamenta ac lacrymas cito: dolorem & triſtitiam tardè ponunt. Feminis lugere honeſtum eſt, viris meminiſſe.* Primum nullam funerum ambitionem *Germanis* fuiſſe ſcribit. Nam quum, teſte Cæſare Comment. vi. funera *Gallorum* ſumptuoſa eſſent ac magnifica, *Germani* nullo apparatu, nullâ luctûs pompa mortuos efferebant. An, quòd inanes iſtos ſupervacuosque exiſtimarent funebres apparatus, quibus miſera mortalitas ſordibus ſuis vanitatique parentare geſtit? An quia vitæ jacturam nihili æſtimabant, quòd, ut Diodorus lib. v. cenſet, *Pythagoræ* apud eos obtineret opinio, qua non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios credebatur? Sanè quòd omnem mortis metum neglexerint, & ex priſcis teſtatur Appianus in Celticis, & ex poſterioribus affirmat exemplo *Herulorum* Procopius, ubi lib. II. Gothicorum de iis in hunc modum ſcribit: *Nec ſeneſcentibus, nec morbo adfectis vita amplius frui fas erat. Sed ubi quispiam eorum ſive conſenuiſſet, ſive morbo corriperetur, protinus cogebatur à propinquis efflagitare, uti ſe quamprimum ex humanis tollerent. Tumulo lignorum ſtrue in altitudinem congeſta, deſuperque homine in ſummo faſtigio impoſito, Herulorum quempiam immittebant, qui cultro eum conficeret.*

III. Subjungit Tacitus: *Id ſolùm obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur.* Igitur cremabantur corpora, non terra

terrâ condebantur. Quem cremandi morem, dum univerſis *Celtis* per *Illyricum*, *Germaniam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Britannias* communem fuiſſe, Cluverius affirmat, parum fortaſſe ſententiam Diodoro Siculo probabit, qui morem humandi *Illyricis Britannisque* haud obſcurè tribuit. Neque communis quidem illa cremandi conſuetudo omnibus priſcis *Germanis*, quum & durante Ethnicismo, mortuos terra conditos, exemplum *Libuſſæ* apud *Bohemos* oſtendat, & apud Septentrionales Germanos *Othinus* primùm inſtituiſſe feratur, ut corpora comburerentur: Vulgaribus autem & promiſcuis lignis corpora fuiſſe combuſta, Tacitus tradit, niſi quod corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur. Ubi per certa ligna alii fruſtrà intelligunt quercum aut abietem, utramque *Germanis* ſacram arborem, quum ligna illa rogo adjecta conſtet, quæ aut delectu exquiſita, aut viventibus chara erant. Saxo Grammaticus in funere Regis Haraldi: *Deinde rogum exſtruit, Danis in auratam Regis ſui puppim in flamma formentum conjicere juſſis.* Sed & *Juniperinum lignum* in funeribus Gothorum Principum adhibitum Olaus M. l. xvi. ſcribit.

IV. Sequitur apud Tacitum: *Struem rogi nec veſtibus nec odoribus cumulant: ſua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur.* Nempe ea omnia, quæ vivis cordi fuerant, in ignem pariter inferebantur. Dè *Prutenis* ſive *Boruſſis* Cromerus lib. iii. Rer. Polonicar. *Corpora defunctorum cum PRETIOSISSIMA QUAQUE ET CLARISSIMA VESTIUM, EQUORUM ET ARMORUM ſupellectili cremabant.* Saxo Grammaticus Hiſt. Dan: lib. viii. *Cumque ſuperjectum ignis cadaver abſumeret, moerentes circuire proceres, impenſiusque hortari coepit, UT ARMA, AURUM, ET QUODCUNQVE OPTIMVM ESSET, liberaliter in nutrimentum rogi ſub tanti taliterque apud omnes meriti Regis transmitterent.* Et refert Loccenius ex Annalibus S. Olai, & vetere Chronico Norvvegiæ, inſtitutum ab *Othino* apud Septentrionales Germaniæ gentes, *Sueeos* ac *Gothos*, ut mortuorum cadavera, & cum illis chariora comburerentur: unde iſtud tempus brunaolðt vel brendeolt dictum memorat.

V. Itaque nec à moribus *Germanorum* abhorrebat, uxores cariſſimas inferri ſimul in rogum, aut ſuper conjugum mortuorum corpora interfici: qualis hodieque apud *Indos* & *Americanos* conſuetudo obſervatur. Fallitur tamen Vir Eruditiſſimus in Germaniæ ſuæ Antiquæ libro i. cap. liii. ubi hunc morem apud omnes pariter *Celtas* viguiſſe affirmat. Sane de *Illyricis* & *Hiſpanis* nullum éjus veſtigium

um extat: ſed nec de omnibus *Germaniæ* gentibus id temerè ſtatuendum eſt. De *Herulis*, Germanico populo, extat celebrior ille Procopii locus Gothicorum lib. II. *Herulo autem viro defuncto, neceſſe erat uxorem, quæ virtutis exiſtimationem conſequi, gloriamque apud poſteros relinquere vellet, laqueo apud viri ſepulchrum, non longè poſt vitam finire. Quæ hoc facere recuſaret, hanc ignominiæ nota manebat, & à mariti propinquis infeſtatio.* Id magis de plurimis Germaniæ populis compertum eſt, parentatum defuncti Manibus cæde clientum aut ſervorum: veluti confectis juſtis funebribus dilectos Dominis ſervos *Boruſſi*, *Slavi*, *Vandali* mactabant.

VI. Cæterum ubi rogus deflagrâſſet, cineres collecti, & in urna reconditi, in tumulis reponebantur. De *Herulis* notatò locò Procopius: *Ubi autem flamma ipſa reſedit, collecta oſſa ſub terram condebant.* Apud *Suecos* etiam & *Gothos* in profluentem ſpargebantur, ut Loccenius in Antiq. Sueo-Goth. lib. II. cap. XXV. refert. Sive autem ſoli cineres reponebantur, ſive integra corpora condebantur humo, adjecta eſt plerumque pecunia, quam diis Manibus afferrent. Sic de *Libuſſa* Bohemiæ Principe recenſet Paulus Stranskius in Rep. Boh. c. XVII *aureos quinque nummos à Przemyslo in manus ei datos ignoto Deo munus.* Gothi quoque, teſte Olao M. *gladium & clavam* adjiciebant.

VII. Nunc ad Tacitum redeamus. *Sepulchrum*, inquit, *cespes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur.* Tenaciſſimi ingenuæ hujus modeſtiæ diu fuêre poſteri, qui Regibus etiam ac Principibus non ſplendida mauſolæa ex cavato marmore, aut ſculpto affabrè ligno, ſed tumulum tantùm, nudo ſtratum ceſpite, ſolaque graminis & herbarum pulchritudine decorum erexêre. Quales tumulos Regum ac Magnatum cadaveribus excitatos, propè veterem *Upſaliam* conſpici hodierno adhuc die, Sueci ſcriptores memorant. Interdum etiam tumuli coronâ lapidum, ſilicumque ingentium rudi incultaque arte ſibi invicem incumbentium præcingebantur: qualia monumenta in *Weſtphalia* & *Drentia* Picardus reperit ac deſcripſit. Plerumque autem in locis editioribus, veluti collibus, ſepulchra eligebant. Cujus moris luculentum teſtimonium, invecto jam Chriſtianismo, præbent Leges Weſtro-Gothicæ M. S. apud Loccenium, in quibus verba iſta leguntur: *Natus erat in Wingum, ibique SITUS EST IN COLLE, QUIA ETHNICUS ERAT.* Sylvas quoque ſepulchris conſecratas refert Olaus Magnus,

ubi

ubi lib. XVI. cap. XXXVII. ita ſcribit: *Mos antiquorum erat, cadavera Principum in frondoſis arboribus, præſertim quercinis, tanquam ſacris locis numinibus conſecratis ſuſpendere.*

VIII. Concludit tandem Summus Scriptor: *Lamenta ac lacrymas citô; dolorem & triſtitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt: viris meminiſſe.* Ponebant citò lachrymas in luctu antiquiſſimi *Germani*, ſive quia animas credebant immortales, vitamq; alteram apud Manes, ut Druides apud Cæſarem & Melam docent: ſive quod rem muliebrem eſſe luctum exiſtimarent. Sanè hoc animorum robur in iis laudat Plutarchus, ubi in Conſolatione ad Apolloniam ſcribit: *Ex ipſis verò barbaris, ſi qui luctum exercent, non ANIMOSISSIMI GERMANI, non Galli, aut ſi qui alii generoſo pleni ſunt ſpiritu, id faciunt: ſed Ægyptii, Syri, Lydii, aliique horum ſimiles.* Itaque honeſtum viris erat, meminiſſe tantum defuncti: cujus memoriam animis inſcribebant, & ad præclaræ mentis virtutisque nomen, ſe vitamque ſuamque componebant: quod profectò pulcherrimum monumenti genus eſt. Sed & perpetuis carminibus celebrabant extinctos: velut ſuâ adhuc ætate cani *Arminium* barbaras apud gentes, Tacitus teſtatur. Præſertim rudibus ſaxis inſcribebant Epitaphia, quæ ſicuti ſacra poſteritati erant, ita eorum auctores in magno honore habebantur. Ea de cauſa, quod memoratu dignum eſt, *Hiarmum* ad regale faſtigium ſuſtulerunt *Dani*, quòd *Frothonem* regem epitaphiô ornaſſet: *ita ab eis*, ut Saxo lib. VI. Hiſt. Dan. loquitur, *epitaphium regnô repenſum, imperii pondus paucarum literarum contextui donatum fletit.*

IX. Sed nunc ad *Chriſtianorum Germanorum* venio exequias, quas illi partim ſecundùm profanos aliarum gentium ritus, partim ex *Romanæ* & *Judaicæ Eccleſiæ* ceremoniis inſtituerunt. Breviter totum ordinem apparatumque ſic congeſſit Hugo in Pſal. XCIII. *Quando quis moritur, clauduntur ei oculi & os, lavatur, involvitur in ſudario, ponitur in feretro, operitur pannô ſericô, ponitur crux ad caput, & affertur aqua benedicta, & accenduntur cerei: cantatur Placebo, & Dirige, & Exultabunt in laudibus, & Requiem in Miſſa: tandem cum luctu effertur ad foveam & ſepelitur.* Nos ſequemur narrationis hujus ordinem: ſed primùm ægrotos & in confinio mortis jacentes conſiderare lubet.

X. Ac primùm quidem recenti jam Chriſtianiſmo, inter *Francos* invaluit, ut ægroti, & in vicinia mortis poſiti, conſecratô oleô inungerentur. Cujus uſum venerationemque adauxit, quòd ab

Apoſtolis inſtitutum vulgò crederent: unde & *Synodus Cabillonenſis* cap. XLVIII. *& Karolus Magnus* lib. I. Legg. Franc. cap. CLVI. publica auctoritate ritum illum confirmarunt. Fiebat autem unctio circà pectus & ſcapulas, ut Regino lib. I. de Diſciplina Eccleſiaſtica teſtatur. Sed & B. Martinus in os puellæ ægrotantis liquorem illum ſacrum infudit ſicuti Sulpitius Severus in vita illius cap. XV. ſcriptum reliquit. Pariter peſte laboranti brachium oleô ſanctô illitum, Fortunatus in vita Sancti Germani tradit. Ut adeò unctio facta in iis fuiſſe membris videatur, quæ maximè dolerent. Id quoque apud *Francos* uſurpatum, ut morituri *inſtramine* collocarentur. Brito Aremoricus Philippid. lib. XII.

Cumque oleo ſancto quaſi jam moriturus inunctus
Juxtà, quem Jacobi commendat Epiſtola, ritum
STRAMINE SUPPOSITO, morientum more jaceret.

XI. Unctionem comitabatur Sacra Euchariſtia, quæ ægrotantibus communicabatur. Nec adultis ſolum, ſed & parvulis ægrotantibus ſacram fuiſſe cœnam præbitam, probat Regino lib. I. de Diſcipl. Eccleſ. cap. LXIX. more haud novo aut inſolenti, quum in veteri Eccleſia poſt Baptiſmum ſtatim Euchariſtia infantibus, ut reliquis τεοΦωτίζοις, daretur. Quin quorundam ſuperſtitione invectum, ut mortuis quoque ſanctiſſima illa cæna ori inſereretur: quod in Concilio Antiſiodorenſi can. XII. Chriſtianis graviter interdicitur. Sed inprimis ante Euchariſtiam, adulti coram Epiſcopis & Presbyteris jubebantur edere Confeſſiones ſuas, quarum elegans formula in geſtis Epiſcoporum Metenſium extat. Ita *Otto Magnus*, *mortis horam imminere ſentiens, coram Pontifice Romano, claris verbis, ſicut ab omnibus adſtantibus exaudiri poſſet, ſuam edidit confeſſionem*; ut in Chronico Saxoniæ veteri legitur.

XII. Poſtquam jam ægrotus efflaverat animam, *claudebantur illi oculi & os*, ut Hugo ait. Qui mos ab *Hebræis* ac *Romanis* acceptus, apud quos propinqui maximè ac præſentes, & extremum ſuorum halitum ore legebant, & digito ſuper palpebras impoſitô, oculos claudebant. Id *ſugillare oculos*, vocat Nonius: ſed Virgilius Æneid. IX. *premere oculos* ſimpliciùs dixit. Meminit ejusdem moris apud Francos Robertus Altiſiodorenſis in Chronico, quando *pauſantium* oculos in peſte haud clauſos ſcribit. Ubi *Pauſantes* ſunt ipſi mortui, à

pau-

pauſando dicti, id eſt, dormiendo ſive requieſcendo: utrumque enim eô vocabulô apud Scriptores mediæ ætatis indigetatur. Præbitum quoque mortuis fuiſſe oſculum, argumento eſt, quod in Concilio Antiſiodorenſi decernatur, *Ne mortuis Euchariſtia, AUT OSCULUM DETUR.*

XIII. Prima circà defunctum cura erat, ut corpus aqua abluereturetur. Quem morem in *Galliis* antiquiſſimum, & *Francis* ſacrum fuiſſe, Turonenſis de gloria Confeſſorum cap. CIV. oſtendit. Hinc corpus *Karoli Magni* more ſolenni lotum ſcribit Eginardus: quod & poſtea de *Ottone III.* Chronicon Caſinenſe memorat. Et *Udalrici* Auguſtani Epiſcopi cadaver, quum lavaretur, ſuaviſſimi odoris fragrantiam emiſiſſe, in vita ejus narratur. Peracta autem lotione, corpus ungi ſolitum, atque aromatibus condiri, Scriptores mediæ ætatis paſſim docent. Cujus conſuetudinis jam ſeculo quarto Prudentius meminit: nec poſtea labentibus ſeculis obliteratum uſum inter *Germanos*, docent non ſolum *Karoli M. Ottonis III. Henrici V.* ſed & privatorum hominum exempla, quorum corpora aromatibus ſervata conſtat. Nec difficile illud factu, aut paratu pretioſum, quum ſolo tantúm *ſale* ſæpiùs adſpergerentur. De *Henrico* Imperatore Continuator Sigeberti Robertus de Monte ad An. MCXXVI. *Corpus ejus ejectis inteſtinis, SALE RESPERSUM, Spiram relatum eſt.* Apud plurimos tamen *Myrrha* magno in uſu, quam & ſolam inter aromata recenſet Prudentius, ubi in Hymno in Exequias defunctorum canit: *Aſperſaque myrrha Sabæo corpus medicamine ſervat.*

XIV. Ablutum conditumque aromatibus corpus, candida veſte induebatur. Prudentius citatô locô: *Candore nitentia claro Prætendere lintea mos eſt.* Idem ex epiſtola Sidonii III. lib. III. aliisque auctoribus obſervare licet. Hugo *ſudarium* vocat: alii *pallium*, aut *veſtem ſacram* generatim dixère. Ac primis quidem ſeculis, ut Prudentio quoque notatum, veſtimenta illa ê lino erant: quibus & involvi cadaver, maximè ea de cauſa probat vetus Ordinatio Eccleſiæ Suedicæ, quod Chriſti corpus extinctum ejusmodi indumentò tectum fuerit. Sed poſtea invaleſcente ſuperſtitione placuit plurimis *Veſtimentum Monachale*, quod in hiſpido illo duroque tegumento, putreſcere ſanctiùs corpora crederentur. Innumera ejus rei exempla in Principibus viris æque, ac in privatis hominibus per ſuperiora ſecula memorantur: ſed nobis ſufficiat domeſticum exemplum Magni illius Principis

cipis *Friderici Primi*, Comitis Palatini ad Rhenum, & Electoris, cui victricia arma *Victoriosi* cognomen fecêre. De eo Trithemius in Chronico Sponheimensi ad An. MCCCCLXXVII. *Anno pranosato XII. die mensis Decembris, obiit Illustris & Christianissimus Princeps Fridericus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, Sacri Imperii Archidapifer & Princeps Elector, IN HABITV MINORVM Heidelberga apud eos cum ingenti pompa sepultus.*

XV. Sic vestiti reponebantur in arcis, sive cassulis ligneis, quas postea Principes viri more à Byzantinis Cæsaribus accepto, in stanneas sive æneas mutarunt. Inde collocati in *feretris*, quibus & corpora peregre portabantur: sicut in vita *Brunonis*, Archiepiscopi Colonienſis notatum est, corpus ejus compendio, ubi exspirarat, feretro per satellites Coloniam usq; translatum fuisse. Ipsum autem feretrum, ut Hugo ait, pannô sericô operitur. Quod tegumentum in Legibus Salicis *Aristato*, sive *Staplus* vocatur. Leges Sal. Tit. LVII. §. III. *Si quis Aristatonem, id est, Staplum super mortuum, capulaverit — aut mortuum inde expoliaverit &c.* DC. *den. qui faciunt solid.* XV. *culpab. judicetur.* Sed Turonensis *Pallam* vocat, ubi de miraculis S. Martini sic scribit: *Palla, quæ sanctum tegebat tumulum.* Huc quoque pertinet *Dalmatica*, sive *Collobium Purpureum*, quo Martyres sepeliendos Eutichianus Papa voluit.

XVI. His factis, ut Hugonis verba persequamur, *ponitur crux ad caput, & affertur aqua benedicta, & accenduntur cerei.* Signum *Crucis* glisscente paullatim superstitione à *Romana Ecclesia* invectum est, quum antea sola in *Christum* fido fulti contentique morientes, externis illis ritibus superfederent. Ab iisdem primordiis est *Aqua benedicta*, qua fugari Dæmones, propellique ab anima defuncti credebantur. Utriusque honorificam mentionem sæpe facit Regino in libro de disciplina Ecclesiastica: Sed &, notantibus Historicis Magdeburgensibus, non defuere gravissimi per medium ævum viri, qui ritum superstitiosum rejecerint. Pariter Pontificibus Romanis debetur *Cereorum* usus, qui mortuis præferri solebant. Ac primùm quidem ipsi Episcopi præferebant has feriales faces: quod postea Sacerdotibus & Clero reliquo impositum est. Indicat solemnem hunc cereorum usum Turonensis in funere *Clodovei*, quem *cum clero ac cereis* sepulturæ traditum lib. VIII. Hist. cap. X. refert. Eorundem usum in exequiis *Karoli* M. Urspergensis, in funere *Henrici* Imperatoris Sigebertus ostendunt.

XVII.

XVII. Inter hæc, tum tollitur corpus, ſacra hymni canebantur: nam, ut Hugo ait, *Cantatur Placebo, & Dirige, & Exultabunt in laudibus, & Requiem in Miſſa.* Fuère & aliæ cantilenæ funebres, quibus funera per plateas deducebantur. Hæ tam à Clero, quam à cæteris comitantibus canebantur. Notavit morem vetuſtiſſimum jam in funere *Crothildis* Reginæ Francicæ Gregorius Turonenſis, Hiſt. lib. IV. cap. I. ubi de Cadavere Crothildis refert *PSALLENTIUM TURBA comitante ſepultum eſſe Parrhiſiis.* Ipſas nænias commendabat luctus, quo memoriam defuncti voce geſtuque lamentabili deflebant. Qui tamen & pro ratione ſeculorum, & populorum diverſitate nunc intenſus, nunc repreſſus fuit.

XVIII. Primùm enim, more Romano, & Uxores funus paſſis proſequebantur crinibus, & ejulantes pectus oraque manibus lacerabant: quin Præficæ quoque conductæ, quæ vultu cruentato, leſſoque lamentabili acerbitatem alieni luctus exprimerent. Quo profano more abrogato, aut correcto, id tamen ſervatum eſt, ut ſolenni amicorum planctu funera efferrentur. Sic *Karolus Magnus*, referente Mariano Scoto, Adrianum Pontificem, ut fratrem, ut filium planxit. Ac fuſius deſcribit morem lugendi Berno in Epiſtola ad *Henricum III.* ubi de funere matris ejus ſic loquitur: *Cum nuper venerande memoriæ matrem veſtram Giſelam, more humano, terræ commendare debuiſſetis, abjectâ regali purpurâ, aſſumptoque lugubri pœnitentiæ habitu, NUDIS PEDIBUS, EXPANSIS IN MODVM CRUCIS MANIBVS, coram omni populo IN TERRAM CORRVISTIS, lachrymis pavimentum rigaſtis, publicam pœnitentiam egiſtis, omnesque qui aderant, ad lachrymas commoviſtis.* Invenio quoque truncatâ tonſaque crinium parte multos Germaniæ populos luxiſſe defunctum: cujus moris nuper nondum obliti fuêre quidam *Suecorum* milites, qui, ut Bonifacius Hiſt. Lud. lib. XII. notat, in Regis *Guſtavi Adolphi* morte crinem raſêre.

XIX Sic *effertur ad foveam, & ſepelitur*: ut Hugo concludit. Igitur rejecto cremandi more *Germani Chriſtiani* corpora defunctorum humabant: quod & cæteris *Chriſtianis* placuit. Primis autem temporibus loca ſepulturæ extra Urbes erant: donec poſtea quoque obtinuit, ut intra urbium mœnia haberentur. Hinc duplicium *Cœmiteriorum* mentionem Scriptores plerumque faciunt; quorum alterum altero ſanctius honeſtiusque cenſebatur. Sed ſeculo

ſeptimò apud *Francos* paſſim receptum eſt, ut in *Templis* ſepulchra illuſtrium hominum eſſent. Præterea *Monaſteria* ſepulturæ eorum dicata, qui aut opibus, aut clientelis *Monachos* adjuviſſent. Sed & ad vias publicas humabant defunctos, ut viatores mortuorum, & per eos mortalitatis ſuæ admonerentur.

XX. At maximè per poſteriora obtinuit ſecula, ut Principum Regumque exuviæ diverſis diviſæ locis ſepelirentur. Imprimis mos invaluit, ut *Cor* à reliquo corpore diſtractum, & carioribus locis conſecratum reponeretur. Cujus rei exempla varia in Regibus Germanorum Hiſtorici Magdeburgenſes paſſim notârunt. Sic Epiſcopi Würtzburgenſis *Cor* eximitur, peculiarique loco traditur ſepulturæ: ut præter alios Guſpinianus in Lothario Cæſare ſcribit. Alii etiam *viſcera* tertio loco commendabant. Id ex *Saxonum* moribus *Richardus* Angliæ Franciæque Rex lepidè factitaſſe fertur, qui ut Matthæus Pariſius memorat, quum *corpus* ſuum apud fontem Ebraudi, *Cor* in Eccleſia Rothomagenſi ſepeliendum juſſiſſet, *ſtercora ſua Pictavienſibus propter notam proditionis reliquit.* Etiam *Cerebrum* peculiari ſæpe loco humatum, Annales noſtri docent. Quin *Oculi* aliquando ſingulari ſepulturâ affecti: quod Henricus Huntidonenſis lib. VIII. docet.

XXI. Porro illuſtrium atque opulentiorum cura erat, ut in ipſis cœmiteriis aut templis peculiaria haberent monumenta, quæ vel ex ſaxo vivo exſecta, vel fornicibus cellisque ex diverſo lapide factis, corpus capeſſerent. Prioris generis arcas lapideas & Aimoinus aliique ſæpe deſcribunt, & nos ipſi in Cœmiterio antiquo *Arelatenſi* paucos ante annos conſpeximus. Atque in iſtis cæterisque monumentis, retento à Gentilibus more, plurimi pecuniam opesque apud defunctos deponebant. Quod *Gothis* familiare fuiſſe, oſtendit lex illa *Theodorici* Regis apud Caſſiodorum lib. IV. Epiſt. XXXIV. *Ædificia tegant cineres, columna vel marmora ornent ſepulchra: TALENTA NON TENEANT, qui vivendi commercia reliquerunt. Auxum enim ſepulchris juſte detrahitur, ubi Dominus non habetur.* Apud *Francos* eundem viguiſſe morem docet Turonenſis Hiſt. lib. VIII. cap. XXI. ubi propinqua Uxoris Gunthrami in Eccleſia Metenſi *cum ornamentis plurimis & auro tumulata* narratur.

XXII. Poſt illatum ſepulchro corpus, renouatis iterum lachrymis, defunctus ſuprema lamentatione comploratus eſt. Primis etiam temporibus in uſu, ut flores in tumulum ſpargerentur, ipſumque ſa-

uxum

xum fragranti unguento perfunderetur. Quem morem in Occidentalibus Eccleſiis ſua ætate vigentem ſic expreſſit Prudentius hymno in exequias.

Nos tecta fovebimus oſſa
VIOLIS ET FRONDE VIRENTI;
Titulumque & frigida ſaxa
LIQVIDO ſpargemus ODORE.

Veterem gentilemque morem, præter alios oſtendit illud Virgili Æneid. VI.

Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis ---

Qua de cauſa Chriſtiani vetuſtiores, quum adhuc perſecutionibus urgerentur, rejiciebant profanum ritum: ſicut eam ob rationem Cæcilius apud Minutium in Octavio illos accuſat: *Coronas ſepulchris denegatis.* Sed poſtea ſeculis melioribus, quum pace fruerentur, avide ritus iſte non ſolum apud *Francos*, ſed & cæteros *Germanos* receptus eſt: tam tenaci in ſeculum noſtrum uſu ut nunc quoque plerisque in locis ſepulchra floribus coronisque redimita conſpicias.

XXIII. Nec ſanctius inſtitutum plerisque viſum eſt, quod lychni & lampades ad ſepulchrum ſuſpenderentur. Quod jam ſua ætate in more poſitum apud Francos fuiſſe, fatetur Turonenſis, ubi lib. IV. Hiſt. cap. XXX. funus *Glaſuintæ* reginæ Francicæ deſcribit. Unde in exequiis Regum ac Principum ſæpe publica eſt collecta pecunia, qua faces illæ emerentur. Ita in Hiſtoria Bambergenſi legitur, a Pontifice imperatum *Bambergenſi Eccleſiæ, Ut de ſingulis manſis unus denarius pro anima Henrici Imperatoris fundatoris AD CONTINUANDA LUMINARIA conferretur.* Nempe hoc quoq; à *Romanis Gentilibus* hauſtum, in quorum buſtis lucernæ perpetuæ ſervabantur.

XXIV. Id quoque à Romanorum *ſilicernio* ſervatum diu fuit, ut epulæ atque convivia in cœmiteriis ad ſepulchra agitarentur. In quem morem graviter invehitur *Auguſtinus* in libro de moribus Eccleſiæ, & alibi de abolenda turpiſſima conſuetudine cum *Aurelio* Epiſcopo conſilia confert. Manſit tamen poſtea apud *Francos*, cæterosque Germanos conſuetudo, ut in parentalibus amici, propinqui, hoſpites convivia domi celebrarent, aut vinum ſaltem libarent. Quod & in funeribus Principum fuiſſe factitatum, ex Bernonis literis ad *Monachos Augienſes* manifeſtum eſt, ubi ſanctiſſimus Præſul jubet, ut Clericis & Monachis in exequiis *Henrici* Imperatoris lautiora convivia inſtruantur

XXV. Ad memoriam poſteritatis erecta quoque monumenta ſunt, primum rudia & ſimplicia. quum aut ceſpite terræ elevato, aut informi ſaxo conſtarent. *Longobardi* etiam perticas, id eſt, trabes erigebant; ut Paullus Diaconus de geſt. Longob. lib. v. cap. xii. tradit. Sed poſtea cultioribus monumentis, quæ & marmore fulgerent, & columnarum ſtructura, imaginumque ornamento eniteſcerent, pretium factum eſt. Monumentis autem Epitaphia inſcribi, moris antiquiſſimi fuit, ſed quæ primum rudibus ac ſolutis conſtabant verbis, quibus defuncti dignitas ac laudes obiter continebantur. Sed poſterioribus ſeculis genus carminum à Monachis invectum eſt, quod mediis & ultimis ſyllabis ſibi reſpondentibus, miſere luxuriabat. Quale illud *Friderici II.* Epitaphium, quod Cuſpinianus in Imperatoribus notat.

Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent obſiſtere morti,
Non foret extinctus, Fridericus qui jacet intus.

XXVI. Sed & memoriam mortuorum quot annis celebrabant, inſtitutis anniverſariis ſacris, quibus orando & cantando, beatos manes, laudesque eorum memorabant. Liquet illud ex funere *Dagoberti* apud Guagninum, ex epiſtola Leonis Papæ ad Hardvvicum Epiſcopum Bambergenſem, ex literis Bernonis ad Augienſes fratres: ut alios innumeros nunc prætermittam. Ac de ipſis cantionibus lepidé fabulatur Honorius *ſextum Pſalmum cantari, ut anima defuncti recipiatur ex inferno, ſeptimum vero, ne leo diabolus animam de membris Chriſti rapiat.* Invalescente quoque ſuperſtitione invectum eſt, ut non ſolum *Precationes*, ſed & *Oblationes pro mortuis* ſolennes fierent. Quod primum ſeculo octavo per *Bonifacium* Archiepiſcopum Moguntinum receptum eſt apud Germanos, quum is Purgatorii fabulam, quam prorſus antea ignoraverat, a Pontifice accepiſſet. Offerebatur autem inter ſolennia Miſſarum non ſolum pecunia, ſed & pecora, aliæque res, quæ ſacerdotibus allubuiſſent. Sic apud Schaffnaburgenſem *Reginbodo*, qui in templo Goslarienſi occubuit, equum maximi pretii Monachis Fuldenſibus, in recordationem animæ ſuæ offert. In conventu Tremonienſi decretum eſt, ut Eccleſiaſtici triginta Miſſas pro quovis defuncto fratre celebrarent: ſicut Krantzius Metrop. l. IV c. VII. narrat. Et in Chronico Magdenburgenſi additur, *Injunctum praterea Diaconis & Subdiaconis, ut blaterarent decem pſalteria. Item ut Rex & Regina quin quagenos diſtribuerent nummos, & quinquagenos pauperes in menſa alerent: Epiſcopi trigenos nummos, ac trigenas candelas ardentes præberent: Principes vero 500. pauperes paſcerent, & quindenos nummos pro anima defuncti erogarent.*

XXVII. Plura alia congerre heic poſſem, quæ ad ritus funebres pertinerent: qualia ſunt, cineres atque oſſa ſanctorum hominum colligere, effodere, transferre, religioſe colere, aliaque his ſimilia, quæ Pontifices ex Ethnicismo in Eccleſias Chriſtianas invexere. Sed quum his pleni ſint omnium Monachorum libri, qui in hoc argumento omnem ſcribendi vim conſumsêre, ſilentio & prætermittam, & ad finem properans, tritum illud Majorum ſepulchris ultimo acclamabo: *Æternum. valete. nos. vos. ordine. quo. Natura. permiſerit, cuncti. ſequemur.*

FINIS.

GVILIELMI TVRCKII
DISSERTATIO
DE
GEOGRAPHIA
GERMANIÆ MEDII ÆVI.

SUMMARIUM.

§. 1. *Historiæ in veterem medii ævi & novam divisio.* §. 2. *applicatur ad Geographiam Germaniæ, quæ circa medium ævum nondum est exculta.* §. 3. *scopus dissertationis* §. 4. *fontes hujus studii* §. 5. *cautela* §. 6. *ratio methodi* §. 7. *Germaniæ nomen* §. 8. Limites *ejus.* §. 9. *versus occidentem a temporibus Hadriani ad Honorium.* §. 10. *inde sub Francis & post eos, usque ad finem periodi* §. 11. *versus meridiem.* §. 12. *versus orientem.* §. 13. Fluvii *majores* §. 14. *minores* §. 16. *Germania* CisRhenana, *Toxandri, Gugerni, Vbii* §. 17. *loca in Gugernis & Vbiis celebria.* §. 18. *Treviri & eorum marches* §. 20. *Alsati.* §. 21. *Helvetii* §. 22. *Insula Batavorum.* §. 23. *Austrasia nomine quid venerit.* §. 24. *Ripuarii.* §. 25. *Germania* trans Rhenana. *Frisii.* §. 26. *populi inter Isalam & Lonam, ubi Franci* §. 27. *eorum fines.* §. 28. *idem tractus postea* Saxonia *nomine appellatus.* §. 29. *facies ejus post tempora Caroli Magni.* §. 30. *urbes hic medio ævo claræ* §. 32. Suevia §. 33. *Wedrovia* §. 34. *loca in ripa Moeni septentrionali Rheno vicina* §. 35. *inter Mœnum & Nicrum regio.* §. 36. 37. *inter Mœnum & Danubium loca.* §. 38. *trans Danubium loca Alemannis quæsita.* §. 39. Franconia §. 40. *de* Thu-

ringorum *populo*. §. 41. *Haſſia*. §. 42. *loca ad hanc pertinentia* §. 43. Saxones, inter Viſurgim & Albiam. *loca Eccleſiæ adſcripta*. §. 44 -- 47. *Principum ſecularium regiones*. §. 48. *Saxonia* trans Albiam. *Holſatia*. §. 49. *ejus urbes*. §. 50. Vandalia. §. 51. *Mecklenburgenſis regio*. §. 52. *Pomerania* §. 53. *ejus urbes*. §. 54. *Marckgraviatus Brandenburgicus*. §. 55. Bojoarii. §. 56 -- 58. *tractus inter Lycum & Ænum*. §. 59. *Bavaria ad ſiniſtram Danubii ripam*. §. 60. *tractus inter Ænum & Anaſum*. §. 61. 62. *Auſtria*.

SOlent hiſtoriarum conſulti, via admodum ſalutari, temporum intervalla, conſtitutis quibus mens velut inhæreat, certis quibusdam Epochis, diſtinguere; atque ita rerum geſtarum periodos felici compendio, memoriæ nunquam eradendas infigere, neque tamen in has ita conſenſum, ut non infinitæ pro modulo cujusvis ingenii ac doctrinæ deprehendantur methodi; ſed eſt niſi fallor omnium commodiſſima, quam Literariæ civitatis ævo noſtro proceres calculo ſuo dignarunt, & quæ in omni Chronologia præſentiſſimum habet uſum, hiſtoriæ *inveteris, medii*, ac *recentioris* ævi diviſio, in cujus etſi limitibus aliquando à ſe invicem abeant harum literarum antiſtites, non eſt tamen, ut iſtud moretur quemquam, præprimis eum in univerſali hiſtoria, gentium diverſarum converſiones, latitudinem aliquam imperent. Unde mirari neminem oportet, *veteri* ævo Conſtantini Magni temporibus à *CELLARIO* (a) finem impoſitum, *PETAVII* vero ſententiam, qui in *doctrina temporum* ad ſeculi noni initium iſtam ætatem produxerat, à *CLERICO* [b] fuiſſe adoptatam. Et in ipſa particulari unius gentis hiſtoria, juxta diverſum quem quis intendit ſcopum, diverſa ſæpe formanda ſunt intervalla; quemadmodum enim inficetus foret, qui in literaria Germanorum hiſtoria, partitionem quam Dn. *REIMMANNUS* [c] optime Caroli Magni & inventionis typographicæ artis ſuperſtruxit epochis, arguere contenderet, ita cui mica ſalis eſt liquido appareat, hiſtoriam rituum ac morum, aliis paululum temporibus diſtinguendam eſſe. Etenim ut taceam, Germanos ab antiqua ſua ſimplicitate diu & multum ante Caroli Magni ætatem deſciviſſe, illud potiſſimum ante oculos pònendum eſt, quo ævo Romani Græcique ſcriptores, qui tum ſoli curioſitatem ſuam in Germanorum Rebuspublicis exercebant, deſinant, idque eo magis, quo qui in

iſta

ista monumenta commentati sunt, posteriorum minus habuerunt rationem. Ergo istis quidem rebus tractandis, nulla aptior est divisio, quam qua *HACHENBERGIUS* [d] noster medii ævi historiam à Trajani temporbus ordiri, ac Friderico tertio finire constituit.

(a) In *Histor. antiqua*, confer *præfationem* ad eam, ubi ejus rei consilia aperit.
(b) In *Compend. histor. universal.* confer itidem *præfat.* præmissam.
(c) Im Versuch der Einleitung in die Historiam Literariam derer Teutsch. pag. 2. 3. & 140.
(d) In *præfat. German med. ævi* præmissa.

II. Quæ rationes, cum in locorum historia ejusdem sint ponderis, ac præsertim vetusta regionum, populorumque apud Germanos nomina, diu ante seculum nonum, in nova ac paulum constantiora fuerint conversa, seculo denique decimo quinto variæ contigerint mutationes, istam in Geographia quoque sequi partitionem & inde orientes periodos non erit absonum. Geographia quidem *antiqua* pariter ac *nova* cultores nacta est egregios, etsi in *ista* lucis parum, fabularum deprehendatur plurimum. Sed *media* hactenus nec in Germania, nec in ulla sui parte exculta, jacet deserta. Constituerat *CELLARIUS* [a] quemadmodum veterem ornaverat, ita mediam quoque vestire; plurimis tamen haud credibile videbatur, virum purissimæ Latinitatis scriptoribus assuetum, so demissurum fuisse ad spurcissimi oris & barbariei plenos homines, quos constat quantum detestentur, qui rus illud ac infimam Latinitatem angue pejus & cane aversantur; sed quicquid sit, extinctum est illud Germaniæ Sydus, priusquam lucem affundere potuisset his tenebris. Quin & dolendum est, tabulam quam illustris *COCCEJUS* [b] evulgandam sibi proposuerat, multum perspicuitatis ejus Jurisprudentiæ publicæ si editam haberemus fœneraturam, mutato consilio in ipsa nativitate suffocatam esse. Initio quoque præcedentis sæculi *MARQUARDUS FREHERUS* Consiliarius quondam ArchiPalatinus, vir propiitis Musis, bono patriæ natus, animo complexus erat descriptionem pagorum Germaniæ sub Pipino, Carolo Magno & Ludovico pio Regibus, eorumq; dispositionem per provincias, constituerat Tabula Chorographica exhibere. sed ut alia à viro magno destinata, ita & hanc nobis fortuna invidit. [c] Ita anhelans hæc disciplina summos ætatis nostræ viros in sui auxilium sollicitat & quærit.

(a) vid. *præfat.* ejus ad *Geograph. Antiqu.*
(b) In *monitis ad Jur. Publ. prudentiam §. 4.*
(c) Confer ejus *Origines Palatinas pag.* 57. ubi brevem quoque pagorum catalogum texit, juxta ſeriem literarum Alphabethi.

III. Ego qui probe gnarus ſum, quæ ſubſidia ad iſta arcana requirantur, quot quantique labores devorandi ſint, ad eruendas medii ævi tenebris ac obſcuritatibus, genuinas populorum appellationes, veros regionum, urbium locorumque ſitus, quæque huc pertineant reliqua, deprecor omnes criminationes ac infeſtas ſi qui erunt iniquorum judicum voces, id unicum agens, ut exponam, qua methodo mihi videatur tractanda hæc diſciplina, à quibus cavendum ſit præjudiciis & demum, ut lineas quasdam & rudimenta ponam, rei hactenus nondum tentatæ ac tantum per partes, hinc inde cœptæ, eo enitens ut peragratis quot fieri poteſt monumentis, ſedula rerum huc pertinentium indagatione, aliquando ſi viſum fuerit, quam nunc diſſertationem de Geographia Germaniæ medii ævi inſcribo, in ipſam Geographiam hujus intervalli transformem.

IV. Primo igitur, quemadmodum in omni hiſtoria, ita, hic potiſſimum, ſcriptorum æqualium, aut qui prægnantiſſimis rationibus horum loco æſtimari debent, omnia ſunt confirmanda teſtimoniis, ut adeo flocci facienda ſint ſomnia illorum, qui præſertim in urbium in Germania originibus, nullo idoneo teſte, ineptiſſimis innixi etymologiis, ſtultiſſimas comminiſcuntur fabulas. Potius excerpenda ſunt ex ſcriptoribus, chartis, diplomatibus cuique ævo propriis, nomina regionum, populorum, urbium, monaſteriorum ac locorum ceterorum, deinde quæ ad conſiderationem Geographicam pertinent, ſolerti opera indaganda atque congerenda, ut tandem aliquando juſtum hujus diſciplinæ corpus exſurgat. Quin imo juvabit quoque nummos, etſi qui iſti hactenus ſe ſtudio manciparunt, Græcorum, Romanorum aut Phœniciorum ut plurimum ſaltem extiterint curioſi, in ſubſidium vocare (a), ac ſepulcrorum titulos, ceteraſque in templis inſcriptiones haud perfunctorie inſpicere, plurima ſæpe in libris nullibi obvia, evolventes atque explicantes (b).

(a) Henricus Chriſtianus Henninius, illud Duisburgi literatique orbis dum viveret decus, in *oratione gratul. Regi Boruſſiæ dicta in addend.* multa de Duisburgo ex nummis Henricorum adduxit. Francorum hiſtorias aliquando numiſmatibus illuſtrat Rev. P. *Daniel, dans ſes Diſſert. ſur L'hiſtoire de France*, & qui unice hic com-

commendandus eſt *Le Blanc dans ſes Monnoyes de France.* Ex quo libro huc inter alios pertinet inſignis nummus, qui exhibetur, p. 50. de Meti Regni Auſtraſiæ metropoli. Sunt quædam etiam huc pertinentia apud *Tenzelium*, ſed ſparſim. Non ignoro integros catalogos ſcriptorum hic uſurpandorum necti, ſed in illis inveniuntur oppido pauca, quæ lucem affundere queant noſtris rebus; elegantia ſunt quæ Hachenbergius noſter diſſ. X. de re nummaria veterum Germanorum diſſerit; ſed hic agimus de illis qui ipſos nummos exhibent ac interpretantur. Intelligo etiam bilaterales nam bracteati illi de quibus non pauci ſcripſere, aut adhuc moliuntur, rariſſime in hunc cenſum venire poſſunt.

(b) *Antonius Matthæi* Vir Clariſſimus, qui in Belgio fere unus, medii ævi rebus illuſtrandis operam navat, in *notis ad Chronicon Egmondanum*, aliquando quoque in *ævi veteris analectorum tomis*, quædam ex templorum ſepulcrorumque inſcriptionibus clariora fecit, plura adhuc facturus ſi vitam fata conceſſerint. Laudat item ſepulcrorum inſcriptiones Illuſtr. Comes de Arco *Differt. de Formula Marchia* §. 4. ubi in *not. lit. b.* exemplum.

V. Sed judicio utendum eſt non in his ſolum monumentis, ſed & in ſcriptoribus ſobrio, cujus non eſt hic dare regulas. Lubet tantum illud monere, cavendum eſſe, ne apellationibus quas ex veteri ævo ſæpe mutuantur mediorum ſeculorum ſcriptores, & ex illis imprimis Poetæ, decipiamur, ac inde vitioſa collectione credamus, illa nomina fuiſſe ſcriptoris tempore vulgati uſus, aut recepta. Quemadmodum enim noſtra ætate ſunt, qui cum Evandri matre loqui amant, [a] ac ubique Tubantinam rupem, Aliſonem, Chamavos aliaque vetuſta nomina crepant, ita mediis ſeculis haud raro vocabulis ex antiquiore ævo depromptis offendimur. Sane conſtat Clodovei Magni temporibus, Sicambrorum nomen diu abolitum fuiſſe. nam in Germania trans Rhenana [loquor Stilo Romanorum] Uſipii & Tencteri, Sicambrorum terram occupantes, ei nova nomina intulere, cis Rhenum vero Gugerni appellati ſunt [b], is tamen ipſe Clodoveus à *Remigio* Epiſcopo Remenſi Sicamber vocatur [c].

(a) Id quod in *Thuano* optimo ac vividiſſimæ alias ſcriptionis hiſtorico, taxatum eſt à quibusdam non ſine cauſa.

(b) vid. *Cluverius German. antiqu. lib. 3. cap. 20.* conf. Dn. *Werlhoff Notit. Imper Enucl. lib. 1. c. 2. §. 66.*

(c) *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendiſti*, exclamat *Remigius* apud *Gregor. Turon. lib. 2. c. 31.* ſæpe quoque alii ſcriptores, ſic *Sidonius Apollinaris in carmine ad Majorianum; Detonſus Vabalus bibat Sicamber.*

VI. Imperat quoque latitudo medii ævi, ut non uni vel alteri ſeculo tantum dicetur opera, aut diviſio aliqua quæ perpetua & conſtans non eſt, fundamenti loco ſubſternatur, quapropter Coccejana (a) illa in ſeptem provincias, ſive populos, etſi negandum non ſit, habere illam alio ſenſu eximiam utilitatem, huc non quadrabit, nec enim illa ad ſecundum ſeculum poſt C. N. poteſt referri, neque revera quadrat ad poſteriora periodi noſtræ tempora; niſi forte in excercitio quorundam jurium imperii, quærenda ſit iſtorum populorum memoria; idem judicandum eſt de reliquis Germaniæ diviſionibus, quæ perpetuæ non ſunt, ut de decantata illa in quatuor partes ſive die vier Lande diſtributione, cujus auctor jactatur Carolus Magnus, confirmatores Friderici (b); item de quatuor circulis Alberti ſecundi (c). Oportet ergo ut cujuslibet regionis, urbis &c. ſtatus inde a primo intervalii initio, ad ejus usque finem, ſecundum varias mutationes conſpectui exhibeatur, quod ego in tanta converſionum viciſſitudinumque frequentia, haud aliter rectius fieri poſſe exiſtimo, quam ſi eam ſequamur diviſionem, quam natura fluviis aut montibus conſtituit, vel etiam ſi hodiernæ partitioni accomodemus omnia medii ævi memoranda, ac ſubducendo addendoque, medii ævi conditionem ad diviſionem quæ nobis hodie familiariſſima eſt, exigamus.

(a) Quam illuſtris Auctor inculcat *Jur. Publ. prudentia cap.* 2. §. 24. & explicat toto *cap.* 3.
(b) Vid. *Jus Aleman. cap.* 144. Land-Recht. *art.* 53. *Goldaſt. tom.* 2. *p.* 7.
(c) Tabulas vide apud *Schilterum tomo II. Jur. Publ. p.* 339.

VII. Generale Germanis medio ævo fuiſſe nomen Teutiſcorum ſive der Teutſchen non eſt dubium (a), eo & olim ſe compellarunt (b) & nunc amant vocari. Certe Germanorum nomen Majoribus noſtris a Gallis tributum, inter Germanos uſurpatum fuiſſe veteri ævo, nunquam crediderim (c), neque in mediis ſeculis ejus ulla occurrunt veſtigia, nam quod apud ſcriptores noſtros ubique *Germanorum* nomen occurrat, id procul dubio de appellatione Latina aut civitate Latina, donata, eſt intelligendum, *Procopii* vero locus (d) plane nihil probat. Equidem non ignoro titulis Imperatoriis quoque adjunctum legi axioma *Germanis Regis* vernaculo ſermone, ſed id ex Latino, idque ſequiori demum ævo fuiſſe infarctum

ctum, non eſt, ut operoſe hic, tanquam in loco alieno demonſtrem.

(a) Apud *Otfridum in Libro Evangeliorum* lingua *Theodiſca* occurrit, eodem ſignificatu *Theodiſcus* pro Germano eſt in *Epiſtola Rudeperti Magiſtri S Galli in tom. II. Rer. Alem. Goldaſti part. 1.* & in transactionis charta Caroli Calvi temporibus ſcripta, apud eundem *Goldaſt. tom. III.* inter *Hincmari Epiſtolas* quas *Corderius* edidit, exſtat *Anonymi præfatio* in librum antiqua lingua Saxonica conſcriptum, ubi itidem Lingua *Theudiſca* pro Germanica uſurpatur p. 634. Ex *Servio ad lib. 8. Æneidos Virgil.* locum etiam annot. celeb. *Hertius Notit. Vet. German. populorum p. 13.*

(b) vid. argumenta apud *Cluver. German. Ant. lib. 1. c. 9.*

(c) *Cluv. Germ. Ant. lib. 1. c. 10.* cujus etſi temeritatem in expungendis mutandisque ſcriptorum verbis, a Grotio in *Epiſtola* ad *Pontanum* & aliis ſæpe notatam, non approbem, exiſtimo tamen crucem illam interpretum apud *Tacitum* de Mor. Germ. c. 2. ſatis comiode & quem res ipſa poſtulat ſenſu, ab eo eſſe expoſitam. Nam poteſt hic ipſe locus ſub eadem interpretatione, leviori metamorphoſi reſtitui. a Romanis nomen primo fuiſſe impoſitum plane non eſt veroſimile. paulo obſcuriora ſunt, quæ hac de re diſſerit Celeb. *Hertius loco praced. lit. citato.*

(d) Eſt is Lib. 4. Rer. Goth. latine hic: *Quorum gens una Germani dicebantur, & omnes quoque communiter Germani vocabantur.* Sed a quibus? certe non a ſe ipſis, ſidque vernaculo ſermone loquentibus.

VIII. Limitum in hac noſtra periodo difficillima eſt tractatio, communis antiquæ Germaniæ, præſertim ſi in rei fundamentum inquiratur, nam etſi veteres limites a ſcriptoribus Romanis magna ſatis conſenſione definiantur, cum tamen plures Germaniæ fuerint Respublicæ, quod nemini obſcurum eſſe poteſt ex locis Taciti Plinii &c. (a) imo cum impoſſibile fuerit, tam late diffuſas gentes, ea majorum noſtrorum ruditate atque regiminis forma, uno imperio civili animari (b), incertum eſt, utrum illi fines, præſertim orientales & ſeptentrionales, debeantur determinationi ipſarum gentium Germanicarum; an conjecturis Romanorum, neque ſatis ut ego quidem opinor, ſcrupulos eximere poteſt doctrina de diſtinguenda Germania a populis Germanis. ſed ad mediam ætatem oportet ut nos convertamus.

(a) Vid. Dn. *Werlhof Not. Imp. E l. 1. c. 2. §. 39. & 48.* Dn. *Hertius Not. Vet. Germ. popul. p. 21. & 22.*

(b) certe illud unitatem Reipubl. non probat, quod affert *Tacit. c. 11. de Mor. Germ.* de Comitiis, nam id tum ad unam ex his Rebus publicis, tum ad conventus Rerump. pertinet.

IX.

IX. *Occidentalis* Germaniæ limes, a Trajani temporibus ad Honorii usque ævum Rhenus fuit habitus, (erant quidem Cis Rhenanæ gentes Germanicæ (a), ſed hac ætate ſub Romanorum jugo) quod ſub Marco Aurelio (b), Conſtantino (c), Valentiniano (d), & ipſo Honorio (e) probant indubia hiſtoriarum monumenta.

(a) Quæ jam olim Rhenum transgreſſæ. *Tacit. de Mor. Germ. c. 2. & 28.* conf. item *Sueton. in Auguſto c. 21. & in Tiberio c. 9.*

(b) *Claudius Ptolemæus* Alexandrinus *Geogr. lib. 2. c. 11.*

(c) *Panegyricus Conſtantino dictus.*

(d) *Ammian. Marcell. lib. 28. c 2.*

(e) *Claudianus de bell Get. verſ. 330.*

(f) Add. Dn. *Werlhof. Not. Imp. Enucl. l. 1. c. 2. §. 23.* qui hunc eundem limitem, ex *Dione Caſſio & Auſonio* ſub intermediis Imperatoribus, Pertinace, Severo, Caracalla, Macrino, Alexandro & Valente, probat.

X. Poſt Franci Faramundo, Clodione, Meroveo, Childerico Regibus, ſæpius tentarunt illum limitem, ſed ex poſſeſſionibus momentaneis virtute Romanorum ſemper repulſi, demum Clodovei Magni temporibus, ſtabiles regni fines ultra Rhenum protulere. (a) inde alii Germaniæ, alii Germanorum aut Francorum regni fines fuere, unde cavendum eſt, ne iſthæc nimis quantum diverſa confundantur, neque enim ſimpliciter ab imperio regioni nomen tribuitur, ſed conſtanti & perpetua illorum voluntate, penes quos eſt jus & norma loquendi. Etſi ergo temporum tractu, Francicum ſive certo ſenſu Germanicum regnum, omnem Romanorum, Burgundionum, Viſigothorum in Gallia abſorbuerit portionem, propius tamen eſt, ut Germaniæ eo ævo limites vindicemus, quos Cis Rhenum Germania Romana habuit, quo facit egregie diviſio, quæ inſtituta eſt inter Clodovei Magni filios, aſſignatis Theodorico (b) portionibus, quæ ad Germaniam hoc ſenſu referendæ erant, Moſa potiſſimum termino. Inde magno annorum inter vallo, poſt varia fata regni Francici, diviſio ſub Ludovici primi filiis regno Germanico, cum Germania fere eosdem fines fecit, etſi enim Ludovico Germanico primo Cis Rhenum modicæ tantum partes ceſſerint (c), brevi tamen prolatus eſt limes ad Moſam usque (d), quin & ſub filiis acceſſit tota Lotharingia & dextra Scaldis ripa (e), (nam Lotharingici regni limes inferiore ſui parte Scaldis erat, etſi ſuperiore non multum ultra Moſam procederet (f). equidem brevi poſt, avulſa eſt Lo-

Lotharingia, ſed reſtituta primum anno DCCCCXXII. deinde iterum ipſa poſſeſſione juramento confirmata, anno DCCCCLXXX. (g) atque hi fines Germaniæ occidentales, ad ultima periodi noſtræ tempora exſtiterunt, quemadmodum id luculenter probatum dedit Conringius (h).

(a) Quod teſtimoniis probat Doctiſſimus Gallus R. P. *Daniel in diſſ. 1. ſur L'hiſtoire de France* & latius deducit Proſperi, Idacii, Sidonii, aliorumque autoritate, Vir Antiquitatum Germanicarum callentiſſimus *H. Gundlingius in diſſ. de Conrado* I. §. 1. *lit. b.* quam ſuo merito doctiſſimam vocat *Illuſt. Thomaſ. in ſelectis Feudal. p.* 316.

(b) *Gregor. Turonenſis l.* 3. *c.* 1. addatur *Obrechtus Prodromo Rer. Alſat. cap.* 5.

(c) *Rhegino* Abbas Prumienſis & *Sigebertus* Gemblacenſis ad *annum* 842. add. *Conring. de Fin Imp. L.* 1. *c.* 3. *p.* 9.

(d) vid. tabulas diviſionis inter Carolum Calvum & Ludovicum apud *Conring. de Fin. Imp. dict. Lib.* 1.

(e) *Conring. lib.* 1. *c.* 6. *pag.* 22. *& ſeqq.*

(f) *Conring. c. l. cap.* 3. *p.* 10.

(g) *Otto Friſingenſis citatus Conringio l.* 9.

(h) *Lib.* 1. *cap.* 6. 7. & 8. opere ſæpius laudato.

XI. *Meridionale* Germaniæ latus, Trajani & ſequentium Imperatorum ad Honorium usque temporibus, quatenus Germanos à Germania ſolent diſtinguere, Danubio cingebatur (a), ſed poſtquam Vindelicia & Noricum variis barbarorum gentium irruptionibus, Romano Imperio detractæ ſunt, ac Bojoarii ſibi ſedem fortunarum in Danubii ripa cœperunt conſtituere (b), tandem felicibus Caroli M. auſpiciis, Germaniæ fines ad Alpes & ſinus Veneti littora producti ſunt. (c) inde conſtans fere finium ad recentiorem ætatem usque ratio.

(a) *Ptolom. l.* 2. *c.* 11. & *Dionyſius Afer* ſub Divis Fratribus, nam errat *Voſſius*, qui eum ad Auguſti tempora retulit vid. Dn. *Neu* in *Acceſſion. ad Wheari Relect. hyemal. p.* 531. *Solinus* [quem vulgo ad Alexandri Severi tempora referunt (certe non reperitur à quoquam laudatus ante *Hieronymum*) eundem limitem facit. De Honorii temporibus teſtis eſt *Claudianus de bello Get. verſ.* 331.

(b) Vid. *Aventin. in Annal. Boj. lib.* 1. *in fin.* & *Megiſerus in Annal. Carinth. l* 1. *c.* 1. *add. Dn. Werlhof Not. Imp. Enucl. l.* 1. *c.* 2. §. 36. confer etiam infra §. 56.

(c) Vid. *Eginh. in vit. Carol. M. cap.* 11. 13. *&c.* de Venetis diſputationem vid. apud Dn. *Werlhof Not. Imp. Enucl. l.* 1. *c.* 2. §. 229.

XII. Verſus *orientem* primo periodi noſtræ intervallo, Ger-

mania Viſtula terminabatur (a), itidem Germanis populis, ut diſtinguunt, ultra hunc limitem habitantibus (b), in ſequentibus primis ſeculis, quidquam hic mutatum eſſe non conſtat, neque ipſius Caroli temporibus, ultra Viſtulam Germaniæ quicquam accesſit (c), inde forte regnum Germaniæ hoc in latere arctius fuit conſtrictum (d), etſi quoque poſtea ejus jura ita late his oris cæperint explicari, ut ipſam Poloniam, Majeſtatem Germanici regni obſequio coluiſſe conſtet (e); ſed hæc potius ad fines regni, quam Regionis pertinent.

(a) *Ptolomæus Geogr. lib.* 1. *c.* 11. *& l.* 3. *c.* 5. a quo quid abeant reliqui ſcriptores, & quæ in hoc limite dubia ſint, vid. apud *Cluver. Germ. Ant. L.* 1. *c.* 11. *& L.* 3. *c.* 42. ex mediis ſcriptoribus huc pertinet locus *Jornandis*, Ravennatenſis, Juſtiniani Imperatoris temporibus, Epiſcopi in *pr. de Reb. Goth.*

(b) *Cluver. Antiq. L.* 3. *c.* 44.

(c) *Eginhardus in vit. Caroli Magni c.* 15. omnes barbaras nationes quæ inter Rhenum & *Viſtulam* perdomuit.

(d) *Conring. de Fin. Imp. lib.* 1. *c.* 4. §. 6.

(e) Conf. Ill. *Cocceji Juris Publ. prud. c.* 5. §. 57. ubi ex ſcriptoribus coævis iſta Germanorum ſive potentia, ſive Majeſtas probatur.

XIII. Ad *Septentrionem* primo periodi noſtræ intervallo, eosdem fuiſſe limites, ac ſeculo proxime antecedente, in ſcriptorum defectu valde eſt verosimile, illo vero Germania ad Arctum oceano finiebatur (a); poſtquam deinde Saxones a Danis diviſi (b) notiores facti ſunt, Eidora, Egidora aut Egdora ut appellatur a ſcriptoribus promiſcue, limes fuit (c). Equidem ſequiori ævo, Germaniæ Reges, aut jure ſuo aut populorum trans Eideranorum ſuperſtitione, ut ita dicam, in Danorum Reges poteſtatem aliquam exercuere, quemadmodum ſupra quoque de Polonia monuimus, ſed iſta itidem ad regni potius quam, regionis fines pertinent (d), nam illud quod ex *Æn. Piccolom.* affertur (e), plane nullius eſt momenti, ſi enim de ſeculo decimo quinto intelligas, haud dubium eſt quin falſum ſit, ſi de anteriori ævo, non eſt ſcriptor recens idoneus rei ejus teſtis. Ita minimum Caroli Magni temporibus, ſeptentrionem verſus, magna mutatio non contigit.

(a) *Tacit. de Mor. Germ. cap.* 1.

(b) Conferendus *Guilielmus Cambdenus* doctiſſimus Anglus in *Britannia tit. Anglo-Sax. in init.*

(c) Late id probat *Conring. de Fin. Imp. l.* 1. *c.* 4. 14. 15. & 16. add. Dn. *Werlhof Not. Imp. Exncl. l.* 1. *c.* 2. §. 30. ubi rectiſſime notat, Illuſtrem Coccejum immerito.

rito diſſenſus, aut erroris poſtulare Conringium circa hunc terminum, utpote cui agere eo loco de antiquis Germaniæ finibus, in mentem non venerit.

(d) Atque huc pertinent loca, quæ ex *Witichindo*, *Ottone Friſingenſi*, *Radevico* & aliis plena manu afferuntur.

(e) vid. Dn. *Coccej. Jur. Publ. prud. c. 3. §. 53.*

XIV. Tranſeundum eſt, priusquam ad regiones Germaniæ deſcendamus, ad fluvios, ubi maxime expedit, non ignorare nomina, quibus mediis ſeculis ſæpiſſime ab hodierna, aut antiqua appellatione apud ſcriptores diſcrepant. Inter majores *Rheni* conſtans & eadem eſt appellatio. *Danubius* aut vulgari, aut Iſtri* nomine invenitur. *Viſtula* vero, etſi ſæpe Latinum ſuum ſervet nomen, aliquando tamen Biſula (a), aliquando Viſcla (b), aliquando Huiſtia (c) audit. *Albis* Græcis medii ævi ſcriptoribus Αλβις & Αλβις (d), Latine efferentibus Albia (e), item Albus, aut ut quidam legunt, Alba vocatur (f).

*) *Walafridus Strabo* Abbas Augienſis tempore Ludovici Pii vocat *Hiſtrum in vita S. Galli Abbatis.*

(a) Apud *Ammianum Marcell. lib XXII.*

(b) Ut apud *Jornandem* c. 5. p. 615. de reb. Get.

(c) In *deſcript. Orb Theodoſ.*

(d) Sic *Dio.* ſcriptor præſtantiſſimus qui ipſe ut confitetur, geſta ſub Commodo, Pertinace, Severo, Caracalla, Macrino, Heliogabalo & Alexandro a ſe deſcripta obſervavit) *lib.* 45.

(e) *Helmold. Chron. Slavor. l. 1. c. 2. & paſſim.*

(f) *Flav. Vopiſc. in Probo.*

XV. Sed minorum appellationes, ſæpe plus recedunt ab antiquo, aut hodierno nomine, ſic *Nicer* qui infra Manheimium Rheno ſillabitur, *Eginhardo* vocatur Neccarus (a), & *Moenus*, quo nomine in *Eumenis Panegyrico* occurrit, inferioris aliquantulum temporis ſcriptoribus Mogonus & Moganus audit (b). *Lona* die Lohne ſæpe Logona aut Logna eſt [c]. Fluvius qui infra Duisburgum Rheno miſcetur quemque hodie *Ruram* appellamus, Rubra ſcribitur, [d] ut mirari, quem ſubeat, repertos eſſe, qui non Ruen modo hunc fluvium, ſed & inde nominatum Runigburgum audent nulla hiſtoriarum fide, ſolis iisque violentiſſimis conjecturis aſſerere [e]. Fluviolum quem ſibi prope Paderbornam Luppia jungit, *Eliſonem* Dio [f] vocat. Ad inferiorem Rhenum *Iſala*, mediis ſeculis Sala eſt, a quo cum Cluverio [c] malim exiſtimare ortum Saliorum nomen,

quam a Sala Palatii ſynonomo, neque puto poſterius ullo modo probare, quæ eo conferuntur plurima ſcriptorum loca. *Viſurgis* Ουισουργ Θ· [h] Græcis, Latine efferentibus ſæpe Viſuris [i], aliquando Wiſaraba [k], item Weſera, [l] Wiſara (m) & Wirraha [n] dicitur. *Amiſius* Emiſæ nomine occurrit [o], uti *Viadrus* Odoræ [p]. amnis qui ſe Danubio infra Kelheimum miſcet & quem vernaculo ſermone die Altmühl appellamus, Iſidoro eſt Lemannus, quem Iſaac Pontanus [q] emendans, ſubſtituit Alemannum. *Amiſus* eſt fluvius qui Francicum Hunnicumque imperium, tempore Caroli Magni diſterminavit (r). ceteri tam in Germania trans Rhenana, quam cis Rhenana, fere non magna nominis variatione uſurpantur apud Autores noſtros.

(a). In *hiſtor. translationis Divorum Marcellini & Petri.*

[b] Ita eſt apud *Rheginonem* paſſim.

(c). *Geographus Ravennas Lib.* 4. eſt is ſcriptor ſeculi ſeptimi Gothus, Chriſtianus, quem in notis ad Melam jam allegaverat Iſaac Voſſius, primus vero in lucem ex Manuſcripto Regio aſſeruit, notisque illuſtravit Placidus Porcheron Pariſ. 1688. 8. & deinde Jacobus Gronovius collatum cum Mſcto Lugdunenſi recentiori ſuæ Melæ editioni adjecit 1656. ſunt in ejus Cosmographiæ libris multa præclara, ex quibus res noſtræ, medio ævo poſſunt illuſtrari, etſi hactenus a nemine præterquam a Celeb. Herrio eum in finem deprehenderim uſurpatos.

(d) Idem *Anonymus Ravennas l.* 4. §. 24.

(e) *M. Chriſt. Laurentius in Monumentis Romanorum in Thuring.* Gothæ 1704. in 4to publicatis, non multa ſolum alia, ſed & hoc ſibi perperam part. 2. c. 3. p. 41. perſuaſit. Sane apud Munſterum quem laudat, vitio typographico *Ruen* ſcribitur, quod legendum eſt. *Ruen.*

(f) *lib.* 54.

(g) *Germ. Antiq. l.* 3. *c.* 17. *Zoſimus* certe *lib.* 3. de bellis Juliani apud Rhenum agens, hoc confirmat luculenter, is vero memorat: *nationem* Saliorum Francorum partem.

(h) Ita *Dio* ſæpiſſime.

(i) Sic apud *Adamum Bremenſem*, ſeculi undecimi ſcriptorem paſſim.

(k) *Wandelbertus in Hiſtoria divi Bonifacii Magontini.*

(l) Apud *Aimoin. l.* 2. *c.* 27.

(m) Apud *Adelmum anno* 774.

(n) hic eſt apud *Adam. Bremenſ. hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. c. 2.

(o) idem *Adam. Bremenſ. l. c.*, apud *Geographum Ravennatem* Lammazon appellatur *L.* 4. §. 17.

(p) Apud *Helmold. in Chronic. Slavor.*

(q) *Libr.* 2. *Origin. Francic. c.* 2. *in fine*, *Celeb. Hertius* Almonam vocari a *Poeta*

Saxo

Saxone de Geſt. Caroli Magni l.2 ad annum 793. annotat *p.89. Notit. Germ. veter. populorum.*

[r] *Eginhard. in vit. Carol. Magni c. 13. & annal Franc. ad annum 792.*

XVI. In Germania Cis Rhenana, (loquor ſenſu Romanorum) ad Oceanum primi occurrunt *Seelandi*, quos ut Cluverius exiſtimat, Plinius dixit Toxandros, ſed videtur locus Toxiandria apud quem Ammianus Marcellinus (b) Francos habitacula fixiſſe prælicenter narrat, fuiſſe in hodierna Campinia, certe in agro Leodienſi hodienum occurrit locus Teſſenderlo, ſive veteres illi Toxandri huic dederint nomen, ſive id aliunde fuerit adſctum, ita forte cum Cluverio conciliandus eſt Wendelinus (c). Inde proximi inter Moſam, Vahalim, & Rhenum ante divortium, Gugerni, quod nomen forte Sicambri ſibi fecerunt, poſtquam ex veteri patria ſunt transducti & in Cis Rhenana collocati (d). His ſuccedunt Vbii meridiem verſus ad Abrincam (e) die Ahre usque protenſi. Atque hæc, aut populorum, aut regionum nomina duraverunt, usque dum eminentiores potiſſimum urbes, nova introduxerunt, unde hic poſtea Geldricus, Cliviacus, Juliacenſis, & Colonienſis tractus enatus eſt; equidem non ſatis perſpectum eſt, quo tempore id ſpeciatim contigerit, certe nec ante Francorum in Gallias in migrationem, nec diu poſt eam ejus, res veſtigia leguntur apud ſcriptores.

(a) *Germ Antiq. l.2, c. 29.*

(b) *lib. 17, c. 18.*

(c) in *Natal. ſolo leg. Salic.* c. 11. 12. & 13. *Thomas Hubertus Leodius* in Eburonib. p. 120. Taxandriam oppidum agri Leodienſis Viſetum interpretatus erat, quod eſt inter Leodium & Trajectum ad Moſam; in *Commentat. de Palatinor. Orig.* quam *Originibus* ſuis *Palatinis* adjecit *Ereherus*, vero illam opinionem erroris arguit, ac in vicinia Boſci Ducis quærit.

(d) Conf. *Cluver. Germ. Antiq. l. 2, c. 18. §. 3.*

(e) Ita legit & interpretatur *Cluver. Germ. Ant. l. 2. c 37.* quem Ampliſſimus Groninganæ Civitatis Conſul *Menſo Altingius*, in præclaro opere Notitiæ Germ. inſer. ſequitur, & ſi alii malint Moſellam intelligere. Vid. quoque quæ infra notabimus de Heroldi ſententia.

XVII. Loca in Gugernis præcipue clara fuere, caſtella illa, quibus primo Druſus, poſtea Valentinianus Rheni ripam munivit (a), quo pertinent *Neomagum Noviomagus* Neomagen/ *Vetera* ſanten/ *Clivia* Schola Eumenii Rhetoris clara, poſtea ſede Comitum & Ducum. Eſt

hic quoque mons *Varisberg*, apud quem Varianam cladem contigiſſe, temere opinatus eſt Vinandus Pighius in Hercule Prodicio, & *Goga* ſive *Goch*, urbs quam haud præter rem, ſervare memoriam veteris Gugernorum nominis opinatur Hugo Grotius (b). in Vbiis memorabile illud *Tolbiacum Tulpiacum* & *Tolpia* occurrit, quod hodie Zulch & Zulpich appellamus, Victoria Clodovei Magni ab Alemannis anno cccccxvi. reportata inſigne (c). *Gelduba* hodie **gelb** [d]. *Juliacum* ſede Comitum ac poſtea Ducum notabilis urbs. *Duria* aut Marcodurum, celebris villa regia ſub Caroli Martelli poſteris, ubi feſtos dies ſæpe celebraſſe Carolus Magnus legitur (e), ante duodecimum ſeculum tamen haud cincta muris, quemadmodum vetuſta inſcriptio curiæ docet. Succedit Colonia Agrippina, quæ medio ævo & *Colonia* & *Agrippina* diſcretim appellatur (f), Germaniæ ſecundæ tempore Romanorum metropolis, Pipini Heriſtalli in Auſtraſico Principatu ſedes (g), urbs Rheno adjacens maxima (h). *Bonna* olim etſi diſſentiente Lipſio *Ara Vbiorum*, aliquando Bunne [i]. *Noveſium Niveſium* noſtrum Neuß quoque tum oppidi, tum caſtelli nomine occurrit. (k) tandem *Aquisgranum, Aquenſe Palatium, Palatium Aquis*, Regum Francorum, poſtquam Rhenum tranſivere Archiſolium [l].

(a) Vid. *Flor. lib. 4. c.* 12. & *Ammian. Marcell. lib.* 28. *c.* 2.

(b) *Hiſtor. Belgic. l.* 7. juvaret equidem, hic tanquam in patriæ finibus, aliquanto longius exſpatiari, ſed termini quibus hoc ſpecimine circumſcribor, vetant. conferendus interim Vir diligentiſſimus *Wernerus Teſchenmacherus* civis meus in cultiſſimo opere *Annalium Juliæ Cliviæ Montium &c. Arnhemii* 1638. *fol.* quod utinam Bibliopolæ redderent prelo, ſorte haud difficulter impetraturi, ut Vir apud Clivenſes doctiſſimus, quæ ad id collecta poſſidet, cum erudito orbe communicet. Redegit in compendium *Teſchenmacherum Egbertus Hoppius* vernaculo ſermone, ſed parum feliciter, qui libellus tamen etiam hodie difficulter haberi poteſt

(c) vid. eſt *Gregor. Turonenſis l.* 2. *c.* 37. nomen occurrit paſſim apud ſcriptores, quod loco hæſit ex antiquo ævo, nam ejus meminit *Tacitus hiſt. l.* 4. collocatur vulgo in Vbiis, Itinerarium tamen Antonini ponit in Gugernis, appellatur etiam Tulpeche vel Zulpeche vid. *Freherus Orig. Pal. p.* 2. p. 28.

[d] *In Antonini Itinerario.*

[e] *Annal. Reg. Francor. ad annum 768. 769. ſeqq.* confer etiam *Valeſ. Notit. Gall. voce Duria.*

[f] Id quod *Cluverius ex Ammiano Marcellino & Zoſimo* probat. *Germ. Ant. l.* 2. *c.* 17.

[g] confer *Conr. Sam. Schurzfleiſchii diſſert. de Regno Auſtraſiæ*, c. 1. §. 20.

(h) Hocelogio mactatur a *Zoſimo l.* 1. quis ejus ſtatus fuerit a Clodovæo Magno usque ad Ottonis I. tempora, refert ex Annalibus Cœnobii Prumienſis *Chronicon Coloniense p.* 91.

[i] ita

[i] Ita appellatur apud *Ottonem Friſingenſ.* l. 6. *Chron. c.* 18. ubi pactum memorat nobile fœdus, inter Henricum Aucupem & Carolum Galliæ Regem.

[k] Apud *Thronenſem cit. l.* & *Auſonium Carm. de Moſella* ubi tum civitatis, tum oppidi, tum caſtelli nomine legitur.

(l) cujus apud *Eginhardum* & reliquos ejus ævi ſcriptores plurima ubique eſt mentio.

XVIII. Inde proxime Rheni ripæ prætexti erant *Treviri* usque ad *Vangiones*, in quibus *Bingium* ad Navi & Rheni confluentes, ubi inſignem Romanorum cladem memorat Auſonius (a), a reliquis ſcriptoribus neglectam. *Confluentes* (b) ad Moſelli & Rheni conjunctionem hodie Coblenz. *Trevirorum Auguſta* ad dextram Moſellæ ripam, quæ poſt Ptolomæi tempora aliquando *Trebiris* appellatur, multum celebrata ſcriptoribus a magnitudine & divitiis [c], Archiepiſcopatu poſtea quoque aucta, cujus antiquitates miris involutæ ſunt fabulis per *Golſcherum* Monachum in geſtis *Trevirorum*, quæ primus operam conferente Cl. Migio in lucem emiſit Illuſtris Leibnizius. *Antunnacum* Caſtellum & Palatium Auſtraſiæ Regum [d].

[a] cit. *carm. de Moſella.*

(b) *Ammianus Marcellinus l.* 16.

(c) Magna de ea prædicant *Amm. Marcell.* & *Zoſimus*, quorum hic omnium transalpinarum eam maximam vocat. Occurrunt huc pertinentia quædam quæ annotavit ſummus Jureconſultus Jacobus Gothofredus in deſignatione locorum Cod. Theod. quam ſuæ editioni adjecit. Quam fuerit autonomia, rebusque florentiſſimis conſpicua ſub Caracalla & ſequentibus imperatoribus ad Tacitum usque, vide elegantiſſime deducentem Illuſtrem Spanheimium in Orbe Roman. Exercit. 2. c. 16.

(d) Vid. *Valeſium not. Gall. voce Antunnacum.*

XIX. Vangiones juxta Treviros Rheno meridiem verſus incubuere, horum oppidum antiquum *Borbetomagus*, mediis ſeculis *Vangiones* (a) & *Wormacia* [b] dictum. Sequitur celebre illud Romanorum propugnaculum *Maguntiacum Magontiacum* & *Mogontiacum* metropolis Germaniæ primæ ac Ducis exercitus Germaniæ ſuperioris ſedes, nusquam non memorata ſcriptorum annalibus, a Francis poſtea occupata, ac Archiepiſcopatu ſeculo octavo auſpiciis famoſi iſtius Bonifacii aucta [c], hos ſequuntur Nemetes, regio & urbs, quam ſequiori ævo Spiram [d] appellavere, olim quoque ut videtur Noviomagus dicta, ubi ſeculo quarto nobilis Epiſcopatus, cujus Epiſcopus Jeſſius aut Teſſis concilio Colonienſi interfuit (e).

[a] Am-

(a) *Amminian. Marcell. lib.* 15. & 16.

(b) ita appellat *libellus provinciarum civitatumque Galliæ. Heraldus de Station. Legion. in vet. German. c.* 21. hic pagum *Wungan* aut *Fungan* constituit, unde Vangionum nomen. Reliquas urbis appellationes exhibet ex Valesio Dn. *Hertius Not. Vet. Germ. Pop. p.* 16.

(c) vid *Georgii Helvvichii Chronicon rerum Mogontiacarum p.* 30. qui itidem hujus urbis fata, direptionem & vastationem lamentabilem, dimicantibus de Archiepiscopatu Diethero Isenburgico & Adolpho Nassovio, eleganti libello descripsit.

(d) Dn. *Hertius* ex *Valesio* annotat id ab amniculo Spira, qui eo loco Rheno confunditur, jam ante nongentos annos factum fuisse. *Notit. Germ Vet. populorum* p. 16.

(e) Urbis antiquitates & omnem mediam historiam *Christophorus Lehmannus* Vir omni laudi major, in eximio illo opere *Spirensi chronici* passim explicat. Confer etiam integrum *cap.* 15. *part.* 2. *Orig. Palatin Ftober.* ubi egregia quædam adnotata reperies.

XX. *Triboccorum* vetus nomen, qui Nemetibus ad Rhenum jungebantur, media ætas in *Elsatiam*, *Alsatiam*, *Elisaze*, & *Helisaze* mutavit (a), appellatione ut recte conjectatur Cluverius [b], a fluvio qui regionem lambit derivata. Præcipuum hic fuit *Stratisburgum* ut Aimoino (c) vocatur, *Argentorati* olim nomine celebre, caput Ducatus Alsatiæ. (d) seculo sexto clarum hic fuit *Marilegium* (e), quod hodie Marlen appellamus, Regia aliquando Childeberti Austrasiæ Regis, & sub Dagoberto I. itidem Kircheimium non procul ab Argentorato memoratur Regni Austrasiæ Palatium (f).

(a) Sic legitur in diplomate Regis Theodorici quod adducit *Brunschius de Monaster. p.* 93.

(b) *Germ. Antiq. lib.* 2. c. 10.

(c) *lib.* 5. *c.* 25.

(d) *Ditmarus Chronic. Merseburg. lib.* 5. hoc ei tribuit. Eam ab Henrico II. Imperatore Episcopo fuisse donatam refert *Franciscus Guilimannus de Episcop. Argentin. c.* 2. etsi id non satis probet.

(e) *Gregor. Turonens. lib.* 10. confer præstantissimum *Mabillonii* opus de *Re Diplomatica p.* 279.

(f) *Conring. de Constit. Episcopor. German.* §. 24.

XXI. Inde *Helvetii* inter Rhenum, montem Juram & Lacum Lemannum, cum Rhodano, qui ab Alemannis Romanorum imperio erepti (a), & post Tolbiacensem pugnam Francorum regno additi, pars facti sunt deinde Regni Burgundici sive Arelatensis, hinc Germaniæ ite-

iterum vindicati (b), iterumque avulſi, tandem in ſui juris Rempublicam efflоruere, initiis poſtremæ converſionis, in initium ſeculi decimi quarti incidentibus. nobiles hic urbes medio ævo quibus & antiquo ſuum conſtitit decus: *Aventinum* Auranches Gallis dictum, incolæ Wuflisburg appellant; *Soludurum*, *Aqua Helvetia*, Turegum (c)

(a) Confer *Cruſ. Annal. Suev. part.* 1. *lib.* 4. *c.* 11 *item lib.* 8. *c.* 5.
(b) Adde *Suicer. Chron. Helvet. inpr. & Bucher. Belg. Roman. c.* 11.
(c) hodiernum Tigurum vocatur in diplomate Ludovici Imper. curtis regia in Ducatu Alemannico.

XXII. Redeundem nunc eſt ad inferiorem Rhenum, ubi infra divortium inter duo brachia, quorum ſiniſtrum Vahalis appellatur, dextrum vetus fluvii nomen ſervat, *Batavorum* inſula, olim Romanorum amicitia clariſſima occurrit: eam equidem Juliani tempore tentarunt Franci Salii, ſed a Chamavis (a) (quos tum in Francorum nomen nondum omnes tranſiviſſe vero perquam ſit ſimile) pulſi, nondum obtinuere. Auctis ergo Francorum rebus demum in eorum poteſtatem conceſſit, quod etſi Patriæ libertatis amore vir ſummus Hugo Grotius (b) maxime impugnet, perſuadent tamen Conringii (c) argumenta, ut merito exiſtimemus tantillam regionem ea undique circum Francorum potentia non diu potuiſſe ſui juris eſſe, cui illud accedit, ſeculo tertio & quarto non ſolum piraticam Francorum, ſed & penitiſſimas paludes, imo Vahalim (d) intra eorum fines a ſcriptoribus hujus ævi paſſim commemorari. Inde ejus maxima pars per Friſios occupata ac Francorum imperio ſubtracta eſt, a ſeculi ſeptimi medio usque dum ſeculo octavo debellato victoque Friſiorum Duce Poppone, in vetus reduceretur obſequium (e). Saxonum quoque aut cum Friſiis, aut ante eos hic quædam portio fuit, ut eſt virorum Doctorum exiſtimatio [f]. poſteriori deinde ævo Bataviam Dani ac Normanni invaſere, qui multorum nominum quibus hodienum fulget hic & vicinus tractus exſtitere auctores; nobilis eſt apud Rheginonem Abbatem Prumienſem locus (g) ubi huic ipſi Regioni, nomen Danemarcæ videtur tribui (h). de Urbibus Bataviæ nihil dicemus, cum ea recentiori ævo, Regno Germaniæ avulſa, ſe in libertatem aſſeruerit. Illud monere ſufficit non eſſe celeberrima illa hodie Emporia, venerandæ aut valde remotæ antiquitatis, ſolum Vltrajectum ſive Wiltaburgum ſi excipias,

(a) *Ammian. Marcell. l.* 17. intelligendus forte de his eſt *Zoſimus l. 3. c.* 6. confer *Conring. de Orig. jur. Germ. c.* 7. *p.* 24.
(b) *cap.* 40. *de Antiquit. Reipubl. Batav.*
(c) *De Finib. Imp. l.* 1. *c. c.* 3. ubi argumenta.
(d) *Sidonius Apollinaris carmin.* 23. *verſ.* 243.
(e) Vid. *Ubbon. Emmium* id late ſcriptorum teſtimoniis exſequentem *l.* 4. confer *Dn. VVerlhof. Notit. Imp. Enucl.* 1. *c.* 2. §. 175.
(f) conf. *Meibom. introd. in Sax. Inſcr. hiſtor. p.* 4. *& ſeqq.*
(g) confer *Conring. de Finib. Imp. lib.* 1. *c.* 3. §. 9. *& de Urbib. Germ. §. 67.*

XXIII. Priusquam Rhenum tranſeamus, videndum eſt, quid ſibi in veterum Annalibus *Auſtrie & Auſtraſia* nomen velit. Equidem dubiorum planiſſima res eſt, interim videtur prima vocis aut origo, aut mentio ad Theodorici Clodovæi filii tempora referenda eſſe. Inde Regnum Auſtraſiæ per varia augmenta & decrementa aliquando a ſcriptoribus ſtrictiori ſenſu accipitur, ut tractum inter Rhenum & Moſam, imo & trans Moſam ad Scaldim, & ſequanam verſus complectatur, aliquando latiori ſignificatu, ut non modo iſtas quas nominavimus partes, ſed & Francorum poſſeſſiones in Orientali Rheni ripa comprehendat: [a].

(a) Confer hæc elegantiſſime, ut ſolet, deducentem *Dn. VVerlhof. Not. Imp. Enucl. lib.* 1. *c.* 2. §. 90. *ſeqq.* ubi meretur locus viri ſummi *Georgii Obrechti*, ut non perfunctorie legatur.

XXIV. Occurrit in Auſtraſia mediis ſeculis *Ripuariorum* non incelebre nomen, quorum in jurisprudentia Germanica notiſſimæ ſunt leges, quare & de his quædam dicenda. Qui fuerint, qui eorum fines ſatis obſcurum eſt [a]. Interim probabile eſt derivatum nomen a Ripis quas accolebant ad ſcaldim, Moſam, Rhenum & Moſellam, ac adnumeratas fuiſſe huic Ducatui inter alias *Agrippinam, Antonacum, Bonnam, Marcodurum, Juliacum, Novefium, Tulpiacum* &c. [b] Metropolis fuit Atuatica, ſive ea Tungrorum ſive Eburonum (c). Etſi vero orientalis Ripuariæ limes Rhenus vulgo definiatur, conſtat tamen extenſam eam fuiſſe etiam ultra illum fluvium [d].

(a) vid. *Illuſt. Thomaſ. in ſelect. capit. hiſtor. jur. feud.* §. 19. & ibi allegatos.
(b) *Freher. in Orig. Palat. part.* 2. *§. VIII p.* 27. de quatuor comitatibus, in quos diviſa fuit Ripuaria vid. eſt *Freſnens. in Gloſſar. voce Ripuarii.*
(c) Confer Dn. *Thomaſ. l. c.*

(d) Pre-

(d) Probat enim, Monaſterium *Werdhinenſe* (Werden) ad Ruram, in Ripuariorum pago fuiſſe ſitum, ex Vetuſtis tabulis *Schaten* in *hiſt. Weſtphal. l. 5.* confer. Dn. *Werlhof. Not. Imp. Enucl. l. 1. c. 2. §. 92.*

XXV. Inter Rhenum & Amaſium, in ſeptentrionali Germaniæ latere ad Marſos ſive Marſacos & Bructeros, verſus brumalem ortum ex veteri hiſtoria celebris eſt *Friſiorum* populus, mediante Vecta fluvio, in majores & minores diſtinctus [a]. Videntur illi tertio aut quarto jam ſeculo vel vi adacti, vel fœderis lege coiiſſe cum Saxonibus in ſocietatem, (quos tamen quidam mox in Britanniam ſeceſſiſſe exiſtimant) horum enim ea ætate hic eſt magnum nomen, unde mox Francis Vicini, mox a Romanis in Francorum finibus oppreſſi, mox periculoſi & terribiles Romanis finibus appellantur apud ſcriptores; [b] non eſt, ut quis in re adeo illiquida claram & diſtinctam notitiam deſideret, cum mira migrandi libido, rerum hominumque ſummam dederit confuſionem. Interim regnum illud Friſiorum, quod ſupra monuimus a Francis ſeculo octavo ſubjugatum [nam an illis antea paruerint dubium incertumque eſt], diſtinctum fuiſſe ab orientali & vera Saxonia, valde videtur veroſimile, etſi mira de ejus latitudine jactent ſcriptoret Friſii [c], fuerunt inde ſub Francorum ſeu Germanorum Regno, usque dum recentioti ætate itidem cum Batavia pars in priſtinam libertatem rediit.

(a) *Cluver. Germ. Antiq. l. 3. c. 17.* ubi ex hac in minores & majores Friſios diſtione occidentalis ſive Weſt Friſiæ ſpecialis appellationem derivat.

(b) vid. id probantem *Meibomium Introd. in Not. Saxon. infer. p. 4. & ſ.*

(c) *Furmerius Annal. Friſ. lib. 3.*

XXVI. Nunc videndum qui populi a *Sala*, ſive ut alias vocatur Iſala, ad Lonam usque Rheno prætexti conſederint periodo noſtra. Primo ejus & quod excurrit ſeculo ſupererant ex veteri appellatione, nomina Bructerorum [a], Angrivariorum, Amſivariorum Chamavorum, Chaſſuariorum &c. [b] quorum omnium ſedes hac præſertim ætate accurate definire ob perpetuas migrationes non ſatis licet, minus qua via & modo hi populi fuerint uniti, aut in ſocietatem civilem coacti, aut denique qui autores fuerint ut adoptato Francorum [c] nomine, in florentiſſimæ Reipublicæ decus emergerent, Illud ſatis conſtat, ſedem eorum antiquiſſimam in hoc tractu collocatam

tam fuiſſe, cum omne quicquid eſt ſcriptorum quicquid monumentorum, hoc confirmet comprobetque.

(a) appellantur hi medio ævo ſæpe *Brittari*, etiam *Boructuarii* & in Tabula Peutingeriana *Burcturi*, quemadmodum etiam in epiſtola quadam *Gregorii Papæ*, *Borthari*.

(b) Vidend. late *Amm. Marcell. lib. 20. c. 2. & 10.* add. *Cluver. Germ. Antiq. lib. 3. c. 20.* equidem conjicit *Illuſt. Coccejus Jur. Publ. prud. c. 3. §. 80.* his nominibus & in ſpecie Sicambris, Friſiorum nomen ante Francicum ſucceſſiſſe, ſed id non ſatis eſt liquidum.

(c) Communiter prima hujus nominis mentio refertur ad Valeriani & Gallieni imperium, ſed ante id ſub Aureliano ad huc Tribuno legionis ſextæ Gallianæ, apud *Flavium Vopiſcum in Aureliano* occurrit *c. 7.* conf *Dn. Werlhof. Not. Imp. Enucl. l. 1. c. 2. §. 59* de etymo nominis multa eſt diſputatio, mihi non improbatur Wendelini ſententia, exiſtimantis id a voce Atuatica Brang, quæ ferocem denotat derivatum *Gloſſar. Sal. voc. Atuat. v. Franchi.* Unde poteſt contigiſſe ut cum hi populi ſtrenui libertatis fuerint vindices, ſenſim vocabulum ab hoc Francorum ſtudio pro libero uſurpatum fuerit, ut adeo non prima vocis ſignificatio liberum exprimat, ſed novior recentiorque ab ipſo populo deſumta, a quo non abire videtur ſententia *Celeb. Hertii in Ichnograph. Imp. Rom. Germ. Manuſcripta*, cujus cum nuper prima pars luci publicæ fuerit expoſita, valde exſpectant Eruditi ut poſt primas has dapes, juſtæ epulæ mox ſequantur. Interim recte & Dn. *Werlhof. lib. cit. §. 65.* & Dn. *Gundlingius de ſtatu Reip. Germ. ſub Conrado 1. §. 1. lit. a.* immodeſtam incivilemque Wendelini expreſſionem, qua *errare ne dicat delirare*, aſſerit eos qui Francum & liberum ſynonyma faciunt, & a libertate Francos derivant, taxavere.

(d) Confer late *D. Werlhof. Not. Imp. Enucl. l. 1. c. 2. §. 67.* & ibi allegatos ante omnia *Tabulam Peutingerianam*, quam celebris ille Duumvir Auguſtanus *Marcus Velſerus* dedit publico ſegmentis octonis, quamque ſuſpicantur Viri Eruditi Conſtantii & Valentis, alii Theodoſii junioris temporibus eſſe confectam.

XXVII. Limites Franeorum quia maxime variarunt, arduum eſt rite determinare; ante Clodovæi Magni tempora, eos ultra Rhenum ſedes ſtabiles nondum habuiſſe, Romanis adverſæ ripæ dominis, ſatis ſupra innuimus (a), neque videntur ea modo ætate ſeptentrionem verſus ad mare usque procurriſſe, ubi Friſiis Saxonibusque conjungebantur [b]. Meridionale latus Alemanni tegebant, ubi utrum Lona, an Mœnus, an Nicer fuerit limes, magis obſcurum eſt, quam ut id certo poſſit definiri, diffidentibus ea in re a ſe invicem viris Eruditis [c]. Illud certum eſt, tum temporis regionem quæ poſtea Franconia appellata eſt, fuiſſe ſub Alemannorum ditione & tranſiiſſe

fiisse demum post famosum illud Tolbiacense prælium in Francorum nomen & jus, qua de re paulo infra. merito igitur ridenda est fabula Tritenheimii, ex spuriis istius Hunnibaldi commentis magno nisu persuadere conantis, Francos a Turingis evocatos iisque in Francoonia sedes oblatas datasque, quinimo ipsam divisionem in confiniis Wurzburgi factam [d]. Ad ortum Franci a Thuringis Saxonibusque dividebantur, multa interim est disputatio utrum Albis, utrum Visurgis hic terminum constituerit [e]. Sed postquam Rhenum transiverunt Franci, paulatim nudatæ sunt incolis suis hæ regiones, unde Saxones omnem illum tractum & ut quidem Conringius [f] existimat, jam medio sexto seculo occuparunt Albim Visurgimque transgressi, quod itidem initio an bello an ultro concedentibus Francorum reliquiis in Saxonum nomen, factum sit, non liquet, nisi quod devictorum Boructuariorium mentio incidat, qua de re seq. §.

(a) §. 10. *lit. a.*
(b) *Vid. supra §. XXV.*
(c) vid. Dn. *Werlhof. Not. Imp. Enucl l. 1. c. 2. §. 69. l. c.*
(d) *In Origin. Francor.* apud Schardium *tom. 1. fol.* 151.
(e) *Valesius* Visurgim existimat limitem & vocem *Albia* apud *Claudianum de I. Cons. Stilichonis vers.* 225. mutat in *Abonum*, sed alibi huic loco similia tradit *Claudianus*, quin & in sæpius allegato Carmine *Sidonius Apollinaris*.
(f) In *notis ad cap. 2. de Finib. Imp.* quamvis ea in re *Gregorii Turonensis* testimonium videatur aspernari *Dn. Werlhof. Not. Imp. Enucl l. 1. c. 2. §. 69. lit. a.*
(g) *Meibom. in Introduct. ad Saxon. Infer. histor. p. 8.*

XXVIII. Appellata est tum ergo ab eo tempore, primigenia Francia Saxoniæ nomine (a), & cum tractu temporis Saxonum populi in Ostvalos, qui & Austerlandi & Austerlingi vocantur, Westphalos & medios inter utrosque Angarios distinguerentur (b), per Westphalos sive Westphalahos illi intelligendi sunt ex Saxonibus, qui inter Rhenum & Visurgim consedere, toto hoc tractu potissimum iis cedente, post quam Boructuarios devicere [c]. Etsi vero hi Saxones post perpetuum fere ducentorum & quinquaginta annorum bellum a Francis tandem fuerint subjugati, duravit tamen Saxoniæ nomen etiam intra Rhenum & Visurgim ut censet Meibomius (d), usque ad duodecimum seculum, quo Henrico Leone exauctorato Archiepiscopo Colonienſi a Friderico I. Imperatore anno MCLXXX. & post a Philippo Cæsare anno MCCIV. datus est hic tractus, Mindensi,

Osnabrugenſi & Paderbornenſi Epiſcopis, in partem venientibus. Reliqua vero Saxonia partim Welphicæ familiæ adhæſit, partim Bernhardo Ballenſtedio ex Anhaltinis ceſſit, ut infra monſtrabitur.

(a) *Vid. Meibom. Introd. ad Hiſtor. Sax. Inf. p.* 12. & 13. & ibi *Pacta annexum de geſtis Caroli M.* (quem primus edidit *Reinerus Reineccius*) locum.

(b) Quo tempore illud primo factum ſit ignoramus, equidem non occurrit hujus diſtinctionis memoria ante tempora Carolina, ut annotatur paſſim, ſed inde forte non recte concluditur, natales ejus ad Caroli magni tempora eſſe referenda, cum utique ex ſilentio ſcriptorum quorum paucisſimi hæc tempora attingunt, res ipſa non poſſit decidi; exiſtimant Viri Doctiſſimi ex nomine *Walorum Valorum* quod idem ſit ac Wallonum, poſſe liquido demonſtrari eam diſtinctionem non ante cœptam fieri, quam Carolus Magnus in locum Saxonum quos ex vetere patria in Galliam tranſtulerat, multitudinem Francorum collocaſſet, ſed vereor ne id tuto poſſit ex illo vocis Walorum ſignificatu colligi, cum alia poſſit eſſe hujus nominis ratio.

(c) *Beda l.* 5. *c.* 12. inſignis quoque eſt locus apud *Marcellinum in vita Suiberti c.* 22. ubi de bello inter Saxones & Boructuarios agit. Conferatur Dn. *Puttgieſſer de Condit. & ſtat. ſervor. apud German. l.* 1. *c.* 2. §. 29. quem militia æque ac ſcriptis clariſſimum, non debuerat prætexere nuperæ commentationis de *Viris Militia æque ac ſcriptis* illuſtribus, Doctiſſimus auctor.

(d) *p.* 13. & 14. ubi ſententiam quoque adducit *Reineri Reineccii* qui *lib. de Saxonum Origine* id ad tempora Ludolphi Witechindi Magni pronepotis, quando is ſedem ex Weſtphalia in Oſtphaliam tranſtulit, refert; & *Conringii* qui exiſtimavit id contigiſſe, poſtquam ab Imperatoribus Germanicis, Saxoniæ Ducatus Principibus, qui in Oſtvalia degerunt commiſſus eſt.

XXIX. Carolo Magno ejusque poſteris Imperantibus, etſi libertati fuerit reſtituta pleraque orientalis Saxonia, Weſtphalia tamen adſcripta fuit immediate rationibus Francorum, qui hic quatuor Comites, ſive judices, Epiſcopos item & alia conſtituere. Neque coaluit iterum, cum Orientali Saxonia Weſtphalia noſtra, ante Henrici Aucupis tempora, qui omnes Saxonici nominis regiones tunc primum Ducatu complexus eſt, quem deinde Otto Filius in Italiam abiturus, Hermanno Billingo in tutelam conceſſit, cujus poſteris, cum duraret familia, perpetuo adhæſit, poſtea Henricus V. Lothario, poſt Imperatori, eum dedit, a quo per generum Henricum ſuperbum, delatus eſt ad Nepotem Henricum Leonem, cui quemadmodum maxima pars ducatus fuerit adempta, totaque regio in varias diſcerpta portiones, ſupra jam monuimus (a).

(a) conf. hæc late deducentem probantemque *Illuſtrem Coccejum Juris Publ. prud. cap. 3. §. 41. & cap. 9. §. 12.*

XXX. Fuere in hac primigenia Francia, ſive ut eam Saxoniæ partem, poſtea appellatam diximus, Weſtphaliâ, inde ab Origine Reipublicæ, ad Francorum usque tempora, fere nullæ urbes, his ergo occurrit primo memorabile illud *Diſpargum*, ubi Clodio Francorum Rex ſedem regni conſtituiſſe legitur (a). equidem magna de eo inter ſcriptores eſt diſputatio (b), tum, an in hoc latere, tum an Duisburgum, quod hodie ad Rhenum & Ruram confluentes Academia claret, veniat intelligendum. Ego, ſi quod ſentio dicendum eſt, exiſtimo, veroſimilibus conjecturis huic urbi poſſe id honoris tribui; (c) ſive Toringorum fines huc pertigerint, ſive is *Gregorii Turonenſis* & *Aimoini* ſit error. Non enim apparet, ubi melius hæc ipſa ſedes debeat locari, aut ubi tam veneranda ejusmodi antiquitatum ſint reliqua ſigna, interim diffitendum non eſt memoratos ſcriptores, multa immiſcuiſſe, quæ rem maxime faciunt dubiam. Weſtphalici ſcriptores (d) memorant, paulo poſt, eam Saxonum partem quæ cum Alboino & Longobardis in Italiam conceſſerat, reverſam peregrinæ dominationis tædio, duas hic celebras urbes condidiſſe, quarum primam *Mimigardam* aut *Mimigavordam*, appellarint, quæque temporibus Caroli M. ab exſtructo eximio monaſterio, ibique locato Epiſcopatu, nomen *Monaſterii* (Münſter) adepta fuerit (e). Altera memoratur, *Paderborna* ad Paderam fluvium, Epiſcopatu itidem ornata, quam mediis ſeculis Padrabrunnum (f), Padarbrunnon & Paterbrunne appellant. *Oſnabrugi* idem Carolus M. Scholam erexit, ubi principalis juventus literis Græcis imbueretur, & Epiſcopatum (h). *Minda* his temporibus ad Viſurgim etiam Eccleſiæ tradita eſt, conſtituto Herimberto Epiſcopo qvem Witeckindum M. ſacro lavamine abluiſſe fabulantur (i). *Corbeiam* urbem ad Viſurgim Lothewicus Imperator ſtruxit (k), cœnobium vero ab ipſo Carolo M. fundatum, cujus Abbas tum legati munere apud Pontificem functus eſt (l). de *Werthinenſi* monaſterio & ſupra quædam attulimus, & infra nonnulla dicentur. & hæc quidem ad Weſtphaliam ſacram præter Diſpargum pertinent.

(a) *Gregorius Turonenſis lib. 2. c. 9. & Aimoinus lib. 1. cap. 4.*

(b) Vid. Dn. *Werlhof. Notit. Imp. Enucl. lib. 1. cap. 2. §. 8. & Dn. Wilking. Diſſert. de Stat. Reipubl. ſub Conrado I. §. 1. lit. c.*

(c) Con-

(c) Conſentit Illuſtris *Coccejus Jur. Publ prud. cap. 3* §. 81. de Thoringorum finibus dabitur Infra diſſerendi locus.

(d) Vid. *Schaten lib. 5. hiſtor. Weſtphal. p.* 319.

(e) Videnda eſt apud *Surium tomo* II. *Sanctorum d. XXV. Martii, vita Ludgeri primi Monaſterienſis Epiſcopi* deſcripta ab Othelgrimo ipſius æquali.

(f) Ita appellatur apud *Goldaſtum in Conſtitutione* Ao. 777.

(g) *Padarbrunnon* vocat *Poeta Anonymus Paterbonenſis in geſtis Caroli M. anno 785.* ibidem conventum contra Saxones habitum memorans. *Paterbrunn* eſt apud *Monachum Egoliſmenſem in vita Caroli M. ad annum* 769.

(h) vid. quæ adducit *Crantzius Lib. 1. Metropol. cap. 2. Roleving. de ſitu & moribus Weſtphalorum Lib. 2. cap.* 8. neque etiam pigebit inſpicere *Ertwini Ertmanni Chronicon Osnabrugenſe in init.* quo in libro operæ pretium eſt, ea quoque legere, quæ de antiquis Saxoniæ coloniis, ab alia tamen manu afferuntur.

(i) Videndum eſt utrumque *Anonymi apud Piſtor. tom. I. Meibom. tom. I. Chronicon Mindenſe in init.*

(k) *Albertus Stadenſis ad annum* DCCCXXVI.

(l) *Monachus Egoliſmenſis* in collectione Schilteriana *p.* 62.

XXXI. Nunc videnda loca quæ ſeculo adhæſerint. *Divitenſe munimentum* (quod tamen poſt etiam ſed ſero Colonienſi Archiepiſcopo ceſſit) ex adverſo Agrippinenſis coloniæ, ad Romanam originem referendum, utpote ab Imperatore M. Flav. Val. Conſtantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis, erectum, ſi genuina fuit tabula lapidea, ex qua Rupertus Abbas Tuitienſis id narrat (a); medio ſeculo appellatur ſæpe *Tuitii* & *Duitia* nomine [b], unde noſtrum **Duyts.** *Rittinga* hodie Montenſis Ducatus urbis, duobus a Rheno milliariis, etiam vetuſta ſatis eſt memoria, ejus enim jam ſeptimo ſeculo fit mentio, quo victis Boructuariis, Saxones eam occuparunt & fere redegerunt in tumulum [c]. *Ereſburgum* ad Dimolam [noſtrum **Stadtberg**] celebri illo Saxonum cum Francis bello ſeculo octavo innotuit [d], imprimis memorabile famiſiſſimo illo Irmenſulæ idolo, quod tam opere exercuit Antiquitatum Germanicarum ſcrutatores [e], propugnaculum munimentumq; firmiſſimum, non Francorum ſolum temporibus, ſed & Conradi I. ævo ab Henrico Aucupe inſeſſum, ut memorat *Witichindus*. iſto bello Franci quoque *Sigeburgum* ad Ruram expugnarunt, occurrit etiam *Brunsberga* [b] prope Hœxteram, & *Buki* [g]. Werla ſub ſequentibus Imperatoribus, in multorum diplomatum ſubſcriptione invenitur [h], luculento teſtimonio eos ſæpe ibidem fuiſſe commoratos; Witichindus *Werlaon* vocat [i], narratque Henricum Aucupem anno DCCCXXIV, cum Hungari irruptionem

in

in Germaniam feciſſent, hac in urbe fuiſſe in præſidio. *Tremoniam* etiam recentiores Weſtphalici ſcriptores, hoc tempore non ignobilem fuiſſe contendunt, ſed miſere ab Hungaris, Germaniam ſub Ottone I. vaſtantibus, afflictam habitamque (k). *Suſatum* Henrici Leonis ævo ſatis eſt clarum (l). *Theotmellum* (m) eſt Detmolde/ hodierna Comitum Lippienſium ſedes. *Pattberga* (hodie vicus in Colonienſi Weſtphalia) ſede Comitum medio ævo celebratur (n). neſcio an ad finem usq; premendum fuerit Brouckium ad Ruram, haud longe a Duisburgo; nam etſi id haud ſæpe obvium ſit in libris noſtri intervalli, exiſtimatum tamen eſt a Viris Doctiſſimis, id ſervare memoriam celeberrimi veteris Bructerorum nominis. (o) Sunt plurima qua huc pertinent reliqua: *Ulculbi* aut *Huculin* ad Wiſuram, *Skideronburg* &c. apud *Anonymum Poetam*, *Egolismenſem* &c. ſed ultra ſpecimen gradiendum non eſt.

(a) Docente *Cluverio German Antiq. l. 2. c. 17.*

(b) Confer. *Schaten dict. l. 5. hiſtor. Weſtphal. p. 308.*

(c) Factum id eſt anno DCXLVII. rem narrat *Marcellinus in vita ſuiberti cap. 2.*

(d) Eresburgum eſſe hodiernam Stadtbergam docuit *Ferdinandus Furſtenbergius* (dum viveret Doctiſſimus Germaniæ Epiſcopus, quem Muſæ non minus amarunt, quam ipſe eas coluit, teſtes ſunt egregia, melque merum ſpirantia carmina, quæ leguntur inter ſuptem virorum Illuſtrium pœmata ab Elzevirio excuſa) *in Monumentis Paderbornenſ. p.* 102. adductis *Adelmi*, *Rheginonis* aliorumque locis. Vide quoque de Eresburgo hoc, *Diſſertationem Dn. Paullini*, quæ in vol. *Diſſ. Varior. Monaſt.* eſt prima.

(e) Variæ Variorum ſunt opiniones, videndi ſunt *Meibomius de Irmenſula Saxonica*, *Schurtzfleiſch Diſſ. de Witekindo.* & *Dn. Waſſerbach* (a quo corpus ſcriptorum Weſtphalicorum exſpectat Eruditis orbis) *de Irmenſula.* Forte non inanis eſt Maſii conjectura, qui inductus *Adami Bremenſis* narratione, ſtatuam Univerſalem interpretatur in Antiquitat. Mecklenburg. c. 1. §. 6. nam deſciverunt poſtea Germani ab antiquo illo ſimulacrorum odio, quod nobis ita clare ob oculos ponunt Romani ſcriptores, interim nec illa opinio ſuis rationibus deſtituitur, quam tuentur, qui ſtatuam Arminii intelligunt, præprimis ſi quis argumenta apud Hachenbergium noſtrum inſpiciat, quæ recentiores poſtremæ ſententiæ aſſertores fere præterviderunt.

(f) Non Caroli M. tantum ævo, ſed ſæpiſſime etiam in hiſtoria ſeculi duodecimi, ubi collocatur in Warfo ſive Ripa Wiſaræ. Vid. *Dn. Paullini, Diſſert. Varior. Monaſter. V. §. 15.* ibique allegatos.

(g) Vid. *Monument. Paderbornens. p. 139. ſeqq.*

(h) Apud *Schaten in hiſt. Weſtphal.*

(i) *lib. 1.*

(k) Multa non hujus ſolum urbis comiratusque, ſed vicinarum regionum enucleata eſſet, ſi ederetur, *Detmari Molleri* Tremonienſis & *Cornelii Mevii* Effen-

dienſis *deſcriptio Comitatus & urbis Tremonienſis Geographico hiſtorica*, quæ integro volumine ſervatur Manuſcripta, in Bibliotheca Meibomiana.

(l) Vid. *Meibom. Introduct. ad Saxon. Inſer. hiſtor. p. 88.* ubi de hoc ipſo Suſato contra Lambecium diſputat.

[m) Vid. *Albert. ſtadenſem p. 183.* in collectione Schilteriana.

(n) Probat id ex variis chartis *Dn. Paullini in Diſſert. Varior Monaſter. p. 48.*

(o) Conf. *Conring. in not. ad cap. 1. lib. 1. de finib. Imper.* & *Dn. Hertium in Notit. Vet. Germ. populorum p. 71.*

§. 32. Sequuntur Suevi, quorum varias in antiqua Germania ſedes migrationesque afferre, non eſt hujus loci. Initio ſeculi tertii iis Alemannorum nomen tributum legimus (a), ex variarum diverſarumque gentium in unum corpus confluxu (b), ita tamen ut Svevorum appellatio quodammodo etiam perduraret, ſunt, qui ab Alemanno fluvio, conjectura non adeo improbabili, derivant, ſed Cluverius hanc etymologiam non obſcure nugamentorum autoribus tribuit (c). In primis limitibus Alemanniæ deſignandis, valde a ſe invicem abeunt Viri docti; equidem ſupra, Alemanniam Mœno a Francia Prima disjunximus, ſed quemadmodum id ad tempora poſt Clodoveana referendum eſt, ita licebit in ſequentibus, Lonam, utpote primum limitem inter Francos Alemannosque ſequi, cum certum ſatis videatur, Francos, ante Tolbiacenſem pugnam ad Mœni ripas non pertigiſſe (d). Hic vero Alemannorum populus, cum antea modica regione, ab altero latere verſus meridiem Danubio contineretur, tractu temporis in tantum potentiâ crevit, ut juſtis non ſolum exercitibus, ſæpe in vicinas regiones excurreret, ſed ipſis Romanis vel nomine terrori eſſet. Unde magnarum portionum acceſſio ipſi obtigit; trans Danubium enim Rhætias occupavit, trans Rhenum vero Helvetias, cum magno ad Rhenum ſuperiorem reliquo tractu. Sed quæ ita efflorverat ſub variis Regibus majeſtas, tandem ultimo eorum in memorato Tolbiacenſi prælio, Francorum armis victo atque interfecto (f), concidit. Inde Alemannorum regio, etſi forte tum nondum omnis, pars regni Francici facta eſt, quod ſupra (g) monuimus ante id ævum, nondum prolatum fuiſſe ad Mœnum Salamque, ſecus ac docuit Tritenhemius. Reſuſcitata eſt Sveviæ appellatio ab eo tempore, prope ſuppreſſa Alemannorum nomine, in parte occidentali, quæ tandem Conrado I. Imperante, Burchardo Svevo tradita (h) eſt, a quo ad Conradini infandam necem, Ducatus jure & titulo eminuit; Pars vero orientalis, ad utramque Mœni ripam late dif-

diffusa, a Francorum colonis qui ibi sedem fixere, Franconiæ nomen accepit (i), Quam administrarunt sub Carolingorum ultimis, Albertus Bambergensis & Conradus Herbipolensis, Conradi I. Germaniæ Regis pater, miris inter se odiis exagitati. Moderati sunt Franconiam deinde, cum ad regnum eveherentur, Saxones, usque dum vetustam avorum gloriam revocaret Conradus Salicus, duraturam ad Henrici V. tempora, tum enim cessit Svevis quorum ultimum diximus Conradinum.

(a) *Ælius Spartianus* scriptor historiæ Augustæ *in Caracalla c.* 10.

(b) Huc tacit *Asinii Quadrati* apud *Agathiam lib.* 1. locus. Confudit hunc Asinium Quadratum cum Asinio Pollione vetusto illo, quem *Strabo* bina Rheni ostia descripsisse autor est, Cluverius *Germ. Ant. lib.* 3 *cap.* 4 indeque ultra Strabonis tempora, Alemannorum nomen perperam produxit, castigatus ob id. perstrictusque ab Isaaco Pontano, sed nimis acerbe, pædagogico ac quam decebat, talem tantumque virum, epigrammate. conf. *Dn. Werlhof Not. Imp. Enucl. l.* 1. *c.* §. 54. interim *Asinius* ille, dequo *Agathias* loquitur, forte is est, cujus meminit *Suidas* Lexicographus, & qui vixit circa medium seculi tertii.

(c) *Germ. Antiq lib.* 3. *c.* 4.

(d) Vid. *D. Werlhof. Not. Imp. Enucl. lib.* 1. *c.* 2. §. 89.

(e) Quod late deducit *Crusius Annal. Suev. l.* 5. *& 6.*

(f) Nomen Regis nullibi apud scriptores occurrit, conjicit *Celeb. Hertius*, intelligendum forte Gibaldum. *Not. Veter. Germ. popul p.* 95. vulgo tamen Alaricum adferunt, vid. *Dn. Coccejum Jur. publ. prud. c.* 3. §. 2.

(g) Singularis hac de re est Philippi Vorburgii, Venerabilis olim Monasterii Grandis Vallensis Præpositi, conjectura, existimantis, Francos prævalentibus Saxonum inter Visurgim & Rhenum viribus, sedes promovisse ad Lonam, Fuldam & Moenum, reliquiis Burgundionum, quas ibi reliquas fuisse credit, prius excisis *tom.* 6. *p.* 298. *& alibi*, quæ loca allegat *Dn. Werlhof. Not. Imp. Enucl* l. 1. *C.* 2. §. 92. mihi enim non licuit esse tam felici, nunc quidem ut potuerim manibus usurpare doctissimum, pterioſisſiumque illud opus) add. Dn. Gundling. Dissert. de Conrado 1. §. 6. lit. O. Quantum Francis acquisitum fuerit post Tolbiacensem pugnam ex Alemannia, de eo dubiorum plenissimam ex variis autoribus vide Dissertationem, apud *Dn. Werlhof. cit.* §. 85. *lit. C.*

(h) Ekard. Jun. de Cas. Monast. S. Gall c. 1.

(i) Conf etiam *Dn. Gundling. d. Dissert.* §. 6. *lit. O.*

(k) Conferatur *Coccejus Jur. Publ. prud. c.* 3. §. 96. *seqq.*

§. 33. Cum ergo, prius quam Mœnum transgrediamur, magnam Sveviam visuri, restent adhuc quædam inter Lonam Mœnumque, de illis videndum. Tractus Lonæ vicinior mediis seculis *Wetterethia Wedrevia Wedrovia* (a) vocatur, (hodiernum nomen est die Wetterau)

occurrit in illo Wilinaburch, ſive Wilineburch, civitas Conradi Franci, Conradi I. Imperatoris Patris; nam etſi id diverſi diverſis in locis quærant, longe tamen probabiliſſima eſt Meibomii Sententia, qui ponderatis probe omnibus, quæ apud Witichindum occurrunt circumſtantiis, exiſtimat intelligi debere Weilburgum Naſſoviæ, cui calculum adjicit Excellentiſſimus Gundlingius (b).

(a) priora occurrunt ſæpe apud *Witichindum & Rheginonem*, poſterius in *Epiſtola Gregorii II. Papæ* pro Bonifacio ſcripta, quam ſupra ex Freheri Origin. Palat. part. 2. cap. 7. allegavimus. Ceterum referenda eſt Wetteravia, aut pars ejus minimum, tempore Ottonis M. ad Pagum Haſſonum, quemadmodum id ex diplomate Ottonis M. conceſſo Eccleſiæ Magdeburgenſi, probat *Dn. Hertius Notit. Veter. Germ. pop. p. 74.*

(b) ſæpe laudat *Diſſert. de ſtat. Reipubl. Germ. ſub Conrado* I. §. 6. *lit. L.* juvat quoque quod memoratus Conradus, ſæpe apud ſcriptores, nomine comitis Wedrovlæ occurrat. V. Meibom tom. 1. Rer. Germ fol. 674.

§. 34. Verſus Mœnum fuit haud procul a Rheno *Cuffenſtein*, contra Moguntiam, ubi Carolus M. anno 795. conventum generalem contra Saxones habuit (a), etſi enim non addatur, an in meridionali, an in ſeptentrionali ripa fuerit, credo tamen eſſe illum ipſum locum, quem quædam tabulæ hodie Coſtheim, quædam propius Coſtein vocant. Adverſum amnem adſcendentibus, *Francofurtum* in ipſa ripa offertur, de cujus origine multa docentur fabuloſa (b), nomen a vado Francorum eſt, quod ipſi, ſuis Guntherus & Otto Friſingenſis temporibus, non aliter cepere (c), inde apud Scriptores fere ſemper Francofort & Franconefort legitur. Sed quo tempore, illa appellatio primum fuerit audita, quis tranſitus nomen dederit, aut quo demique tempore initia fuerint jacta tam celebris medio ævo loci, haud conſtat. Sufficit ſedem ſæpe fuiſſe Caroli M. & ſequentium Imperatorum, conventibusque frequentiſſime uſurpatum, quam ob cauſam ubique curiæ regiæ & villæ Regiæ titulo ſplendet, ac in Sigillis antiquis, ſpecialis domus imperii dicitur. (d) *Saxenhauſen* quidem in altera amnis ripa eſt, ſed cum unam cum Francofurto civitatem conſtituat, ab eo hic non eſt divellendum. Vulgus ſcriptorum credidit, urbem ſive caſtellum, hoc in loco fuiſſe conditum a Witikindo M. in bello contra Francos, ſed hoc recte refellit Winckelmannus in chronico Haſſiæ, potius exiſtimans familias quasdam Saxonum hoc loco a Carolo M. victore collocatas,

tas, nomini originem tribuiſſe, quam conjecturam juvat Eginhardi locus[e].

(a) Plures ad *annum* 795. vid. interim Albertum ſtadenſem.

(b) Quemadmodum ea quæ de Heleno Priami filio, urbis conditore afferunt *Trithemius*, *Munſterus*, *Irénicus* & *Hennigeſius*, aut de Arauno *Dillichius*. Neque minus incerta ſunt, quæ de Romana origine ex inſcriptionibus Favonii Varî & M. Aurelii Pompejani colliguntur. De Genebaldo autem Francorum Duce tot miſcent ineptias, ut iis immorari, operæ non ſit pretium.

(c) Ille *Liguriui lib.* 1. hic *in vita ejusdem Friderici I. c. 43.*

(d) Vetuſtiſſimum adhuc Palatium parte ſupereſt, de quo *Marquardus Freherus in notis ad Petr. de Andlo l. 2. c. 2.* ita: *Eaque civitas Regum domicilio, habitisque ibi curiis & ſynodis, inter primas clara fuit. Palatii Regii, ſive (ut Francorum propria voce utamur) Sala veſtigia, in ea domo ſuperſunt, qua Saalhof etiamnum dicitur. Annales Fuldenſes paſſim, Rhegino lib. 2. Chron. ad ann. 876.*

(e) *In vit. Caroc. M. cap. 35.*

§. 35. Regio quæ Mœnum ac Nicrum interjacet, Probi Imperatoris, ac poſt Gratiani arma ſenſit (a), unde multorum locorum initia ad Romanos referuntur. Videbimus exſtantiora: *Triburia* celebris villa regia, in ſubſcriptionibus diplomatum Carolini ævi ſæpiſſime occurrens, ſita fuit non longe ab hodierna Geravia, eo loco qui hodie reliquias & nomen Treber ſervat, e regione Oppenheimii (b). *Seligenſtadium* noſtrum Selingenſtadt in ripa Moeni, ubi Eginhardus cœnobium ſtruxit ex prædiis Mulenheim ſuperiori & inferiori, in pago Moynecgowe (c). *Lauresham* Monaſterium, quod & Lauresheim, Laureacenſe monaſterium & Lauriſſam vocant (d), in inſula Aldenmunſter in fluvio Wiſgotz, quem hodie die Weſchnitz appellamus, Williswinda mater, cum Cancore filio, Rhenenſis pagi Comite, tempore Pipini Regis fundavit, Rutgangus Metenſis Archiepiſcopus B. Nazario, allatis illuc Roma ejus reliquis, conſecravit, poſteriores vero Germaniæ Reges, ita opibus auxerunt, ut cum magnò Epiſcopatu potuerit contendere. Taſſilo Bavariæ Dux violatæ erga Carolum M. fidei reus, in hoc monaſterium fuit detruſus, cujus ibi monumentum adhuc conſpicitur. ſepulti item hic ſunt varii Germaniæ Reges (e). *Winenheim* Windenheim, hodie Weinheim, etiam frequenter occurrit; nollem tamen id nimis fidenter, cum Frehero [f] patriam celebris iſtius Windogaſti, cujus in Salicarum legum prologo mentio fit, facere, aut cum Heppenheimio, Bibelsheimio, Gernichesheimio, Seheimiò & aliis, a Romanis Vinidio, Heppio, Gernicio, Bibulo, Sejo

&c. derivare (g). eſt in hac ipſa regione quoque celebris illa ſylva, quam vulgo Ottonicam vocant, in cujus nomine varii errarunt. (h) tandem in ipſa Nicri ripa locamus Auſonii Lupodunum, hodiernum Ladenburg, quod varie flectitur in medii ævi monumentis, mox enim Loboduna mox Lobbeddenburg, mox Lobodone & caſtrum Lobodonenſe appellatur, in Sigillis civitatis eſt Lobdenburg & Lobdenpurg (i)

(a) De priore videndus eſt *Fl. Vopiſcus in vita* ejus, de poſteriori *Auſonius in Carmine de Moſella*.

(b) Vid. late hæc deducentem *Freberum Orig. Palat. part.* 2. *c.* 5. add. quoque *Dn. Gundling. Diſſert. de ſtat. Reip. Germ. ſub Conrado I.* §. 7. *lit. y.*

(c) Vid. eund. *Freh. part.* 2. *c.* 6.

(d) *Luitprandus* Lauresheim appellat in *Annal. Pithoeanis p.* 105. *Otto Friſingenſis* Laureacenſe Monaſterium ſæpius, *Trittenhemius paſſim* Lauriſſam.

(e) Vid. late *Freher. Orig. Palat. part. I. c.* 6. *p.* 63. & 64.

(f) Sæpius *cit. lib part.* 2. *c.* 5. *p.* 17.

(g) loco præcedenti lit. citato, neque enim argumentum ex *Paulo L.* 11. *ff. de Evi-ction.* multis magni ponderis videbitur.

(h) Uti *Celtes*, *Willichius*, *Pirckheimerus* & alii, nam vocabulum *Odenwald* huic jam ſylvæ tribuitur ab *Eginhardo in hiſtoria tranſlationis SS. Marcellini & Petri, apud Surium tom. VII. ad* 2. *Junii.* uti recte animadvertit *Freberus Orig Palat. part.* 2. *c.*

(i) Videndus eſt *Freher. Orig. Palat. part.* 1. *c.* 7. ex quo forte non injucundum erit audire, quantum hoc invento ſibi placuerit, is vero ita : *Pagum Lobodonenſem nulli mortalium prater me* [*quod ſciam*] *hoc tempore cognitum, mea opera inuenuiſſe, poſteritas ſi qua futura eſt, candide probabit.* item : *ego princeps cum virgula divina* erui, de Origine hujus Lupoduni vid. eundem *Freh. cit. lib. part.* 1. *c.* 4.

§. 36. Nicrum transgreſſos, in ipſo angulo, quem is cum Rheno facit, Manheimium offendit, quod Valentinianus ad Nicrum fundavit, ut valde eſt veroſimile (a). inde non ultra tria milliaria diſtat Heidelberga, nobilis ad finem vergente noſtro intervallo urbs, ſed antiquitate enarratis haud comparanda, utpote cujus ante duodecimum ſeculum non invenitur veſtigium (b)

(a) Confer. *Freh. cit. lib part.* 1. *c.* 4. qui locum *Ammiani Marcellini* qui eſt *libr.* 28. multa probabilitate huc trahit. Romanam originem quoque juvant inſcriptiones ibidem repertæ, apud *Heroldum de Stationib. legion. in vet. Germ. cap.* 15. adductæ.

(b) Remittimus lectorem, ad *Pauli Meliſſi commentatiunculam de urbe Heidelberga*, apud

apud *Freh. cit. l. part.* 1. *cap.* 9. & *Freheri* ipſius *cap.* 10. item chronicon breve Heidelbergenſis civitatis quod ibidem exhibetur. *part.* 2. *cap. ult.*

§. 37. Inter Nicrum & Danubium, *Cluverius* (a) collocat urbes veteri ævo eminentiores: *Aras Flavias* Aurach / *Samolucenim aut Alcimoennim* Ulm / & *Solicinium* ſultz. *Geographus Ravennas* ſuo tempore *Altam Ripam, Wrcacham, Porcam* memorat, quas *Celeb, Hertius* (b) Altripe, Aurach / Pforzheim interpretatur. ſequiori ævo deinde *Radena* (c), *Beutelſbachim, Tecka, Tubinga* Palatinatu nobilis, occurrunt (d). *Weiblinga* celebri Gibellinorum nomini originem dedit, annalibus ſeculi duodecimi & decimi tertii ſæpe memorata (e). ſingula liberarum hodie Imperii civitatum his oris initia, hic pervagari extra inſtitum eſt. *Ulma* tamen Caroli M. tempore, Regalis villa. *Reutlinga* ſub Comitibus de Achalm ac *Hala* quæ Halleris (f) denen Hellern nomen dedit, utique debuerunt nominari.

(a) *German. Antiqu. lib. 3. cap. 4.*

(b) *Notit. Vet. German. popul. p. 93. & 94.* apud *Ravennatem locus eſt. libr. 4. §. 26.*

(c) Videndus eſt *Schurtzfleiſchius de Rebus Badenſibus.*

(d) Latioris hæc ſunt diſſertationis quam ut hic excuti poſſint, videndus eſt interim Cruſius *Annal. Suev. part. 2. lib. 10. variis capitibus.*

(e) Placet de ea verba *Andreæ Presbyteri* adferre, is vero ita *p. 25. collectionis Schilteriana*: *Fridericus ad confuſionem Welfonis præcepit clamari in exercitu ſuo,* hie Gieblingen. *eſt autem Gibeling villa Auguſtenſis Diœceſis, ſita in montibus,* auf dem Hertfeld / *infra caſtrum dictum Hochburg & oppidum Neresheim, in qua villa nutrix ipſum Fridericum infantem lactaverat; quaſi per hoc volens ſignificare, quod non regali potentia, vel per Ducatum Svevia Welfonem vellet debellare ſed lacte nutricis ſuæ. Italici autem, Gallici, Longobardi & Siculi non intelligentes quid eſſet,* hie Welff / *& quid eſſet* hie Gibelingen / *quæſiverunt ſibi exponi, quibus declaratum fuit, quod papales ſignificarentur per* Welff / *& Imperiales per* Giebelingen. Confer etiam *Boecler. in not. ad Æneæ Sylv. hiſtor. Frider. III. Imper. p.* 124.

(f) Confer ſupra *Hachenbergii noſtri Diſſert. de Rerummaria Vet. Germ.* & *Dn. Ludwig. Diſſ. de Hala Suev.*

§. 38. Quæ trans Danubium; Alemannis ceſſit Rhætiarum portio, Romanorum olim provincia, late Orientali Rheni ripæ prætexta, antiquiori ævo clariſſimis conſpicua fuit urbibus, quarum plurimæ, medio ævo poſitis libertatis initiis coruſcant; quo tamen intervallo, quarundam etiam primordia jacta ſunt (a). *Auguſta Vindelicorum* ſub Romanis colonia militaris, *Strabonis* Damaſia [b], poſtquam diu Sueviæ Ducibus paru-

paruiſſet, tandem pretio, ſtrictiori nexu exſoluta eſt ſub infelici illo Conradino [c]. *Uberlinga* ſede Ducum Sueviæ nobilis. *Bieberacum* jam ſeculo octavo reperitur. *Kaufbeura* ſub Hoſiorum Dominorum olim poteſtate, Conradi II. auſpiciis ad libertatem evecta eſt (d). *Brecchea* (e) veterum *Bracum ſacrum*, hodie Briſach. *Arbore felix* **Arbon**. *Bracantia Brigantium* **Bregenz**. Monaſteriorum etiam ſplendidiſſime dotatorum, intervallo noſtro maximus eſt numerus (f): *Dives Augia* **Reichenau** ſive Rychau Inſula Lemani ſive potius Cellenſis lacus, a Carolo Martello jam ſeculo octavo conſecrata eſt, cujus reditus ad ſexaginta aureorum millia quotannis adſcendiſſe feruntur, quæ ipſa divitiarum magnitudo nomini cauſam tribuit, cum antea **Sindleheſow** diceretur. *Marchthalenſe*, *Weingartenſe Vrſpergenſe* ac *Lindavienſe* Monaſteria, mediis ſeculis cum aliis, itidem celebris famæ fuere.

(a) Videndus eſt in genere *Cruſius in Annal. Suev.* ne nimis cogamur cumulare loca, interim ibi quoque ſunt mala mixta bonis, multis quæ ſatis fideliter dicta ſunt, teſtimoniis ſcriptorum non corroboratis, nunquam etiam forte corroborandis.

(b) Uti *Cluver. Germ. Ant. lib. 4. c. 4.* explicat.

(c) Varia Imperatorum privilegia urbi conceſſa vid. in multis Diplomatibus in *Collection. ſcript. rer. Germ. Schilteri.*

(d) de ea etiam diploma eſt in *Colloct. Schilteriana p. 179.*

(e) Hanc memorat & ſequentes *Geographus Ravennas libr. 4. §. 26.*

(f) Magnam lucem his omnibus fœneratura eſſet, viri ſummi Johannis Ulrici Pregizeri, qui paucis abhinc acerbiſſimo Doctorum dolore rebus humanis exceſſit, *Sueviæ ſacræ*, ſi is theſaurus hactenus publico non invideretur. Utendum interim *Franciſci Petri Sueviæ Eccleſiaſtica*, quæ 1669. *Auguſt. Videl. in fol* prodiit, usque dum ipſi fontes nobis apertius pandantur.

§. 39. In *Francia* aut Franconia proprie dicta, circa orientalioris Moeni ripas, antiquiſſima urbium eſt *Wurtzburgum* ſive *Herbipolis*, medio ſeculo octavo auſpiciis Pipini Epiſcopatu nobilitata (a), hinc *Papeberga* Babenberg (b) & Bamberg, quam Henricus II. miro pietatis prætextu, conſiliis Uxoris Cunigundæ, Eberhardo (c) Cancellario ſuo primo conſtituto Epiſcopo, Eccleſiæ conceſſit. de *Noriberga* quando condita & ad libertatem poſtea adſpiraverit, item controverſiis cum Burggrafiis videndus eſt Wagenſeilius (d). *Weinſheimii*, *Rotenburgi*, *Weiſſenburgi* aliorumque, etiam ſatis frequens eſt noſtro intervallo mentio, nunc quidem a nobis non adferenda.

§. 40.

(a) Vid. *Brusch. de Epiſc. Germ. cap. 9. p.* 151. ubi de initiis chriſtianæ religionis his oris, de titulo & jure Ducis Franconiæ vid. Limnæum in *addit. ad libr. 3. de do jur. publ. p.* 125 *tom. 4.*

(b) Vid. *Albertum Stadenſem ad annum* 1068.

(c) Vid. Bucellin. part. I. Germ. ſacr. fol. 23. ſeqq.

(d) In *Commentatione de S. R. I. libera civitate Noriberga, Altorf.* 1697. 4.

§ 40. Succedit *Thuringia*, cujus prima quantum conſtat, fit mentio apud *Vegetium in Mulomedicina* [a]. Unde nomen iſtud derivandum ſit (b), non Certum magis eſt, quam quibus accuratis, juſtisque circum ſcribenda limitibus ſit regio. *Sagittarius* (c) occidentali Thuringiæ tribuit Haſſiam, Orientali Oſterlandiam Miſnicam, & Meridionali hodiernam noſtram Thuringiam, oportet ſane, latiſſime diffuſam fuiſſe gentem cujus tria memorantur regna, & quæ a natione Francorum, usque ad Oceanum contra ſeptentrionem protenſa dicitur (e), ea enim ipſa regio, quæ inter Hartzicam ſylvam, Salam & Albim, ad Haveli ripas & Alarim explicatur, etiam ipſis poſtea Saxonibus dominis, tempore Ottonum Imperatorum, pagi aut provinciæ Nort Thuringicæ nomine occurrit [f]. Regum qui genti præfuere ultimus memoratur Herminfridus, a Theodorico Auſtraſiæ Rege, ope fratris Clotarii, ad Unſtrutam devictus dobellatusque. Auxilium Francis tulere Saxones, Duce Hatugato, quibus ea res fraudi non fuit, toto quippe tractu, quem cis Unſtrutam occuparant iis cedendente [g]. ſed interpellat, qui Vorburgii ſuſpicionem, alio ſchemate magna animi contentione demonſtrationis locum fere juſſit occupare; Scholæ Numburgenſis Rector *M. Chriſtophorus Laurentius* (h). contendit is: Francorum monumenta in Thuringia eſſe efficta, Thuringorum illud Regnum eſſe figmentum, incuriam librariorum, convertiſſe Tungros in Thuringos, uno verbo, omnia illa, quæ Francici annales, in Thuringia geſta, factaque eſſe memorant, intelligenda de Tungria in Gallico ſolo. Equidem inficiandum non eſt, in Codicibus veterum ſcriptorum manuſcriptis, ſæpe confuſas fuiſſe duas appellationes maxime ſimiles; ſed non erant tam audacter, adeo levibus rationibus, convellenda potiſſimorum ſcriptorum effata; mirum vero eſt, cum Witichindi autoritatem de Saxonum in bello Thuringico auxiliis ubique elevet, ab eo involutum ſilentio eſſe Eginhardi locum, quem Adamus Bremenſis nobis ſervavit, utpote ſcriptoris & doctiſſimi, & ſive veteris ævi geſta, ſive temporis ſui hiſtoriam memorat,

morat, ſtudioſiſſima fabularum vitatione conſpicui. Quicquid ſit, in eo tamen cum ceteris convenit, medio ævo in tractu qui præ manibus eſt, nobiliſſimam conſediſſe Thuringorum gentem, etſi eam a Suevis (i) cis Rhenum (loquor ſenſu Romanorum) derivet.

(a) Sive in *Arte Veterinaria l.* 4. *c.* 6. dubium eſt, an hic *Vegetius* idem ſit cum illo Flavio Renato Vegetio, Comite Conſtantinopolitano, cujus rotiſſimi de re militari ad Valentinianum II. Auguſtum exſtant libri. Mulomedicinæ editionem primam habemus Baſileæ 1528. 4. apud Joh. Fabrum Emmeum, ſecundam caſtigatiorem ibid. 1574. 4. curante Sambuco, ut de Italica, Gallicaque verſione nihil dicam.

(b) *Sagittarius* cenſet *Antiq. Regn. Thuring. c.* 4. §. 9. cum Scheffero, deductam eſſe gentis appellationem, a Deo Thor, unde Germanicum Thoren. *Conringius* derivat ab Hermundurls, de Antiq. ſtat. Helmſtad. p. 76. ſeqq. *Danckwerth* vero in *deſcriptione Ducat. Slesvic. & Holſat.* contendit Thuringos dici quaſi die Thoren, ab inertia & fatuitate, cum his vitiis ab antiqua virtute deſciviſſe Cheruſcos, memoret Tacitus. *Cluverius Germ. Antiq. lib* 3. *c.* 27. exiſtimat ſcripſiſſe Tacitum in libello de Mor. Germ. c. 40. *Deuringos*, quod imperiti librarii mutarint in *Reudingos*. Sed ejus in Codices violentia ſatis ab eruditis notata eſt, etſi in hoc argumento non diſplicuerit Bucherio. *Laurentius* in *Monimentis Sueverum in Thuringia. Naumb.* 1706. 4. publicatis p. 6. eos a Suevis ad ſuperiorem Rhenum derivat, nam cum apud Heroldum (poterat etiam *Serarius in Moguntiacis l.* 1. *c.* 12. qui Heroldum ſequitur adduci) *de ſtatione Legion. in vet. Germ. c.* 25. vocem Θβειγγας apud Ptolomæum, non de fluvio, ut paſſim fieri ſolet, ſed regione explicatam offendiſſet, continuo ex his Oberringis facit Doberringos, deinde, cum *Stumphius* infra Rheni Augiam, fluvii Tauri vel Durii mentionem injiciat, exiſtimat a Turgovvis illis ſcriptionem Turingiæ pro Doringia invaluiſſe, atque ita commentum quod in *Diſſert. de Monimentis Romanorum in Thuringia* protulerat, alio commento corrigit.

(c) *Antiq. Regn. Thuring Lib.* 2. *c.* 12.

(d) *Paul. Æmilius de reb. geſt. Francor. in Childeberto.* 14.

(e) *Sigfridus Presbyter Miſnenſis Epitom hiſtor. lib.* 1.

(f) Vid. id ex *Ditmaro Merſburgenſi* probantem *Meibom. introd. in Not. Sax. Inf. p.* 10.

(g) Confer. *Sagittar. Ant. Regn. Thur. L.* 2. *c.* 10. *ſeqq. & Meibom. introd. in Not. Sax. Inf. p.* 8. *p.* 10. ubi Francicorum ſcriptorum *Turonenſis* & *Aimoini* teſtimoniis, Francorum hanc expeditionem probat, ac cum illi Saxonum auxilia ſilentio prætermiſerint (unde Vorburgius narrationem *Witichindi* ſubleſtæ fidei accuſare ſuſtinuit) ex *Eginhardi* fragmento, quod *Adamus Bremenſis hiſtor. Eccleſiaſt. l.* 1. *c.* 4. ſervavit, eam confirmat, etſi ratione circumſtantiarum, negandum non ſit quædam dubia occurrere, tum apud Eginhardum, tum quoque apud Witichindum.

(h) In *Monumentis Francorum efficis in Thuringia.* Conatus eſt in *Monumentis Sueverum in Thuringia*, pluribus id argumentum demonſtrare idem auctor, ſed ſæpe

ſæpe conjecturis quibus vanitatis arguuntur priores cogitationes. ita, e. g. *Ruinburgum* quod antea ad Ruram locaverat, nunc in Alſatia quærit, & quos antea a Tulingis derivaverat, nunc ab Oberringis & Turgouis deducit.

(i) Negari equidem non poteſt, immigraſſe poſt Saxonum cum Longobardis in Italiam abitum, Suevos, docentibus id *Gregorio Turonenſi*, *Paulo Diacono* &c. ſed unde, & ex qua in ſpecie Sueviæ parte exierint, & in qua Saxoniæ parte, illi in ſpecie, conſederint, haud liquido poteſt definiri, nec ad tantæ difficultatis rem conficiendam, ſufficit in extremo aliquo angulo, vocabulum reperiri, quod multa contorſione in ſimilitudinem nominis de quo quæritur poſſit effingi, ut alia non addam. Forte non adeo a veroſimili alienum eſt, ſi hi Suevi ex antiquis Suevis, quorum fines ex Romanis ſcriptoribus ſunt notiſſimi, deriventur, qui invaleſcente Saxonum potentia, in arctum compulſi, poſtea ſe iterum explicarint, ut adeo neceſſarium non ſit Suevos qui Saxonibus ſucceſſere, ex locis Rheno vicinis accerſere. quamvis nemini hanc conjecturam, cujus ego ipſemet varia incommoda perſpicio, obtrudere audeam.

§. 41. Illo ævo, pars Thuringiæ Saxonibus, pars Francis paruit, usque dum ſub imperatoribus ex familia Saxonica, iterum coaluere. Landgraviorum qui inde huic regioni præfuerunt, exſtincta progenie maſcula, inter Henricum illuſtrem Miſniæ Marchionem & Henricum Brabantinum infantem, quorum uterque eam ſanguinis jure ſibi vindicare magnis motibus nitebatur, lis tandem ita ſopita eſt, ut Henricus illuſtris Thuringia proprie dicta hodierna, Henricus Brabantinus locis ultra montes & ſylvam potiretur, quæ portio ſub Landgraviatus Haſſiæ nomine innotuit, nobis hic videndi, orientali & meridionali Thuringia ad Saxoniam rejecta. *Haſſia* ergo, etſi ratione limitum hodiernorum, tota ad Thuringiam pertinuiſſe unquam probari nequeat, utpote cujus occidentalis pars inter Francorum populos, etiam tum cum primo occurrunt, referenda eſt (a), tamen ubi in orientem vergit, non dubium eſt, quin pars Thuringiæ fuerit. (b)

(a) Confer. Dn. *Werlhof, not. Imp. Enucl. lib.* 1. *c.* 2. §. 65. *lit. a.* & ibi allegatos.
(b) Vid. *Sagittarium de Antiqu. Reg. Thuringici l.* 2 c. 12.

§. 42. Ad fluvium Adranam [die Edet] ſe offert *Franckenberga*, originem a Francis, ipſo nomine ſatis clare exprimens, quam ad ea tempora refert Schatenus (a), quibus Thuringia ipſis acquiſita eſt. Badenfeldum ad eundem fluvium memorari *Auctori Annalium Caroli Magni*, obſervat *Dn. Herrius. Marpurgum*, ſi Veterum Mattiacum & Caſſella, ſi Caſtellum Cattorum, ut opinantur multi, oportet urbium harum pri-

mordia, in ipſam antiquam Geographiam incidere. Mediis ſeculis plurima mentio eſt pagi *Haſſi* aut *Heſſi*, qui & *Haſſiganorum*, *Aſſorum*, *Haſſonum* & *Haſſingorum* appellatione frequentiſſime legitur, a quo quemadmodum hodiernum nomen der Heſſen profluit, ita dubium non eſt, quin pagi illius appellatio e Cattorum veteri nomine levi vicinarum literarum mutatione fuerit derivata [b]. verſus orientem paululum oculos flectentibus, tractus qui Buchoniæ nomine venit, occurrit; ſunt ibi: *Grabfeldum* & *Salegowe* pagi, ac loca celebriora: *Fulda*, ubi Monaſterii fundamenta S. Bonifacius anno 744. auſpiciis Carolomanni & Pipini jecit, ibique Abbatem, qui Zachariæ Pontificis indultu, ceteris lautiora privilegia nactus eſt, conſtituit; *Geiſa*, *Lauterbachium*. [c].

(a) *Libr. 5. Hiſtor. Weſtphal. p. 302.* vid. etiam *Sagittar. Ant. Regn. Thuring. l. 2. c. 12. §. 29.*

(b) De Pago Haſſi, *Poeta Vetus in Carolo M. Francorum pagus qui dicitur Haſſi.* ceteræ appellationes ſunt apud *Witechindum*, *Aimoinum*, *Adamum Bremenſem.* &c.

(c) Confer. *Dn. Laurentium in Monum. Suevor. in Doringia p. 97.* ubi ex *Broweri Annal. Fuldenſibus*, *Mariani ſcoti*, *Sigeberti Gemblacenſis* & aliorum teſtimoniis, hic utentis quædam non ſpernenda adduxit.

§. 43. Luſtrandæ nunc ſunt regiones, quæ Viſurgi ad occidentem clauſæ, latiſſime in ortum usque ad Albim extenduntur, inquibus cum medio ævo ubique Saxónum nomen perſonet, neceſſario quædam de iis ſunt prænoſcenda. Nomen primo apud Ptolomæum [a] occurrit, qui eos Antonini Pii temporibus ἐπι τοῦ αὐχένος τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου ſive *in cervice Cimbrica Cherſoneſi*, eo tractu quem nunc Holſati tenent, collocat. Seculo *tertio* eorum piratica memoratur, cui reprimendæ Carauſio datum eſt officium. [b]; *quarto* vero, omnem oram maritimam ab Hadeleria usque ad Rhenum, & poſt mediterranea quoque circa Albim & Viſurgim fluvios occuparunt, ſuperſtitibus Francorum reliquiis ut probabile eſt belli, aut foederis lege in Saxonum nomen concedentibus. Demum acquiſita Thuringiæ parte, ceperunt dividi in Oſtvalos, *Angarios* & Weſtphalos, ac bellis quæ cum Francis a medio ſexti ſeculi, ſive temporibus Clotarii ad Carolum Magnum, fere per ducentos & quinquaginta annos geſſe-

geſſerunt ita effloruere, ut ipſi Caroloſ Magno Principi miræ fortitudinis & latiſſimarum provinciarum Domino, ſatis arduum fuerit, eos intra jus regni compellere [c]. Qui inde Saxoniæ fuerint Domini, dicere occupavimus cum de Weſtphalia ageremus, niſi quod addendum hic ſit: exauctorato Henrico Leone maximam orientalis Saxoniæ partem Bernhardo Ascanio, Alberti Marchionis filio ceſſiſſe.

(a) *lib. 2. c. 11.* varia eſt tum de origine nominis, tum de veteri gentis, aut regionis appellatione diſputatio. Vid. quoad Prius *Dn. Hertzius Notit. Vet. Germ. popul. p. 102.* cui non improbatur ſententia illorum, qui ab oblongis cultellis (den Sachſen) derivant. Quoad poſterius, Meibomii conjectura eſt: Saxonum res Taciti ævo Romanis, utpote tenues nondum innotuiſſe, atque eam cauſam eſſe, cur apud antiquos ſcriptores illorum nusquam exſtet mentio.

(b) *Eutropius lib. 9.*

(c) Nullum prolixius, nullum atrocius ac Francorum populo laborioſius bellum ſuſceptum, expreſſis verbis fatetur *Eginhardus*.

§. 44. Intra Viſurgim & Albiam [Nord Thuringiæ nomine veniſſe olim hunc tractum ſupra innuimus] ſub Ludovico pio *Hildeſia*, noſtrum **Hildesheim** Epiſcopatu inſignitum coepit florere, huic ſuccedit Slademenſis (a) ager, Comitatus nomine inſignis, ad quem arx & præfectura *Vinneburg* pertinuit, ceſſit is exſtinctis prioribus Dominis, Ducibus Brunſwicenſibus ac tandem Hildeſienſibus Epiſcopis, in eo celebris eſt vicus *Orbem* vel *Horem* ad Ocri fluminis ripam, ubi Carolus Magnus ingentem Saxonum multitudinem Chriſtiano ritu curavit baptiſmate ablui [b]. Deinde exſtincta Carolingorum familia, Henrici Aucupis [c] & brevi ſequentium Imperatorum auſpiciis, plurimæ fundatæ ſunt urbes & in iis Eccleſiæ, aut quarum antea jacta erant fundamenta, eæ hoc ævo ad majus ſunt evectæ decus, ſic *Merſburgi* ad ſalam Otto Magnus Boſonem conſtituit Epiſcopum, *Quedlenburgum* cœnobio S. Servatio dicato tumulatisque Henrici primi oſſibus nobile, rebus proſperis floruit usque ad ſeculi decimi tertii medium, quo Hoyeri Falckenſtenii acerbitatem magno ſuo malo expertum eſt. *Miſna* etiam Epiſcopum dedit Otto Magnus (d), *Magdeburgum* urbs & Archiepiſcopatus omnibus mediorum

Seculorum libris frequentiſſime memoratur, hunc poſtquam MDCCCLVXIII. erectus eſſet, Germani Imperatores, maxime Henricus II. per varias liberalitates ita dilatarunt, ut ingentem urbium numerum ditione complexus fuerit (e), imprimis huc referenda eſt donatione Ottonum *Hala* ad ſalam, quæ cum antea vicus ſub Slavico nomine Dobreboræ vel Dobreſolæ fuiſſet, ab Ottone II. nomen & formam urbis accepit. ante hæc tempora Carolus Magnus *Saligenſtadii*, quod poſtea Oſtervicum adpellarunt, anno DCCLXXVII. Epiſcopatum erexiſſe fertur, quem poſtea Ludovicus Pius *Halberſtadium* (f) tranſtulit, quæ urbs cum eo tempore inſignia naucisceretur incrementa, poſtea triſti fatorum malo prope fuit oppreſſa, cujus exemplum eſt in vita Henrici Leonis [g]. occurrit in ditione hujus Eccleſiæ inter alia *Aſcerſlebia*, quod nomen ut olim habuit ita nunc quoque ſervat, medio intervallo Aſcharia, & aliquanto poſt Aſcania dicta, propriis Comitibus aliquamdiu paruit, ſed poſtquam eorum ultimus Otto II, anno MCCCXX. improlis moreretur, devoluta eſt ad hunc Epiſcopatum [h]. ad Viſurgim *Brema* eſt, ubi Carolus M. DCCLXXXVIII. Epiſcopatum erexit, quem Ludovicus Germaniæ Rex, Ludovici Pii Imperatoris filius, copulavit Archiepiſcopatui Hamburgenſi, ſed Humbertus I. Epiſcopi titulum Eccleſiæ ſuæ vindicavit anno MCXXIII. (i), ſubjecti fuere huic parochiæ, ut loquitur privilegium (k) a Carolo Magno conceſſum, decem pagi, redacti tamen, abjectis antiquis vocabulis, in duas provincias novo nomine appellatas Wigmode & Lorgoe. ad Allarim ante quam illa ſe Viſurgi ingerit, *Ferda* vel *Ferde* Francorum annalibus memoratur (e), quo deinde translatus eſt Epiſcopatus qui Bardovici inſtitutus fuerat. (m).

(a) Vocat hunc Comitatum *Chronicon Lauterbergenſe ad annum 1130.* Comitatum Slachem. numerat eum inter opulentos illos ſeptem comitatus quibus Hildeſienſis Epiſcopatus conſtituitur, *Topogr. Germ. ant. p. 11.*

(b) *Annales Caroli M. ad annum 780.* cæterique.

[c] Is eam ob cauſam vulgo Theſeus Germanicus audit, ad quod nomen ingentem tamen diſparitatis rationem annotat *Meibom. Introd. in Saxon. inf. hiſt. p. 32.* ex *Thucydide lib. 2: & Strabone l. 9.*

(d) Videndus eſt ad hæc *Ditmarus Merſburgenſis Epiſcopus l. 1.*

[e] Confer. *Sagittarii Antiquit. Archiepiſcopatus Magdeburgici Jenæ 1684.* 8. publicatas.

(f) Hal-

[f] Halberſtadium idem *Sagittarius* illuſtravit *in hiſtoria Halberſtadienſi Jen. 1674.*

[g] v. *Meibom Introd. in Saxon. Infer. hiſt. p. 30.*

(h) Vid. *Dn. Reimanni Ideam Hiſtor. Aſcanienſis* Quedlinburgi ſuperiori anno publicatam. *p. 2. & 4.*

(i) v. *Meibom. d. l. p. 66.*

[k] Excerptum ex eo habes apud laudat. *Meibom. d. l. p. 57.*

(l) *Ad annum 783.* additur magnam Saxonum multitudinem Carolum M. manu Carnificis hic occidi curaſſe.

(m) De Bardovico hoc vidend. eſt *Henr. Meibomii Bardovicum, ſive hiſtoria ejus urbis a prima fundatione per varias mutationes usque dum deleta eſt. tom. 3. Rer. Germanic.* item *Sagittarius in hiſtoria Bardovici Jen.* 1675. Bardovicenſi Eccleſiæ primus præfuit celebris ille Suibertus, quem, *Crantzium* ſecutus *Bruſchius de Epiſcop. Germ. c. 14.* contendit Anglum fuiſſe, ſed *Ubbo Emmius* lib. 4. Rer. Friſ. rectius ex Friſia repetit.

§. XLV. Iſthæc ſufficiant de locis Eccleſiæ adſcriptis, progredimur ad eam partem, quæ Henrici Leonis poſteris, omni reliquo poſſeſſionum tractu adempto, remanſit. Ex quo inter Ottonem puerum Wilhelmi filium, Henrici Leonis nepotem ac Fridericum II. Imperatorem anno M CCXXXV. conveniſſet, ut inter Albim & Viſurgim inſignis tractus ſub Ducatus Brunſwicenſis & Lynaburgenſis nomine, a Welfica familia ad fœminas pariter ac maſculos deferendus, ſi hi deficerent, teneretur (a), ea propemodum facies emerſit qua hodiernum hujus oræ ratio conſtat. Pertinet huc celebre illud *Bardovicum* cujus jam mentionem injecimus §. præcedenti, *Brunſwiga* (b) non ſub Welforum ſolum Dominatu clariſſima urbs, quam fruſtra Philippus Imperator diſſidio cum Ottone IV. tentavit, ſed & ante, Ottonum Imperatorum temporibus, cujus ubique in harum regionum annalibus plurima fit mentio. *Lynaburgum, Hanovera*, ac Comitatus *Northeim* paſſim occurrunt (c). *Gottinga* memorantur ſub Henrico V. celebrata Torneamenta anno MCXIII. *Gandersheimium* [d] nobilis eſt Abbatia, quam Ludolphus Magnus Saxoniæ Dux conſiliis Altfridi Hildeſienſis Epiſcopi, præfecta ei filia Hathumoda, fundavit. Vetuſta etiam eſt *Hamelenſis* ad Viſurgim urbis memoria, de cujus exodo anno MCC LXXXIV. putidiſſimæ diſſeminatæ ſunt fabulæ, quas inter alios Samuel

Bri-

Erichius peculiari Libello defendit (e), ſed nugas eſſe ut opinor recte ac idoneis argumentis oſtendit Martinus Schoockius (f). Balthaſarus etiam Beckerus, cujus tot tantasque turbas in Belgio dedit Mundus faſcinatus, ſatis perſtrinxit hæc mendacia. porro in hoc tractu occurrit *Helmſtadium* [g] celebris conventu Benedictinorum ab Abbatibus Werthinenſibus ad Ruram dependente, urbs, quæ iisdem Abbatibus diu paruit, ſolo Advocatiæ jure primo Ducibus Saxoniæ, poſt Palatinis Sumerburgenſibus ac deinde Ducibus Lynaburgo Brunſvvicenſius competente, usque dum ſub finem periodi noſtræ Abbas Antonius, Wilhelmo Juniori Duci Brunſvicenſi, urbem pretio addiceret, reſervata ſolum tituli uſurpandi facultate. De Hercinia ſylva & Hartzburgo nunc nihil addimus.

[a] Videndæ ſunt Henrici Meibomii Avi tabulæ erectionis Ducatus hujus, quas ex hiſtoricis, notis illuſtratas publicavit ac deinde nepos inſeruit *tom. 3. Rer. Germanic.*

(b) Ex iis congeſta reperiuntur plurima apud ſcriptores, qui principum jura in Brunſwigam, & contra, urbis libertatem adſtruxerunt. Nota eſt controverſia inter Knichenium a partibus Principum & Dautium qui urbis ingenuitatem tueri conatus eſt, conferendus etiam eſt Franciſcus Algerus, cujus breve Chronicon Germanicum conatur Principum jura demonſtrare. Quoad originem urbis omnino videndus eſt, Vir Doctiſſimus Philippus Julius Rethmeierus in Antiquitatibus Eccleſiaſticis urbis Brunſwigæ vernaculo ſermone anno 1707. publicatis p. 11. ſeqq. ſumma eo redit: Fundatores fuere Ludolphi Ducis Saxoniæ filii Bruno & Tanquardus de quibus Engelhuſius:

Tanquardus, Bruno fratres animo ſimul uno,
Iſti fundabant Bruneſwick & ſituabant.

a nominibus horum Conditorum modo appellata eſt Brunſwick, modo Tanquardswick, retento tamen poſtea priori nomine, utpote derivato a fratre natu majore.

(c) Vid. eſt Conring. de antiqu. Helmſtad. & vicin. ſtat. paſſim, qui liber doctiſſimas continet animadverſiones.

[d] Gandersheimenſe Chronicon Fr. Henrici Bodonis inſeruit *tom. 2. Rer. Germanic. Meibomius.* Videnda etiam ſunt quæ nuper de Antiquitatibus Gadersheimenſibus commentatus eſt Dn. J. Georg. Leuckfeldus.

[e] De Exodo Hamelenſi Hanov. 1661. 8.

[f] Cum

[f] Cum adhuc Groningæ doceret, erudita Diſſertatione 1660. publicata.

(g) Urbis antiquitates egregie enucleavit Henricus Meibomius, in Oratione de Origine Helmſtadi, quæ continetur *tom. 3. Rer. German.* & Conringius doctiſſimo, quem laudavimus conjecturarum libro de Helmſtadii ac viciniæ ſtatu.

§. 46. Exauctorato Henrico Leone, magna ut diximus veteris Saxoniæ portio Alberti Marchionis Brandenburgici filio juniori Bernhardo ceſſit, hujus filii bona paterna ita diviſere, ut majori natu Henrico Pingui, Aſcaniæ Comitatus cum Anhaltino Principatu, (quod axioma tum brevi tribuebatur huic regioni) Alberto vero minori filio ad ſuperiorem Albim regio obveniret; accedente deinde tractu quem hodie Lauenburgicum appellamus (ad hanc pertinent etiam quædam, trans Albim, ſed ea paulo poſt videbuntur]. In Occidentalibus harum ditionum partibus primo memoramus *Ballenſtedium* (de Aſcaniæ enim Comitatu ſupra egimus ad Halberſtadium) veteſtam arcem, quæ cum circum jacentibus comitatus nomine fuit inſignita, cujus varia fata egregie excuſſit Dn. Knautius. Deinde huc pertinet antiquitate ſua commendata arx *Anhalt*, unde etiam regionis nomenclatio derivatur, quam vulgo a ligni circum defectu appellatam opinantur, ſed hodie ejus non niſi rudera conſpiciuntur. *Bernburgum* & *Deſſavia* mediis ſeculis non ignobiles ſunt Principum ſedes, ad quos Advocatiæ nomine, etiam celebre Monaſterium *Gernrodenſe* referendum eſt.

§. 47. Alberti major filius Johannes tractum *Lawenburgicum* ſortitus eſt, hujus poſteris nomen Ducum Lawenburgicorum a Sigismundo imperatore collatum eſt; Caroli enim IV. Diplomate prius Saxoniæ inferioris Duces appellati ſunt, quemadmodum id paſſim annotari ſolet. Fuit hic in Ciſalbiana *Ertenburgum*, quod hodie idem nomen ſervat, ubi *Arnoldus Lubecenſis* (a) memorat Bernhardum Ducem cum fratre Alberto Marchione, ad fidelitatem, ſacramento confirmandam, convocaſſe omnes Comites & nobiles terræ, etiam trans Albianos. Cetera trans Albiam videnda ſunt.

(a) *in Chronic. Slavor. lib. 3. c. 1.*

93 §. 48. Bernhardi, cujus ſæpe mentionem fecimus, Nepoti

Alberto II. filio Alberti I. natu minori, ſuperior ad Albim regio obvenit, cujus partem Sorabi diſſante ea tempore occupatam inſederunt (a). Sedes fuit *Wittenberga* nobilis ab illo ævo in omnium monumentis urbs. Tandem ad *Thuringia* partem *meridionalem & Orientalem* regrediendum eſt, quam huc rejecimus. Equidem ſupra monuimus quemadmodum hic tractus ad Henricum illuſtrem Miſniæ Marchionem delatus fuerit; ergo loca tantum reſtant indaganda. *Orientalis* alias Oſterlandia & Oſterlingia appellata fuit, in hac *Altenburgum Ronneburgum, Lipſiam, Geraviam* aliasque collocat *Dn. Rechenbergius* (b). de Antiqua ejus in pagos diviſione videndus eſt *Laurentius* [b]. *Meridionalis*, Auſtralis ſive Sud Thuringia eſt ille ipſe tractus cui hodienum adhuc Thuringiæ nomen adhæret, ut veroſimile tamen videatur, partem Franconiæ, vel Hennebergam etiam complexam fuiſſe. Urbes hic collocantur *Erfurtum, Gotha, Vinaria, Iſenacum* (d) *Schidinga* &c.

(a) Vid. *Albinum in Chronic. Miſn. t. 6.*

(b) In *Diſſertat. de Veteri Oſterlandia.*

(c) In *Monument. Suevor. in Doringia*, ubi quædam huc pertinentia ex Lœlcheri Hiſtoria medii ævi exhibet.

(d) Hanc patriam ſuam egregio commentario illuſtravit Vir Doctiſſimus *Chr. Franciſc. Paullini*, quem nomine *Annalium Iſnacenſium inſeruit Syntagmati Rer. & Antiquit. Germanic.* Cæterum in genere hic conferri debent ſæpius alleg. *Monumenta Suevor. in Doringia Dn. Laurentii p. 94. ſeqq.* ubi de pagis tum hujus, tum reliquarum partium multa egregia adducit. Antiquitates urbium, montium, fluviorum huc pertinentium *in parte Special. a p. 105, ad finem* ſatis copioſe explicat, quæ videri poterit. Malim vero ego quoad originem judicium ſuſpendere, quam loca illa omnia quæ convenientiam cum Sueviæ locis habent, ab his nomen traxiſſe aſſererē, cum iſtæ appellationes ab aliis longe cauſis potuerint eſſe derivatæ.

§. 49. In trans Albiana Saxonia (a) offeruntur nobis primo illæ partes, quæ ad Anhaltinam & Lawenburgicam ditionem pertinentes, huc extenſæ fuerunt, in *poſteriori* eſt *Lawenburgum* quod Cluverius [b] Ptolomæi Laciburgum interpretatur, in *priori* fere nihil quod hic memorari debeat, occurrit. Deinde *Nord Albingia* ad quam ſcriptores plerumque referunt Holſatiam hodiernam, *Helmoldus* (c) aper-

te

te tres Nordalbingiæ populos recenſet, Stormarios, Holſatos & Ditmarſos quos eodem modo hic collocat & *Ditmarus Meriburgenſis* (d), cui appellantur Thietmarſgoi, Olcetæ & Sturmari. Regionem incoluere Saxones, nam eorum quantum conſtat hic prima fuit ſedes, ut ſupra a nobis annotatum eſt, etſi parum tuta atque ſecura temporum tractu; Slavis Obotritis ſic eam vexantibus, ut veteres ſæpe coloni cogerentur ſæviſſimæ crudelitatis pertæſi, in Cis Albiana fortunam collocato domicilio experiri[e]. Unde quoque eſt, quod integer aliquando tractus ad Slavorum regionem referatur [f]. Henricus Leo Slavos devicit ac poſtquam Wagirenſem provinciam occupaſſet, dominatus eſt in tota terra Slavorum (g), colebat ejus Majeſtatem Holſatiæ Comes lege fidelitatis, qui eodem jure Wagriam conſecutus erat, ſed poſtquam triſtiora fata ſubiiſſet Henricus, exuta eſt ab Holſatis beneficii memoria, qui non minus Henrici poſterorum imperium, quam ſucceſſorum Alberti, quibus maxima Saxoniæ pars ceſſerat, autoritatem ſpernebant contemnebantque, quo factum eſt, ut iſte Comitatus ab Imperio coeptus fuerit recognoſci [h).

(a) Vide de finibus hujus Saxoniæ diſputantem *Conring. de Finib. Imp. lib. l. c. 4.*

(b) *German. Antiqu. lib. 3. c. 27.*

(c) *Chronic. Slavor. lib. 1. c. 47.*

(d) *Chron. lib. 2.*

(e) Qua de re videndus eſt *Helmoldus lib. 1. c. 31. & 88. & Adamus Bremenſis lib. 4. c. 31.*

(f) Uti ab *Helmoldo*, vid. *Meibom. Introd. in Hiſtor. Saxon. Inſer. p. 39.*

[g] Id exequitur *Helmoldus libr. 1. multis capitibus.*

(h) Confer id probantem *Meibom. diſſ. loc. p. 38.*

§. 50. Memorantur hic medio ævo *Aldenburgum*, Waigiorum civitas maritima [quæ poſtea a Slavis Starigrod vocata eſt] uti eam appellat Adamus Bremenſis, (*) deinde *Kilonia & Renesburgum* ubi Johannes I. & Gerhardus I. ſeculo decimo tertio duas formavere principum lineas, & *Bornhoveda* [a] Villa Holſatiæ parochialis, ubi inſignis illa inter Waldemarum Danum & ſociatos Saxoniæ principes Seculares & Eccleſiaſticos, anno ſupra milleſimum, ducenteſimum vigeſimo ſeptimo commiſſa eſt pugna, poſt quam

Danorum conatus qui ſæpius Nord-Albingiam occuparant fruſtranei fuere. Pertinet huc etiam *Lubeca* ad Travam fluvium (b), quæ cum detracta eſſet Welforum poſſeſſionibus, contendentibus de ea inter ſe acerrime Bernhardo Saxone & Adolpho III. Holſatiæ Comite, ceſſit Friderico I. Imperatori (c), Fridericus vero II. eam poſtquam varias calamitates per Waldemari invaſiones experta eſſet, diplomate inter imperii civitates recepit. *Hamburgum* ad Albis ripam conditum eſt Caroli Magni auſpiciis ſub nomine Caſtelli Hochbuchi, addunt recentiores ab Odone Caroli legato, nullo tamen antiquo laudato teſte, (d) derivat nomen *Meibomius Avus* & *Nepos* ab alta fago (hohen Buchen), videtur idem velle vox *Hamburgum* a ſylva urbi impoſita. Ludovicus Pius hic Archiepiſcopatum erexit, qui quemadmodum Bremam translatus fuerit, poſt miſerandam cladem a Normannis acceptam, ſupra annotatum eſt.

* *Hiſtor. Eccleſiaſt. l. 2. c. 11.*

(a) Vid. *Meibom. Introd. in Saxon. Inſer. hiſtor. p. 47.* & ibi laudatum *Lambecium Rer. Hamburg. tom. 2. n. 37.* quem luci reſtituit cum *Erpoldi Lindenbrogii Scriptoribus ſeptentrionalibus &c.* ante triennium *V. C. J. Alb. Fabricius Hamburgi in fol.*

(b) *Germ. Antiqu. lib. 3. c. 27.*

(c) *Arnoldus Lubecenſis lib. 3. c. 4.* vid. *Meib. dict. lib. p. 40.*

(d) *Adde Meibom. d. l. p. 63.*

§. 51. Quæ inde prætexta eſt Oceano ſeptentrionali, ad Viſtulam usque regio, Romanorum ævo *Vandalia* fuit dicta, cujus populi cum ſeculo quinto alias ſedes in Gallia, Hiſpania & tandem Africa quærerent, gens Sarmatica Slavi, Venedi, Winidæ ſeu Winedi (a) loca vacua occuparunt circa finem ſeculi, ſexti aut initium ſeptimi (*). Carolus Magnus poſtquam Saxones devicit, hanc, Slavorum regionem regno ſuo quoque adjecit, pars forte in qua Obotriti, armis haud domita, ultra in ejus amicitiam conceſſit, (b) *Wilzos* autem ſeu *Welatabos* anno ſeptingenteſimo octuageſimo nono bello ſubjugavit (c) Deinde cum ſequenti ævo continuo novas res agerent Slavi, in meridionali hujus provinciæ parte, Marchionatum Brandenburgicum erexit Henricus Auceps (d). cetera Saxoniæ Duces tenuere, quod poſtea ſub Henrico Leone docet late

te *Helmoldus* (e), ſed hoc exauctorato, initia libertatis principum, qui hodienum his oris dominantur, jacta ſunt.

(a) Nam & ita appellantur, videri poteſt inter alia *diploma Eccleſiæ Hammaburgenſi* a Ludovico Pio conceſſum, quod publicavit *Lindenbrogius in appendice ad hiſtoriam Archiepiſcoporum Bremenſium. Winuli* etiam vocantur apud *Adamum Bremenſem. v. ejus H. E. l. 2. c. 11. & Helmoldum Chron. Slav. l. 1. c. 14.* Confundit hos Venedos cum Vandalis perpetuo Crantzius in Vandalia, notatus ea propter ab Albino in Chronic. Miſn. tit. 4. p. 114. & aliis. Interim quia Vandaliam incoluere, appellatio illa, quæ prope vulgaris eſt, eo reſpectu poteſt tolerari.

(*) Confer Bangertum ad Helmoldum *lib. 1. Chron. Slav. c. 11.*

(b) Confer *Dn. Werlhof. Not. Imp. Enucl. p. 176.* abſona tamen videtur *Aventini* locutio, quando Annal. Boic. l. 4. Saxonum expulſorum ſedes donatas refert Slavis, tanquam *Antiquiſſimis Francorum ſociis.*

(c) *Annal. Caroli M. ad hunc annum. Eginhardus in vit. Caroli M. c. 12.* qui notat lingua Francorum Wilzos, Slavica vero Welatabos appellari ſolitos.

(d) Vid. *Dn. Coccejus Jur. publ. prud. c. 3. §. 68. &* quos allegat §. 78.

(e) *Chronic. Slavor. c. 68. ſeqq.*

§. 52. Pertinet huc primo *Mecklenburgenſis* regio (a), in qua Slavi Obotritorum nomine venerunt (b), ſurrexit illa in jus Ducatus ſub Carolo IV. Imperatore. Limites fuere Wagria, Albis, Trava & Oceanus. Epiſcopatus erecti ſunt, urbes & cœnobia exſtructa, ac regio tota in aliam faciem cœpit converti, poſtquam Henrici Leonis victricia arma ita his oris triumpharunt, ut nemo Slavus mutireauſus fuerit præ formidine Ducis, ut loquitur *Helmoldus* (c); etſi quædam fundamenta jam antea quoque fuerint jacta. *Suerinenſis* Epiſcopatus Mecklenburgi erectus ſeculo undecimo, Suerinum translatus duodecimo ab Henrico Leone. Epiſcoporum tamen conſtans poſtea ſedes fuit *Butzovia. Ratzeburgenſis* Epiſcopatus itidem natales debet ſeculo undecimo, Henrico Leoni ſtabilimentum. Inter urbes fama celebres fuit Mecklenburgum, quod a commerciorum celebritate (Mecklin) multis nomen traxiſſe perſuaſum eſt, rectius fortaſſe, quam a manitudine, idque ex Græco nomine quo Megalopolis ſcriptoribus dicitur ut animadvertunt *Cluverius* & *Bertius*. Nunc vero tanta eſt

loci ignobilitas quanta fuit mediis ſeculis præſtantia. Cæteræ ſunt *Guſtrovia*, *Roſtockium*, (d) in Warnabis (e).

(a) *Cluverius* hic veterum Varnos, Varinos, Werinos collocat, ac de iis Procopium explicat *German. Antiqu. lib. 3. c. 27.*

(b) Conferendus eſt *Adamus Bremenſis libro IV. variis capitibus.*

(c) *lib. 2. c. 5.*

(d) Vidend. eſt *Petrus Lindenbergius in Topographia ſive deſcriptione Roſtochii*, cui annexum eſt *chronicon Roſtochienſe.* Item *Friderici Lindenbrogii chronicon ejusdem urbis.*

(e) Ita populum regionemque appellat *Adam. Bremenſ. hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 2. c. 11.*

§. 53. Hinc orientem verſus a Chaluſo fluvio ad Oderam & inde ad Viſtulam mari Balthico adjacet tractus, quem hodie *Pomeraniam* appellamus. Primo periodi noſtræ intervallo huc pertinent ex deſcriptione *Plinii Carini* & *Guthones*, ex Tacito *Eudoses*, *Suardes*, *Rugii*, *Lemovii* & *Gothones* ſive *Gothi*; ex Ptolomæo *Sideni*, *Ruticilii Corconta*, quorum ſedes ſpeciales multa cura accurate perſequitur *V. Cl. Chriſtophorus Hartknochius* (a); ſed poſtquam circa finem ſexti & initium ſeptimi ſeculi, Venedi in has oras immigrarent, nova quoque invexere nomina. Nimirum intra Viſtulam & Odoram Populi *Pomerani* (b) & qui Viſtulæ proximiores in ſpecie *Caſſubi* appellati ſunt, in Occidentali vero Odoræ latere ac verſus Mecklenburgenſes, erant Wilzi, quos & Welatabos & Ludicos vocant, in quatuor populos diſtincti, tota tamen regione hoc intervallo tandem in Pomeraniæ nomen concedente. duodecimò ſeculo cum Fridericus I. Imperator Boguslaum & Caſimirum Vratislai filios, Suantiberi nepotes, quibus Pomerania parebat, datis ſolemniter aquilis Duces appellaſſet, (c) e Saxonia vocata eſt magna Germanorum multitudo, quæ non linguam ſolum ſed inſtituta quoque ſua intulit.

(a) In *Originibus Pomeranicis n. 5.* qui etiam longam de Origine gentis quæ primum hic conſederit inſtituit diſceptationem. *n. 6.*

(b) De origine hujus nominis magna lis eſt, tum an a Germanis populis, an a Slavis arceſſenda ſit appellatio, tum in quam ætatem eam referre oporteat. Quod ad prius attinet, certe mihi probabilior videtur opinio a Slavi-

Slavico derivantium, quam *Micralii* aſſertio, qui omni ſtudio id agit ut a priſcis Germanis eam ducat v. *Dn. Hartknoch. cit. loc.* de tempore quo primum cœperit Pomeraniæ appellatio, ita pronunciaverat orbis literati dum viveret decus *Conr. Samuel Schurtzfleiſchius in Originibus Pomeranicis n. 1. lit. b.* ut Henrici IV. Imperatoris temporibus, invaluiſſe, ſeculo duodecimo uſu magis tritum dimanaſſe ad poſteros, ſtatuiſſe deprehenderetur, at vero *Dn. Hartknochio* longe antiquius viſum eſt iſtud nomen, qua propter *Commentationi ſuæ n. 13. & 14.* ſtricturas quasdam in *Schurtzfleiſchianam* hypotheſin inſeruit, etſi qua utitur modeſtia [nam & Hachenbergii noſtri Diſſ. de Orig. Sueon. cum notat, autoris nomen premit] Viri Magni pepercerit nomini.

(c) Ut loquitur *Saxo Grammaticus Lib. 15. hiſt. Danic.* conf. *Dn. Hartknoch. Orig. Pom. n. 15.*

(d) Vid. *Dn. Hartknoch. l. cit. cod. n. 15.* & Dn. *Schurtzfleiſch. laud. diſſ. n. 7. lit. S.*

§. 54. Urbes ab initio periodi noſtræ ad Slavorum irruptionem hic collocat *Micralius* (a), a Romanis ortum ducentes: *Julinum* (Wollin), *Juliam Auguſtam* [b] (Wolgaſt), *Sundam* (Stralſunde); ab antiquis Germanis vero ſive Vandalis, *Barth, Chollenbergam, Lebenburgum, Freyenwaldiam, Dangartum, Grypswaldiam, Greiffenbergam, Greiffenhagam* & *Anclamum*, ſed ut taceam ea quæ afferuntur de Romana origine, valde jejuna ineptaque eſſe, (quod ignorare non poſſunt quibus Romanarum expeditionum termini ex Græcis Latinisque ſcriptoribus non ſunt incogniti) ea ipſa penitus incerta ſunt, quæ de Germanica origine jactantur. Tutiſſima, eſt *Cl. Hartknochii* ſententia, qui initia urbium aliquando ex Veteri Germania repeti poſſe aut debere non abnuit; ita tamen ut eo tempore nihil nobis præter vicos aut ædificia aliquot juncta imaginari liceat. Veſtigiis ejus inſtituri, videbimus quasdam ex hodiernis urbibus, adjectis ex medio ævo animadverſionibus: Wollin Wollinum olim Julinum, celebre fuit Emporium poſt Caroli M. tempora (c). *Damnin* Demminum medio ævo Dimine appellatur, quod ſcriptores locant in termino parochiæ Hammaburgenſis (d). *Camin* Caminum tempore Ottonis Bambergenſis Epiſcopi, jam ſedes fuit Principis [e], *Stargard* a Slavis nomen & initium habet, hanc *Kranzius* (f) Rethram, ubi ſuperſtitionis & impii cultus idolum

ſui

fuit Radegaſt, exponit. *Colberga* apud *Ditmarum Merſburgenſem* ſub nomine Cholbergæ & ſalſæ Cholbergæ occurrit, & Eccleſia vocatur ſancta Cholbergienſis Eccleſia [g] *Stolberg.* vocabulo Slavico *Slup* appellata fuit (h); *Uſedom* ſub nomine *Vzna* legitur (i). tandem *Wineta* ad oſtium Odoræ, ubi ſe in mare Balthicum effundit, omnium Europæ civitatum olim maxima, ut loquitur *Helmoldus* (k). Terræ continenti objacet Inſula *Rugia*, ſive ut tunc audit etiam *Rugatenſis* [l], ubi urbes medio ævo memorantur *Arcona* & *Carentium* a Danis deſtructæ.

(a) *Libr.* 1. *Chronici Pomeraniæ* (quod Stetini 1640. in 4. prodiit) late.

(b) Ita urbem eam appellatam fuiſſe apud Urbaniores ſuo tempore narrat *Helmoldus Chron. Slav. lib. 1. c. 38.*

(c) Vid. *Dn. Hartknoch. l. c. n. 22.*

(d) *Adam. Bremenſ. hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 11.* & *Helmold. lib. 1. c. 14.*

(e) *Hartknoch. n. 22.*

(f) *Vandal. lib. 3. cap. 4. vid. Dn. Schurtzfleiſch. n. 1. lit. b.* ſed Rethram periiſſe docet *Dn. Hartknoch. n. 22.*

(g) *Lib. 2 & 7.*

(h) *Micral. lib. 6 Chron.* ubi privilegium ſcriptum adducit, unde hoc confirmat.

(i) *Helmoldi Chron. Slav. lib. 2. cap. 4.* qui memorat ibi quoque inſtitutum Epiſcopatum, ſed an in eo erraverit *Helmoldus*, ſibi non liquere aſſerit *Dn. Hartknoch loc. cit.*

(k) *Chron. Slav. lib. 1. c. 2.* ſed illa aquis obruta eſt, in quibus ejus veſtigia adhuc aliquando viſuntur. *Dn. Hartknoch.* ex *Micralio* loc. cit.

(l) Quemadmodum ea victo Rege Geſtimulo, a Lothario Imperatore conceſſa fuerit Eccleſiæ Corbeienſi anno 844. propter patrocinium a Sancto Vito in pugna conceſſum vid. apud *Dn. Paullini* qui literas conceſſionis exhibet, *Diſſert. Varior. Monaſter. V. §. 2. p. 46.*

§. 55. Huic Pomeraniæ meridiem verſus jungitur *Marckgrafiatus Brandenburgicus*, quem Henricus Auceps teſtibus *Ditmaro* (a) & *Witichindo* (b) erexit, antiquiora turpibus miſta fabulis ex *Chriſtophori Entzelii chronico* & *Andreæ Angeli Annalibus* afferre piget. occurrit medio ævo hic *Hevellorum* ſive *Havellanorum* nomen, quos non alibi quam in hoc tractu locandos eſſe ſatis inter interpretes convenit. Inter urbes omnium celeberrimum eſt *Brennaburgum* ſive *Brandeburgum* (c), quod expugna-

ceps, uti id memorat *Witichindus* [d); colebatur hic idolum quod Slavorum lingua Triglau dicebatur, deſtructum a Primiſſlao, qui ſe Brandenburgi Regem dixit, ac initiatus primum hic Chriſtianorum ſacris eſt [e) Reliquas urbes, Marchionatus potentiam & jura hic non tangimus, ipſi operi relicturi. Conferri interim poteſt *Illuſtriſſimi Comitis de Arco commentatio de formula Marchiæ* (f).

[a) *Chron Merſeburg. lib. 1.*

(b) *lib. 1. Annal p. 639.*

(c) Multa de eo congeſſere *Andreas Angelus in Annal. lib. 1. p. 14.* & alii, quæ tutiſſime non inter incerta, ſed nugamenta retuleris, imprimis quando catalogum rerum a Brenno illo vetuſto Semnonum Duce, & poſtea Brandone Marcomiri Francorum Ducis filio geſtarum, magna impudentia texunt.

[d) *loc. lit. b. cit.*

(e) Narrat id *Chronographus Brandenburgicus* quem Maderus edidit, *ad annum 1151.*

[f] Variis in locis, potiſſimum §. 10.

§. 56, Nunc lubet regredi ad regiones, quas ad Orientem Sueviæ vicinas reliquimus. Lycum transgreſſis celeberrimum medio ævo *Bojoariorum* nomen occurrit [a). Unde hic populus, unde nomen, ſatis apud Viros Doctos ambiguum videtur, neque hic locus eſt variantes conferre ſententias. forte non eſt ſpernenda *Doctiſſimi Vorgii* (b] conjectura, Bajobaros fuiſſe dictos quaſi Bajohemi baurios, ſive colonos, ex eo tempore, quo furor Attilæ, Hunnorumque, plurimos in Bojohemum quærendæ ſaluti populos compulit, quod nomen poſtea in Bajoarios deinde Bavaros abiit, ut non ſatis cauſæ videatur *Aventino* fuiſſe, qui poſterius tanquam obſcoenum inauſpicatumque proſcindit. Undecunque derivandi ſint, ſi fides habenda eſt Bavaricis ſcriptoribus, poſtquam ad Iſtrum ſedes poſuere, mox ſub initium ſeculi ſexti, Duce Theodone ex nobili Agilolfingorum ſtirpe, primo Vindeliciæ, deinde Norici partem occuparunt. auctis tractu temporum poſſeſſionibus, hi fere limites deprehenduntur: verſus occidentem Suevia, verſus ſeptentrionem pars Franconiæ cum parte Bohemiæ, Anaſus fluvius ab oriente ſeculo octavo finiebat, meridiem verſus ad mare Adriaticum fere limites collocantur. Bajoa-

riam jam ſexto ſeculo Francis paruiſſe, docent tum legum Boioariarum prologus, tum in iis loca de *fidelibus* Regi, probabile enim magis eſt, has leges auctorem agnoſcere Theodoricum Auſtraſiæ Regem, Clodovæi Magni filium, quam alterum illum Theodoricum totius Franciæ Regem ſeculo ſeptimo (e), multi crediderunt Clodovæum Magnum famoſo illo Tolbiacenſi prælio, quo ſubjugavit Alamannos, horum ſocios Bajoarios quoque deviciſſe, ipſe *Aventinus* mira fiducia pugnæ interfuiſſe Adalgerionem Regem (f) memorat, ſed etſi omnium ſit veroſimillimum, ſtrenuam bellicoſamque gentem potius armis, quam alia quacunque ratione imperio Francorum fuiſſe adjectam, hactenus tamen ejus rei apud idoneos teſtes non ſunt reperta argumenta, ut haud licuerit adeo *Aventino*, Adalgerionem ex aliis etiam rationibus huc non pertinentem, in rem præſentem vocare, multo minus formulam, qua Bojoarii Francis ſubjecti fuerint, aut regni in Ducatum mutati rationem inde derivare, etſi eandem viam inſiſtant multi (g). Interim Bojoarios liberiori nexu adhæſiſſe Francorum regno, tum axioma regium, tum bella ap ipſis geſta, quibus nulli Francorum interfuerunt, cum Slavis innuunt. Poſtquam vero variis vicibus deſciviſſent, omnium maxime circa annum ſeculi octavi ſexageſimum tertium, ſæpius in ordinem coactos, tandem Carolus Magnus plane devicit, ac Ducum regimen ſubſtitutis comitibus ſuſtulit. Carolingorum familia exſtincta, Bavariæ populi ſibi iterum regem crearunt, ſed virtute Germaniæ regum coerciti, poſt varias Ducum, quas hic collocarunt familias, tandem ad Welfos devenere, quorum in Bavaria noviſſimus cum exauctoraretur Henricus Leo, compages Reipublicæ diſſoluta eſt, enatis ſucceſſu temporum plurimum regionum Domnis, quæ fere huc usque ad Bavariam referendæ erant.

(a) Vid. *Jornand. de Reb. Get. c. 55.* cui memoranti res geſtas ſeculi quinti, Bajobari appellantur. Reliqua nomina ut Bagueria & Bouera cum probationibus poſſunt videri apud *Celeberr. Dn. Hertium Notit. Germ. Vet. populor. p. 96.*

(b) *tom. 5. p. 287. & ſeqq.* vid. *Werlhof. Not. Imper. Enngl. l. 1. c. 2. §. 95. lit. b.*

(c) In *Exordio Annal. Boicor.*

(d) Confer *ſupr. §. XIII. lit. n.*

(e) vid. *Conring. de Orig. jur. Germ. p. 9.*

(f) In

(f) In *Annal. Bojor. lib 3. in pr.*

(g) Ubi *Cruſius in Annal. Suev. part. 1. lib. 8. cap. 9. Megiſerus in Annal. Carinth. lib. 5. cap. 1.* quos ſequitur *Dn. Coccejus jur. Publ. prud. cap. 3. §. 6.*

(h) Accedit Saxonum injuriæ, quas Bojoariis intulere, ad ignominiam & damna Francorum fuiſſe relatas. vid. de Caroli Martelli temporibus. *Annal. ab anno 723. usque ad annum 744.*

§. 57. In locis Bavariæ percenſendis eos ſequemur fines, quos regio nacta eſt, poſtquam Friderici I. Imperatoris & Principum Imperii ſententia, Henrico Leoni Ducatum Bavariæ, intra Lycum & Ænum amnes, reſtituit, in quo Ottonis Schyræ Comitis poſteritas ad noſtra usque tempora, exauctorato Leone dominata eſt, reliqua quæ ultra Ænum ad Anaſum usque, huc pertinuerunt, ad Auſtriam rejiciemus. Pars fuit antiquo ævo, meridionalis Bojoariæ pars, Vindelicia: quod late demonſtrat *Cluverius* (a), quæ cum Romanorum fuerit provincia, mirum non eſt in ea antiquiores eſſe urbium origines, quam in Germania magna. *Cluverius* illas ſeparatim perſequitur (b). Nobis ſufficiet in ipſo medio ævo illuc aliquando reſpicere: Ad Eccleſiam referendæ ſunt: *Salisburgum* non Romanorum tantum temporibus [c], Jovavum & Juvavum, ſed & aliquot medii ævi ſeculis [d], poſtea novum a Salza Fluvio nomen adeptum: Primum Epiſcopum nacta eſt urbs Rupertum Wormatienſem, poſtquam is Theodonem Bavariæ Ducem Ratisponæ Chriſtianis ſacris inauguraſſet (e); *Patavium*, Paſſavium, Paſſauw, Veterum Batava caſtra, & quemadmodum probabile eſt, illa parte quæ hodie Inſtat dicitur, Bojodurum (f). Hic S. Rupertus poſtquam ſedem metropolitanam Juvaviam transtuliſſet, Epiſcopum fecit Erchenfridum, atque ita ex Laureacenſis ruina emerſit Paſſavienſis Eccleſia. Interim ipſi Paſſavienſes ſatis diu Archiepiſcopi titulum, renitentibus licet Salisburgenſibus, ſibi vindicarunt. (g)

[a] *German. Antiq. lib. 4. c. 3.*

(b) *Germ. Antiq. lib. 4. c. 4.*

(c) Quod probat idem *Cluverius cit. l. 4.* additque duas Inſcriptiones, quibus clarum eſt, fuiſſe Coloniam Romanorum.

(d] Sæpius enim occurrit apud *Eginhardum, Sigebertum Gemblacenſem*, & alios

(e] *Andreas Presbyter p. 6. edit. Schilt.* interim de controverſia an hic Rupertus, an Johannes primus fuerit vid. disquirentem *Sagittarium in Antiquit. Gentiliſm. & Chriſtianiſm. Thuring. l. 3. c. 17.*

(f) *Add. Cluver. Germ. Ant. l. 4. c. 5.*

(g) vid. *Hund. in Metropol. Salisburg. p. 121. & 122.* de Patavio vero in genere omnino conferendus eſt *Caſpar Bruſchius* in *Libello de veteri Laureaco & Patavio*, qui *Baſileæ 1553.* excuſus eſt.

§. 58. Sequuntur *Epiſcopatus Ratisponenſis* & *Friſingenſis. Ratispona* Notitiæ Imperii Regina caſtra (a), locus neque tum ignobilis; mediis ſeculis Reginum & Reganesburg [b], reliqua nomina recenſet *Andreas Presbyter* (c). Primum vulgo Epiſcopum faciunt Paulinum, quod refellit Velſerus (d). *Friſinga* nobilis ad Iſaram urbs, qnæque temporibus Friderici Barbaroſſæ ex cauſa Ottonis Epiſcopi, in omnium ore verſatur. Corbinianum communis doctrina antiquiſſimum facit Præſulem, (e] ſed Sagittarius Erimbertum in ejus ſubſtituit locum (f).

(a] *Cluv. d. l. 4.* qui refellit eorum opinionem, qui Coloniam eſſe Tiberii ex nummo quodam exiſtimarunt, locum vero ex *Leonis III. Pontificis literis anno 798.* in quo Tiburnia vocatur, inter barbaræ monachorum ignorantiæ commenta refert.

[b) Sic *Poeta anonymus in vita Caroli M. ad annum 791.*

Rex autem veniens Reginum, quam Reganesburg
Nunc vocitant.

(c] *p. 4.* ibi vero occurrunt *Tiberina quadrata, Hyatospolis, Germansheim, Reginopolis, Imbripolis.* Quando vero *Presbyter noſter* Patriam ſuam a Norice Herculis filio conditam narrat, in eo [quemadmodum in antiqua hiſtoria ſæpe] ineptorum monachorum ſomnia ſecutus eſt, confer *Bæclerum in notis p. 91.* Cæterum in rebus quæ ævo ipſius propiora ſunt, aut ubi conferre idoneos licuit teſtes, graviſſimus autor eſt, quem non immerito Viri magni, Bavariæ Livium dixere, reſpicientes ad rerum geſtarum fidem, non ad dicendi genus, quod ſatis horridum eſt atque incultum, tantum a Livii venuſtate remotum, quam cœlum terra.

(d] In *Scholiis ad vitam Severini. Hund. Metrop. Salisb. p. 56.* continuam

am ſeriem nectit a Gæribaldo ſeu Gaubaldo, ſed *Andreas* noſter non ultra Simpertum aſſurgit, cui etiam fundationem monaſterii S. Emerani tribuit.

(e) Diſſentiunt tamen de tempore *Hundius* & *Aventinus*, & qui hujus partes tenet, *Velſerus*.

(f) *Antiquit. Gentiliſm. & Chriſtianiſm. Thuring. l 3. c. 17.* Cætera quæ ad ſtatum Eccleſiarum Bavariæ medium pertinent, licebit petere ex *Andrea Presbytero*, ejusque continuatore; *Raderus* quoque ex recentioribus magnum laboris compendium fecit in *Bavaria ſancta*.

§. 59. In reliquis quæ ad Bavariam Ducibus ſuis ſubjectam pertinent, in dextra Danubii ripa eminentiora medio ævo ſunt loca: *Monachium* ad Iſaram fluvium, (noſtrum München) quod nomine Monaci plerumque legitur (a), ſede Principum clarum. *Cluverius* Iſiniscam veterum incerto ſatis argumento aſſerit (b), quod etſi verum eſſet, haud tamen liquet, quo tempore veteri appellatione antiquata, nova coeperit. *Purckhauſen* quod hodie molſius Burchauſen efferimus, caſtrum ad Salzam fluvium, modicorum Dominorum patrimonium, quorum ultimus Gebhardus, cum diem obiret MCLXIV. ad ipſos Bavariæ Duces pervenit (c), ac tandem tractu temporis ad jus civitatis aſpiravit. *Landshut* ad Iſaram anno MCCIV conſtructa eſt [d), ſedes poſtea per aliquantum tempus Ducum, caſtrum Ducale vocatur in ſubſcriptione literarum fundationis Academiæ Ingolſtadienſis (e); *Straubinga* quæ nova conſtructa eſt (f) anno MCCVIII. ubi curiam habuerunt Duces principatum Ingolſtadienſem tenentes; & hæ quidem urbes, tandem capita regiminum hodie adhuc durantium, factæ ſunt. *Rain* ideo memorandum eſt, quod non inanis videatur *Cluverii* [g) conjectura, quando id ipſum veterum Clarennam interpretatur. Reliquis non immorabimur, niſi quod prætermittendum non ſit caſtrum *Schyren* (haud procul a Pfaffenhofia) utpote, quod nomen familiæ dedit quæ a Friderico I. ad Ducatum Bavariæ evecta eſt; converſum eſt illud Ottone, primo ex ea domo Duce, conjugeque Agnete autoribus, in Monaſterium, locum deinde ſepulchris Principum daturum. [h].

(a) Vid. *Andream Presbyt. p. 39. & alias.*

(b) *German. Antiqu. lib. 4. cap. 4.*

(c) *Andr. Presbyt. p. 28.*
(d) *Idem Presbyt. p. 29.*
(e) vid. §. *seq. lit. e.*
(f) Ut loquitur *Andreas Presbyt. p. 29.* & *p. 39.* ubi de funestissimo incendio ex fulmine orto hi versus:

M ter cene dabit I ter nonaque geno
Viti profesto Straubing perit igne molesto.

(g) *Germ. Antiqu. lib. 4. c. 4.*
(h) *Andr. Presbyt. p. 29.*

§. 60. Tractus qui in Bavariæ nomen cessit ad ripam Danubii sinistram, olim Nariscorum fuit (a), maxima ejus parte postea Nordgoviæ nomine appellata, a mundi plaga, non a Noricis, ut errant quidam (b). Secernemus hic ea quæ communi nomine Bavariæ hæserunt, a Palatinatu superiore. In hoc *Amberga* prima urbs est, quam ea propter principaliorem vocavit *Pauholtzius* (c). Reliqua inde ab eo tempore, quo a Bavaria distingui cœpit, ad nostram usque ætatem, ita executus est Excell. Gundlingius (d) ut nobis nunc quidem in hoc specimine esse possit otium. in altera vero parte sive Bavaria, omnium maxime nobile est *Ingolstadium* sedes Principum ac sub finem Periodi nostræ celebri Academia auctum (e)

(a) *Cluver. Germ. Antiqu. lib. 3. c. 29. Dn. Gundlingius Otiorum tom. 2. c. 4. §. 1.*
(b) Multo intolerabilior est *Andreæ Presbyteri p. 4* cum aliis error, qui ipsos hos Noricos a Norice Herculis filio, ex Armenia advena, derivat.
(c) In *Continuat. Chron. Andr. Presbyteri p. 62.* add. *Boeclor. in not.*
(d) Supra adducto *tom. 2. Otior. cap. 4.*
(e) *Pauholtzius alleg. in continuat Andr. Presb. p. 66.* ubi exhibentur literæ Fundationis.

§. 61. Ultra Ænum Bavaria ad Anasum extendebatur, quem fluvium supra sæpius, ut verum certumque limitem Bavarorum contra Hunnos Avaresque tempore Cararoli M. inculcavimus. Tractus is variis nominibus sub diversis temporum intervallis olim cognitus fuit, de quibus Geographia antiqua (a). ævo Friderici Barbarossæ a Bavaria divulsus, cum Austriæ Marchia, sub primo Austriæ Duce Henrico Luit-

Luitpoldi filio coaluit (b). memorari hic debet medio ævo clariſſimum *Laureacum*, quod Cluverius ex Inſcriptione, coloniam Romanam facit (c) multi nomen a S. Laurentio, primo hujus loci Epiſcopo derivant (d). Initio ſeculi decimi munitum legitur contra Hungaros a Sighardo Comite de Sempta & Ebersberg, qui in Carinthia contra irruentes hoſtes, exercitui tum temporis præerat (e); quemadmodum ab Hungaris fuerit deſtructum jam ſupra occaſione Patavii attigimus, ex ejus ruinis vicinum oppidum Ens ad Anaſi in Danubium influxum creviſſe, ſatis notum eſt. *Lentz* noſtrum ſub Lentiæ nomine eſt in Notit. imperii.

(a) conf. *Cluver. Germ. antiqu. lib. 4. cap. 4.* & *Schönleben Carniol. tom. 1. part. 1. cap. 1.*

(b) Tabulæ Friderici paſſim exſtant. Vid. eas *in collect. Schilter. ſcript. rer. Germ.* inter diplomata. *p. 1.* conf. etiam *Cuſpiniani Auſtriam. p. 22.*

(c) *Germ. Antiqu. l. 4. cap. 4. §. 18.*

(d) v. *Schönleben. Carniol. tom. 1. part. 3. p. 178.*

(e) *Megiſer. in Annal. Carinth. lib. 6. c. 70.*

§. 62. Sequitur trans Anaſum late diffuſa regio, Pannoniæ nomine Romanis appellata; eam ſeculo octavo Avares & Hunni tenebant, qui cum a Carolo M. peterentur, ac is duo imprimis illorum munimenta, unum ad Cambum fluvium, alterum ad Camagenos in monte edito Cuneoburg dejeciſſet, ſoloque æquaſſet (a), fundamenta Auſtriæ jacta ſunt, inductis enim Vindis Bavarisque, conſtituit hic *orientalem Marcam*, cui præfecit Geroldum Comitem Puſſenium Uxoris Hildegardis fratrem, atque inde Auſtriæ (Oeſterreich) nomen derivatum eſt, non ab Auſtro ut quidam putarunt (b). *Carinthiis* ſive ut tum vocantur, Carantanis Carolus M. Inguonem Nobilem Francum præfecit (c). *Styria ab* Ottone II. Imperatore data eſt Adalberto Comiti de Muerzthal & Avellanez, ut limitem contra Hungarorum inſultus cuſtodiret, ita tamen ut imperium Ducum Carinthiæ juberetur reſpicere, atque ab iis feudum agnoſcere (d), cetera his aliquando innexa, iterumque avulſa, nunc non tangimus.

(a) Vid. *Reginon. ad annum 791; Hermann. contract. Lambert. Schaffnab. & alios.*

(b) Conf.

(b) Conf. *Schönleben. Carniol. tom. 1. part. III. p. 389.* & ibi laudatum *Lazium.*

(c) *Rhegin. ad Ann. 788.*

(d) Conf. *Lazium de Migrat. Gent. p. 209.*

§. 93. Caput Auſtriæ *Vienna* eſt, antiquis Vindobona, Vendobona, Juliobona, Vindomana & Vindomina dicta, a fluvio qui eam præterfluit, non a Vindis & Germanico **Bahn** ut quidam exiſtimant [a), diu mediis ſeculis ignobilis locus, amiſſa veteri gloria, usque dum Leopoldi V. Pii temporibus, iterum ad ſplendorem exſurgeret. *Carnotum* ſive Carnutum medio ævo etiam occurrit, ex interpretatione Doctorum, locus ubi hodernum Haimberg. (b] *Tulna* oppidum vetuſtate conſpicuum in ipſa Danubii ripa. (c) in Carniola *Crainburgum* & Æmona (d) veterum (forte noſtrum **Unterlaubach**) huc pertinent. Reliquis nunc non immorabimur, inſtituti memores, non ſcribi à nobis Geographiam, ſed de Geographia ſpecimen.

(a) *Vindobona* appellatur *in Itiner Anton. & Notit. imperii. Aurel Victor in Antonin. Vendobonam* dicit, *Ptolom. lib. 2. c. 15.* Juliobonam. *Vindomana* eſt etiam in dicta *Notit. Imp. & Vindomina apud Jornand.* Conf. *Cluver Germ. Antiqu. l. 4. c. 5. cum Vendo Strabonis*, quod *Appianus* & *Antoninus* Avendonem vocant, non eſſe confundendam vid. apud *Schönleben Carn. tom. 1. part. 1. p.* 179. quando vero is *Lambecium* qui Vindobonam a fluvio præter fluente derivat, ob id taxat quod nullus veterum ejus rivi mentionem injiciat, id nimis elumbe eſt.

(b) apud *Oroſium lib. 7.* & *Zoſimum lib. 2.* Veteribus enim plerumque Carnuntum ſcribitur ut eſt apud Plinium & alios.

(c) Vid. *Cuſpiniani Auſtriam. p. 43.*

(d) Vid. latiſſime *Schonleben Carniol. tom 1. part. 1. p. 47. ſeqq.* qui eo in opere non Carniolæ ſolum urbes, ſed & vicinas, magna induſtria explicat integro *cap. V*

FINIS.

INDEX.

ABietum cultus 199.
Accipitrarius 154.
Aciei inſtructio varia 92. ſeq.
Adulterii pœnæ 126. 127. ſeq.
Aeris priſca appellatio, cultus 193. 194.
Agonizantium cura 301. 302.
Agriculturæ ſtudium 151. 152. priſtina dignitas 152. 153.
Agyrtarum ortus 157.
Alamannorum ſedes, nomen qua ratione Suevis tributum 10. 394. leges, earumque origo & tenor 48. 49.
Albedinis prærogativa in veſtitu veterum 283.
Albis 379
Albi (nummi) valor 269.
Alemannus olim Hercules nonnullis vocatus 182.
Allodium quid ſit 234. ſeq. unde componatur ibid.
Alſatia unde dicta 384.
Alta Ripa 399.
Altenburgum 410.
Amberga 422.
Amphibalum 286.
Amiſius fl. 380.
Anhalt arx 409.
Angliorum lex 58.
Animæ humanæ cultus 255.
Aniſus fl. 380.
Annulus conjugalis 115.
Antunnacum 383.
Aquæ priſcum nomen, cultus. 193
Arx Flaviæ 399.
Arbores ſacrivæ, earumque cultus 199.
Arithmeticæ priſtinum ſtudium 145. 146.
Arminii ſ. Herminii Ducis Saxonum nomen, ſtatua 183.
Armorum priſca religio & uſus 80. 81. genera varia 81-84.
Artium liberalium ortus & incrementum 141. clades ſub Pontifice Rom. 214-217.
Aſcania 406.
Aſinorum cultus 197.
Aſtronomiæ ſtudium 146. cultores 147.
Atuatica 386.
Auguſta Vindelicorum 399.
Auſterlingi 389.
Aucupii ſtudium 154. 155.
Aventinum 385.
Auſtraſia 386.
Auſtria. 423.
BAdenfeldum 403.
Ballenſtedium 409.

Baptizatorum veſtitus 283.
Barbæ priſca cura, forma 279. 280.
Bardevicum 407.
Bavarorum ſ. Bojorum origo, regnum, libertatis priſcæ faſtigium, ejusdem remiſſio, veſtigium ſuperſtes 9. urbes 417. ſeq. 421. lex ejusque origo 49. & tenor ibid.
Batavorum inſula 385.
Batziones 268.
Belli Præfectus Heretochius Saxonibus vocatus 70. apparatus 90. indictio 90. 91. gerendi ratio 94. machinæ 95.
Benedictionis ſacerdotalis origo 120.
Bernburgum 409.
Berbetomagus 383.
Beutelsbachium 399.
Biberacum 400.
Bibitionis votivæ antiquitas 204.
Bingium 383.
Birreti nomen, genera varia 287.
Bombardæ inventum 85. 147. 148.
Bonifacii ſ. Winfridi epiſcopi conditio priſtina 210. traditiones variæ 211. negotium converſionis Germanorum Trans-Rhenanorum 209. ſeq. hiſtoria 211.
Bonna 382.
Brandenb. Marchia 416.
Brema 406.
Brigantium 400.
Briſacum 400.
Bructeri 387.
Brunſuicenſis Duc. 407.
Buchoniæ urbes 404.
Bufonum cultus atque cultores 213.
Burgundionum ſedes, armorum ſtudium, respublica, inſolentia, devictio 11. affectata libertas ibid. leges 54. ſeq.
Byzantii ſ. Byzantini 359.

CAlcei Germ. vet. 293. 294.
Calvitii ap. veteres turpitudo 119.
Camiſia 291.
Campiones 56.
Cantilenæ funebres 305.
Capillati 279.
Capillorum detonſio 119. 277. priſca cura 276. forma. ibid. ſeq. religio 278. rubedo ſeu flavedo quo nomine probata 276.
Capitis priſca tegumenta 286. ſeqq.
Cappæ nomen 287.
Caſeus execratus 64.
Caſſella 403.
Caſſubii 414.
Carnificis priſca conditio 7.
Caſtra Germ. Vet. 91. ſeq.
Caſula 288. 289.
Cæſareæ potentiæ jactura 218. 219.
Cellarius Chriſtoph. tentat Geographiam mediam 371.
Cereris cultus, 191. ſeq.
Chaſſuarii 387. 388.
Chimiæ ortus 156.
Chiromantia 151.

Cinerum

Cinerum funebrium priſca religio 300.
Clivia 381.
Cocceii tabula Geogr. mediæ 371.
Coſiæ nomen 287.
Colberga 416.
Comæ ornamentum 119. 277. 279. cultus 276. ſeq. prolixitas 277. 278. per humeros diffuſio 277.
Comitum ortus 4. diſtinctio ibid. nomen 6. officium ibid. Vicarii ibid. Palatinorum officium 67.
Comitiorum autoritas 13.
Commerciorum priſca ratio 254. ſeq.
Compurgatores quinam dicti 58.
Concubitûs conjugalis priſca ſanctimonia 122.
Conjugalis amoris priſca integritas, ardor, religio 122. caſtitas & pudicitia 123.
Conjugii denuntiatio 118.
Conjuratores quinam dicti 55. 56.
Conſtabuli ſive Coneſtabuli quinam olim 80.
Continentiæ Germ. Vet. encomium 123.
Convaſalli 251.
Convivia Germ. Vet. ſacra quibus ritibus peracta 204. funebria eorumque celebratio 426.
Corbeia 391.
Corporum defunctorum concrematio 299. unctio & conditura 303. ſepultura 305. ornatus 425. anniverſaria memoria 427. precationum & oblationum pro iisdem ritus 428.
Crodus Saturni priſcum nomen 189. ejus hodiernus in execratione uſus ibid.
Cuculli nomen 287.
Cuffenſtein 396.
Cultus idololatricus dæmonum & geniorum 179. 180. animarum humanarum ibid. ſeqq. ſiderum & imprimis Planetarum 184. elementorum 191. meteororum 194. hominum vivorum 195. ſeq. quadrupedum 197. inſectorum 197. 198. ſylvarum & nemorum ibid. montium & collium 199. ſymbolicus 200.
Curſûs priſcum exercitium 137. ſeq.

DAmaſia 399.
Dani invadunt Bataviam 385.
Danorum lex, victoriæ 56.
Danubius 379.
Dæmonum cultus 179. 180. cultores, nomina ibid. ſeq.
Dei nomen Germanicum unde? 191.
Defunctorum corporum concrematio 299. ultra chriſtiana 302. ſeq. indumentum 303. ſepultura 304. 305. ſeq. ornatus 425.
Denarii valor 262. ſeq. ſpecies 263. ſeq.
Deſſavia 409.
Diaboli nomen 180. ſeq.
Dii Germ. vet. 179. in ſpecie Sveonum,

num, Pruſſorum. ibid. Saxonum 183. Vandalorum & Rugianorum 183. Eorum loca ſacra, & cur lucos atque nemora non vero templa iis tribuerint 201. cultus ſymbolicus 200.
Diſci uſus apud veteres 138.
Diſpargum 391.
Divortii ratio apud veteres 128.
Donationis nuptialis varia genera 112-114. ratio confirmationis 115.
Dotis priſca ratio 112. qualitas 113. quantitas ibid. differentia à Morgengeba 114.
Drachmæ valor 260.
Druidum nomen quid notet, cur ſacerdotibus impoſitum 205.
Ducatorum ortus, denominatio, ſpecies 266. 267.
Duria 382.

Ecclesiarum chriſtianarum inſtitutio 207. 208. clades. ibid. reſtauratio 208. ſtatus, regimen & doctrina ſec. X. 214. ſec. XI. 216. ſec. XII. 218 ſeqq. ſec. XIII. 221. ſec. XIV. 223. ſec. XV. 226. ſeqq. reformatio Lutherana 230.
Elementorum cultus idololatricus 191.
Eliſo fl. 379.
Eloquentiæ priſcum ſtudium 142. 143.
Emiſa fl. 380.
Epiſcopalis dignitatis axioma 209. 210. potentiæ incrementum 213.
Epiſcoporum in Germania inſtitutio 209. requiſitæ qualitates. ibid. conjugium ibid. honor 209. 210. Germanorum à Francis in reditibus diverſitas unde 210. 211. quis primus fuerit 211. penes quem jus creandi ipſos 215. 216.
Epitaphia. Germ. vet. 308.
Equitum Germ. vet. gloria 77. 78.
Equorum cultus idololatricus 197. ſeq.
Eresburgum 392. 393.
Erfurtum 410.
Ermenſeul ſ. Irmenſeul Saxonum Idolum 182. cui ſacrum? ibid.
Erteneburgum 409.
Ethica vet. ejusque doctores. 159.
Euchariſtiæ priſcus in agone uſus 301. 302.
Examina ſuſpectorum priſca 57. ſeq.
Exercitia Germ. vet. 137. 138.
Exercitus Germ. vet. 77.
Expeditionis Bellicæ apparatus 90. ſeqq.

Faderſium quid notet 115.
Falconarius 154.
Feloniæ crimen 250. ſpecies ibid.
Femoralia 291.
Ferda 406.
Feudi origo 231. autores, ibid. etymon 233. natura ib. 234. ſeq. hiſtoria 234. diſtinctio 236. ſeqq. ritus 238. ſeq. ſymbola ibid. complementum 337. jactura 240. 241.

Flore-

Florenorum ſpecies 266.
Florum ſparſio ad funera 306.
Fluviorum cultus idololatricus 193.
Fodrum quid notet? 248.
Fœminarum cultus earumque varia nomina 195. ſeq.
Fontium cultus idololatricus 193.
Francorum nomen 388. limites ib. victoriæ, regnum latiſſimum, ſedes priſcæ, nomina priſtina, denominationis hodiernæ ratio, victoria de Gallis, Alemannis 11. 12. fines à Carolo M. extenſi 12. Regum electio 12. 13. regiminis forma 13. leges earumque origo, renovatio, publicatio 47. 48.
Franci Salii 385.
Franckenberga 403.
Francofurtum 396.
Franconiæ urbes 400.
Frea priſcum Veneris nomen, unde hodiernum Freytag 190.
Freheri Marquardi, conatus Geograph. 371.
Friſii populi 387.
Friſinga 420.
Friſonum priſtina claritas & amplitudo 55. leges. ibid.
Frugalitas Germ. vet. 132.
Fulda 404.
Fulminis nomen, cultus 194.
Funebres ritus Germ. gentilium 298. ſeqq. chriſtianorum 361. ſeq. quinam in exuviis illuſtrium obſervati 305.

Gandershemium 407.
Gelduba 382.
Geniorum priſca nomina, cultus 158. attributa 184.
Gentilismus Germ. vet. 177. ſeqq.
Geographiæ mediæ fontes 372.
Geometriæ cultus atque cultores 146.
Germaniæ 7. provinciæ 373. diviſio in 4. provincias 374. limites 375. 378. fluvii 379. Germania Ciſ-Rhenana 381. ſeqq.
Germanorum vet. republicæ 2. literæ 3. ordines perſonarum 19. eorumque in nuptiis officiorumque generibus obſervantia 40. 41. ratio vivendi ante leges ſcriptas 43. leges earumque obſervantia 40. 41. ratio vivendi ante leges ſcriptas 43. leges earumque obſervantia 43. 44. forma & conſtitutio judiciorum 66. 67. Integritas 69. res militaris 71. gloria & fortitudo bellica 72. 102. victoriæ 103. formido apud exteros ibid. nuptiæ 105. amor & caſtitas conjugalis 122. 123. ſtudia 134. ingenia 162. ſeq. lingua 164. ſeq. religio gentilis 177. Dii 253. ſeqq. Deæ 195. fidei dogmata 200. ſeq. loca Diis ſacra. 201. ſeq. ſacrificia 202. ſeq. convivia ſacra 204. ſacerdotes 205. religio chriſtiana 207. eccle-

ſiæ primæ earumque fata. ibid. ſeqq. res feudalis 231. res nummaria 253. res veſtiaria 275. res funebris 297. Germani unde ſic vocati 374.
Gernrode 409.
Gibellini 399.
Gladii priſcus ornatus, geſtatio 292.
Goga 382.
Graphices ſtudium 140.
Grammaticæ ſtudium 141. fata adverſa 142. reſtitutio. ibid. Teutonicæ autor 172. 173.
Grammatiſtice 136. ſeqq.
Guelphi 399.
Gugerni 381.
Gymnaſtices honor & ſtudium 137. ſpecies ibid. ſeqq.
Gynæceorum ratio 128. genera ib. ſeq.

HAla Magdeburgica 406. Sueviæ 39.
Halberſtadium 406.
Hallenſium (nummorum) origo & valor 269.
Halleri 399.
Hamburgum 412. ejus nomen num à Jove Hammone 188.
Hamelen 408. 409.
Haſſia 403.
Haſtiludium 121.
Heidelberga 398.
Helvetii 384.
Helmſtadium 408.
Henrici Leonis ditio 409.
Herbipolis 400.
Herculis priſca veneratio 180. 181.
Hercynia ſylva an Herculi olim ſacrata 181.
Heribannum quid ſit 248.
Herman Teutonicum Arminii nomen 183.
Herthum Teutonicum terræ nomen, unde hodiernum Erd 191.
Hildeſia 405.
Hirci cultus idololatricus 197. victima 204.
Hiſtoriæ ſtudium 145. 146. ejus ſcriptores veteres, ibid. ſeqq. diviſio 370.
Holſati 404.
Homagium ſ. Hominum 241. ejus ritus ac formulæ ibid. ſeq.
Hominum viventium priſcus cultus idololatricus 194. 195.
Horologiorum inventum 148.
Hoſtenditiæ 278.
Hoſtiæ vet. 203. ſeq.
Huſſi oppugnatio dogmatum Pontif. 226.
Huſſitarum converſio 226.

IAmunlingi quinam olim dicti? 28.
Ignis priſca nomina 192. cultus. ibid. ſeq.
Ingenuorum ſ. liberorum ordo, denominationis ratio 25. 26. privilegia. ibid. ſeq. ſtatus & prærogativa 27. ſeq.
Ingolſtadium 422.
Inveſtituræ etymon 238. ſymbola 239.

Irmus quem notet 182. 183. Irmenſeul vid. Ermenſeul.
Iſalæ nomen vetus 379. ejus accolæ 387.
Judiciorum veterum in Germania conſtitutio 68. 69. ſeqq.
Julinum 415.
Junonis ſymbolum, cultus 194.
Jupiter Thor & Tharam olim dictus 184. 185.
Juramentum fidelitatis 242. differt ab Homagio. ibid. ejus ritus & formulæ 243.
Jurantis appellatio 57.
Juris Romani & Canonici introductio 161. 162.
Jurisjurandi origo 57. ritus varii 58.
Jus Magdeburgicum, Germanice Weichbild/ ejusque origo 52.

KAufbeura 400.
Kilonia 411.
Kircheimium 384.
Krodus ſeu Krodo priſcum Saturni nomen 189. execrationis dehinc vocabulum factum 190.

LAdenburg 398.
Latini ſermonis inter Germanos uſus 173. ſeq.
Laudimium 249.
Lauenburgum 410.
Lauresham 397.
Leges præcipuæ celebritatis 43. 44. duellionum 57. nummariæ 270. ſeq.
Legum priſca obſervantia 43. primi latores. ibid. diſtinctiones variæ 56. 57.
Lentium 423.
Liberi vid. Ingenui.
Liberorum priſca educatio 123. ſeqq
Libertorum origo 28. cognomenta varia 36. 37. 38. conditio 38.
Libræ valor & partes 259. 260. ſpecies variæ. ibid.
Lingua Germ. vet. 165. ſeq. ejus natales 166. ſeq. per linguam Græcam item per Latinam corruptio 168. 169. ejus cum his linguis affinitas unde? 169. provincialis ſ. vulgaris quid fuerit? ibid. ejus ſcriptio ſpuria & genuina 169. 171. ruditas ante Carolum M. 171. 172. exornatio 172. 173. ſcriptionis difficultas ibid. excultio 173. ſeq. decus & faſtigium 175. 176. laudes. ibid.
Lipſia 410.
Literarum Germ. origo 136. ſcriptionis difficultas 172. excultio 173. Græcarum & Latinarum in ſcribendo uſus 169. 171.
Literæ Runicæ 3.
Livonum numina 184.
Longobardorum origo, mores 7. leges ibid. 44. 45. earum primordia, autoritas 45. respublica 7.
Lubeca 412.
Lucorum conſecratio & cultus 198. 199. cur lucos & non potius templa diis ſacrata 201.
Luctæ priſcum exercitium 67.
Luctus Germanorum gentilium 301. Chriſtianorum 304.

Lunæ priſcus cultus 186. nomina varia ibid. ſeq.
Lunæburgi nomen 187.
Lupodunum 398.
MAchinæ militares 95.
Magdeburgum 405.
Magdeburgicum jus 51. ejus origo ib. 52.
Magontiacum 383.
Mana priſcum Lunæ nomen unde hodiernum Montag 186.
Manheimium 398.
Manium cultus 180. vetuſtiſſimorum priſca nomina. ibid.
Mannus Tuiſtonis filius olim inter Deos habitus 181. ejus nomine quis denotetur. ibid. ſimulacrum Rugianum. ibid.
Manumiſſionis modi varii 35. 36.
Marcæ valor, ſpecies, partes 264.
Marilegium 304.
Maritagium 249.
Marcheta quid notet, ejus uſus 122.
Marpurgum 403.
Martis cultus 187.
Matheſeos ſtudium 145. ſpecies variæ. ibid. ſeq.
Mechanica vet. 147. ejus ſingularia ſpecimina. ibid. ſeq.
Mecklenburgum Duc. 413.
Medicinæ initia 155. cultus 156. reſtauratio. ibid. Hermeticæ autor. ibid.
Mercurii priſcum nomen 184. 190. 191.
Mersburgum 405.
Metalliones 259.
Metaphyſices priſca initia & progreſſus 150. 151.
Meteororum cultus 194.
Methium donationis nuptialis genus 114.
Militaris expeditionis apparatus 90. ſeqq. diſciplinæ priſca obſervantia 88. ſeqq.
Militiæ pedeſtris equeſtrisque gloria 77. 78. 79. officiales 79. 80.
Militum priſcus delectus 73. ſeq. nomina 74. ætas 76. creandorum ritus. ibid. ſeq. peditum equitumque ſtipendia 178. præmia 100. pœnæ ibid. 101.
Mimigarda 391.
Minda. 391.
Miſna 405.
Mœni nomen in medio ævo 379.
Moganus 379.
Monachium 421.
Monachorum progenies 220. incrementum 221. 222.
Monaſterium urbs 391.
Monaſteria Sueviæ 400.
Monumenta Germ. vet. 300. 306.
Morgengebæ nomen & differentia à dote 114. ejus ratio & quantitas. ibid.
Mortariorum inventum 85. 155.
Muſices ortus, incrementa 139. uſus. ibid. ſeq.
NEmetes 383.
Nemorum cultus idololatricus 192.

Neomagum 381.
Nicer 379.
Nigredinis in veſtitu ſignificatio 283.
Nobilitatis ordo 20. 21. juſtæ requiſita 22. tituli amplitudo & dignitas. ibid. ſeq. prærogativa 24. libertas. 25. ſtudium 25. 26.
Noctis priſca veneratio 192.
Nordalbingia 410.
Nordgovia 422.
Noribergenſium ſingularia ſpeciminia mechanica 147. 148.
Noriberga 400.
Normanni invadunt Bataviam 385.
Noveſium 382.
Nummariæ rei laus 253. uſus à Germanis diu neglectus quibus autoribus introductus. 255. quid ejus vicem obtinuerit 254. immutatio 258. 259. 263. curatio 270. leges ibid. ſeq.
Nummi Germ. vet. 256. ſeqq. 259. eorum inſcriptio & figura 269. ſeq. Uſus 373.
Nuptiæ Germ. vet. 104. earum ſanctimonia 105. ſeq. graduum circa ipſas obſervantia 106. ſeq. itemque ætatis 107. 108. nec non ordinis 109. Parentumque conſenſus 110. tum formæ, ſtaturæ ætatisq; 111. 112. earum denunciatio 118. pompa & feſtivitas 120.

O Bolus 269.
Obſeſſorum ſemet defendendi ratio 98.
Obſidionis urbium ratio 94. 95. 96. 97. inſtrumenta 95.
Oeconomiæ priſcum ſtudium 160.
Offa judicialis 64.
Oldenburgum 411.
Oneirocritice 151.
Opes Germ. vet. in quibus conſtiterint. 254. 255. ſeq.
Ordalium quid? 60. ejus ſpecies & ritus. ibid. ſeqq. quid de eo ſentiendum 61. ejus damnatio. ibid.
Ordinis Teutonici inſtitutio 219.
Orhem 405.
Oſterlandiæ urbes 410.
Oſculi priſca religio 116.
Oſtervicum
Oſtrogothorum regnum 3.
Oſtvali 389.
Othinus Mercurii nomen 185.
Ottonica ſylva 398.

P Aderborna 391.
Palatini 6. (ibid.
Palliorum uſus 290. genera varia
Paſſavium 419.
Paſtoritiæ ſtudium 153. cultus 256.
Patelonis ſymbolum, cultus 194.
Pattberga 393.
Pecuniæ etymon 254. diu neglectus uſus 255.
Pecuaria vet. negotiatio 255.
Pedum tegumenta 292. 293.
Periodi Hiſtoriæ 370.
Perjurii pœna 58.
Permutationis priſcus uſus 254.
Perſonarum ordo 19. ejus ſingularis obſervantia 40. 41.

Perunum priſcum fulminis nomen 194.
Philoſophiæ initia, progreſſus 149. reſtauratio 150. partes. ibid.
Phortzhemium 399.
Phyſicæ initia, ſtudium 151. 152. partes. ibid.
Pictoriæ ortus 140. incrementa 141.
Pileati 279.
Pileorum priſcus uſus 286. color, materia. ibid. forma 287. nomina varia. ibid.
Pini cultus 199.
Planetarum cultus 184.
Plutonis cultus 192.
Poetices ſtudium, uſus 144. honor. 145. incrementum ibid.
Pontificis Rom. inſolentia. 213. 214. potentia. ib. dogmata 214. ſeqq. creandi jus 215. autoritas 216. ſeq. impugnatio 217. 220. 221. 229. imperium. 218. 219. exactiones 224.
Politica vet. 159. ejus doctores. ibid. militaris ſ. imperatoriæ ſtudium 159.
Pomerania 414. ſeq.
Probationis priſcæ genera varia 57.
Prutenorum numina 179. 183. 184. 188. 192. 194. 198. victima 204.
Pugillatoriæ origo & uſus 138.
Purgatio canonica 57. vulgaris 56. per ſacram Euchariſtiam 63.
Purgatorii dogma ejusque autor 210. 211. aſſertio 220.
QUadrupedum cultus 197.
Quedlenburgum 405.
Quercuum cultus 198. 199.
RAptorum pœna 110.
Ratispona 420.
Regiæ poteſtatis priſca conditio 5. 11.
Regni hæredes Adelingi dicti 22. juſtæ debebant eſſe nobilitatis. ib. eorum dignitas & ornatus 23.
Regum electio ex quo ordine facta 21. titulus olim conſvetus. ibid.
Reichenau 400.
Relevium 249.
Religio Germ. vet. gentilis. 177. ejus ritus & ceremoniæ 202. Chriſtianæ initia & clades 207. reſtauratio 208. dogmata. ibid.
Rensburgum 411.
Rhenones 288.
Rhenus inferior 385.
Rhetorices ſtudium 142.
Reutlinga 399.
Ripuarii quinam 124. 386. eorum lex. ibid.
Rogi quibus olim lignis exſtructi 299. chariora quæque his injecta. ibid. etiam uxores ſuperſtites 299. 300.
Roſtochium 414.
Runæ Germ. vet. literæ 3.
Rura fl. 379.
SAcerdotum priſtinus honor & prærogativa 5. 205. officium, nomina priſca, natales, ibid. nimia potentia 213.
Sacramentalis quis? 58.

Sacri-

Sacrificiorum priſcorum ritus 202. materia. ibid. ſeqq.
Sagum Germ. vet. 288. ejus genera varia ib.
Sala fl. quis olim dictus 379.
Salicæ legis origo 46. incrementum & dignitas ibid. 47.
Salisburgum 419.
Saltationes Germ. vet. 121. 122. 138.
Satanæ priſca nomina 180.
Saturni cultus 189. priſcum nomen ibid. effigies ibid.
Saxenhauſen 396.
Saxonia quæ dicatur 389.
Saxonum reſpublica 5. 6. 7. appellatio unde 405. Leges earumque origo 50. dignitas 50. 51. jus feudale 52. ejus dignitas 52. Speculi Saxonici autoritas 51. 52.
Schillingi 268.
Scrupuli valor 260.
Selandi 381.
Selingenſtadium 397. 406.
Septentrionalium gentilismus 178. 179.
Sepulturæ Germ. Chriſt. priſci ritus. 303. 305. quid obtinuerit in exuviis illuſtrium. ib. ſeq.
Serpentum cultus idololatricus 197. 198.
Servorum ortus 28. ſeqq nomina & genera varia. 30. 31. tres præcipuæ claſſes 31. conditio, ſtatus, onera 32-34. manumiſſio 35.
Siderum cultus 184.
Sigeburgum 392.
Signa militaria. 85. eorum imagines. 86.
Siliquæ valor 260.
Skideronburg 393.
Solicinium 399.
Solis cultus 185.
Sortium ratio priſca & uſus 65. 66. damnatio 66.
Spira unde dicta 384.
Spirituum cultus 182. nomina priſca ib. ſeq.
Sponſalioram ritus 112-115. formulæ 116.
Sponſæ ornatus 119. in thalamum deductio. 122.
Sponſi ornatus 120. concubitus. 122. geſtio 120.
Stadtberga 392. 393.
Studia Germ. vet. 134. eorum initia 135. clades. ibid. reſtitutio. ibid.
Stratisburgum 384.
Styria 423.
Sueonum πολυθεότης 179.
Suevorum ſedes 394. nomen ibid.
Suevorum ab Alamannis denominatio, priſca & hodierna ſedes, coloniæ, regnum olim in Gallætia conditum, victoriæ, imperii in Germania fines, libertas, reſpublica, virtus bellica, regni immutatio 10.
Superſtitio gentilis Germ. vet. 178.
Suſatum 393.
Sylvarum cultus 198.
Symbolicus deorum cultus 200.

TAlaris Dalmatica 289. 290.
Taxandria 381.
Tecka 399.
Templorum extructio cur diu intermiſſa 201. quando cœperit 202. eorum materia ibid.
Terræ nomen, veneratio 191. Teſſera militaris 94.
Teſſenderlo 381.
Teutiſci 374.
Thalerorum origo 267. ſpecies ibid.
Tharan Jovis nomen 184. 187.
Theologia Germ. vet. naturalis 157. ejus cultores. ibid. dogmata 157. revelatæ initia & progreſſus. ibid. Scholaſticæ origo. ibid. gentilis 177. ejus dogmata 201.
Theotmellum 393.
Theut & Thor priſca Dei nomina 181.
Thor priſcum Jovis nomen 185. 188.
Thuringorum vera ſedes, regni præſtantia 11. reipublicæ forma, ordo & diſtinctio perſonarum. ibid. leges. 53. privilegia. ib.
Thuringia medii ævi 401. ſeq. ejus urbes 410.
Tolbiacum 382.
Tonitru olim inter numina cultum 194. 195.
Tormentariorum inventum 85. 147.
Tornamentum 138.

Toxandri 381.
Traditionum Pontif. irruptio. 214.
Tremonia 393.
Treviri 383.
Tribocci 384.
Triburia 397.
Tubæ uſus 87.
Tubinga 399.
Tuiſto vetuſtiſſimus Germ. vet. deaſter 181. ejus cultus ibid. nomen quorſum reſpiciat. ibid.
Tuitium 392.
Tunicæ uſus, nomina priſca 289. genera ib.
Tybilenum nomen Satanæ ſaxonicum 180.
Tympanurum uſus 88.
Typographiæ invensum 148. 149.

V Andalia 412.
Vandalorum origo 4. numina 183.
Vangiones 383.
Varisberg 382.
Vaſallorum inſtitutio atque conditio 78. 79. varia nomina 244. leges, ſervitia & obligatio 245. 249. onus militiæ 246. profectionis ad campos Roncaliæ. vicarii 247. Hoſtenditiæ 248. pretium redimendi onus militiæ. ibid.
Uberlinga 400.
Uculbi 393.
Venationis ſtudium 153. dignitas priſtina 154. ſpecies. ibid.
Venedi 412.
Veneris cultus 190. appellatio Germanica, unde diei nomen, ibid. ſexus. ibid. ſimulacrum. ibid. ſeq.
Ventorum cultus idololatricus 194.
Veſtitus Germ. vet. ejusque materia 279-282. color. ibid. ſeqq. forma 283. Francorum 284. Saxonum 285. Gothorum ibid. Longobardorum. ibid. ſpecies variæ 286.
Vetera 381.
Vexilla militaria 86. eorum imagines ib. ſeq.
Victimæ Germ. vet. 203. earum materia ibid. ſeqq.
Victoriæ Solennia 98.
Vindobona 424.
Viniculturæ initia 152.
Vinneburgum 405.
Viſtula. 379.
Viſurgis fl. 380.
S. Viti cultus 183.
Ulmæ vetera nomina 399.
Ultrajectum 385.
Unciæ valor 259. 260.
Ungendi ritus 301. 302.
Vulcani cultus. 185.

WAgria 411.
Wallones 309.
Weiblinga 399.
Werinorum lex 53.
Werla 392.
Werthinenſe monaſt. 387. 391.
Weſtphali 389. ſeqq.
Weſtphaliæ urbes 392.
Weſtphalorum nomen, origo, lex 52. ſecretum judicium. ibid. ſeq.
Wetteravia 395.
Weſtrogothorum regnum 4.
Wiltaburgum 385.
Wilinaburg 396.
Winenheim 397.
Winuli 413.
Wiſaraba fl. 380.
Wittenberga 410.
Wuflisburg 385.
Wurgau. 384.

ZElotypiæ vitium 131.
Zeerneboch Satanæ priſcum cognomentum 180.
Zuante Vith ſeu S. Vitus à Vandalis atque Rugianis cultus 183.
Zülch 382.

):(o):(